
BENEDICTI PERERII VALENTINI, E SOCIETATE IESV.

Tomus Primus.

SELECTARVM DISPVTATIONVM IN SACRAM SCRIPTVRAM:

Continens Centum & Triginta ſeptem Diſputationes ſuper libro Exodi.

SVPERIORVM PERMISSV.



VENETIIS, M. DC. I.

Apud Societatem Venetam.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ROBERTO BELLARMINO,

S. ROMANAE ECCLESIAE REVER^MO. ET ILLVSTR^MO: CARDINALI,

BENEDICTVS PERERIVS, E Societate IESV, S. D.

QVI te nouerunt, Illustrissime Cardinalis, (quis autem doctorum hominum te nõ nouit?) quòd meum hoc volumen Selectarum Disputationũ in sacram Scripturam, tibi potissimum dicauerim; valde, vt spero, consilium, & animum meũ approbabunt. Talia, nimirum, sunt litteraria hæc munera; præsertim verò ex abditis grauiorum, sanctiorumque disciplinarum thesauris deprompta, vt ea maximè viris pietate, ac sapiẽtia præcellentibus offerri deceat: Sin autem quibuslibet promiscuè deferantur, & gratiam perdant, atque eius, qui dedit, aut vecordiam, aut vanitatem infament. Ego de tuis egregijs virtutibus multa, & præclara, quæ dici verè possent, hic sciens, & volens tacebo: non enim breuis epistola capit dignum rerum tuarum encomium:

simulq́;gratificari tibi cupio,qui humanarum laudũ,si quis alius, nequaquam cupidus, lucẽ ipsam virtutis,& sapientiæ amas,& sequeris; vmbrã eius,laudẽ,& famã, & gloriam minimè curans. Vnã modò dicam,cuius ipse multis annis spectator fui: vitam egisti in Societate nostra,per annos quadraginta,planè inculpabilẽ: quin etiam multarum insignium virtutum,prçcipuè autem pietatis,& continentiæ documentis, exemplisq́; laudabilem. Assumptus postea es (nulla sanè ambitiosa tua cupiditate)ad Cardinalatum;in quo ita viuis,vt eum te non cupiuisse,facilè nobis persuadeas. Excellentẽ porrò doctrinam tuam,& nouerunt omnes, & doctissima tua scripta testantur: quorũ lectio,incertum,vtilior sit, an iucundior. In his laudant alij,meritoq́; laudant,singularem quandam perspicuitatem orationis,& aptissimum ordinem dispositionis,multitudinẽ item, roburq́ue argumentorum,miramq́; tàm sacræ,quàm profanæ eruditionis varietatem,& copiam. Ego, super omnia laudo exactam omnium Catholicorum dogmatũ tractationem, & vniuersæ doctrinæ dogmaticæ, factũ à te tanquam vnum quoddam corpus, suis ex omnibus quasi membris pulchrè coagmentatum, omnibusq́ue numeris absolutum. Accipe igitur meum hoc munusculum,tuis non alienum studijs, nec tuæ indecens sapientiæ: quod equidem spero futurum tibi, vel eo nomine,periucundum; quòd diutino sacrarum literarum studio,vsq́; comparatum, & ex varijs, atque eruditis, amœnisq́ue diuinarum rerum commentationibus, & dissertationibus concinnatum est.

AVCTOR OPERIS LECTORI.

VT absolui totius libri Genesis explanationem, quatuor in Commentariorum Tomos digestam; statim sum aggressus opus selectarum disputationum in sacram Scripturam, non semel à me prioribus in libris iam editis promissum. Selectas autem disputationes propterea vocaui, quod de plurimis, quæ à me in Tractatu earum rerum, de quibus disserebam, afferri potuissent, permulta omittens, potiora tantum, & vtiliora delegi: ea nempe, quæ vel insignem quampiam scripturæ obscuritatem, ac difficultatem multum illustrare poterant: vel continebant eruditionem aliquam minimè vulgarem; aut ex proprijs diuinæ Scripturæ thesauris depromptam, aut extrinsecus petitam ex optimis disciplinis, & ad sacrarum literarum vsum, & ornamentum accommodatam. Feci autem opus hoc tripartitum, in tres Tomos distributum: quorum primus nunc exit in lucem, continens super libro Exodi centum triginta septem disputationes, duos verò reliquos Tomos ita iam elaboratos habeo, vt non aliud in his, nisi, velut in pictura, extrema manus; & tanquam fastigium in ædificio desideretur. Quod si meam hanc operam, & laborem iudicat Lector non ingratam, nec inutilem fore ijs, qui sacræ doctrinæ studio delectantur; roget Deum, vt vitam mihi præstet, vigoremq; animi, & corporis valetudinem, quoad incœpta, vel potius affecta, planè conficiam, & absoluam. Vale.

BENEDICTI PERERII.

IN SELECTAS DISPVTATIONES SVPER LIBRO EXODI.

PRÆFATIO.

Gen. 50.

HISTORIAM Libri Genesis Moses, commemorata Ioseph morte finiuit. Libri autem Exodi initium duxit à seruitute, qua, post mortem Ioseph, Hebræi vehementer afflictati & oppressi sunt in Aegypto: ea porrò seruitus septem annis, vel paulò amplius ante ortum Mosis excitata & incœpta est, vt paulò infrà ostendemus. Inter mortem autem Ioseph & ortum Mosis, annos non plus quatuor & sexaginta intercessisse demonstratum à nobis est in quarto Tomo Commentariorum nostrorum in Genesin super caput 50. in Disputatione quinta ad numerum marginalem 28. Ex hoc co ficitur, inter finem historiæ Genesis, quem fecit mors Ioseph, & initium libri Exodi sumptum à seruitute Hebræorum, interfluxisse annos circiter quinquaginta septem, per quos, Hebræis in Aegypto quietè ac prosperè viuentibus, nihil admodum insigne ac memoratu dignum contigisse, non temerè quispiam putauerit: non enim id Moses, qui alia tam multa diligenter scripsit, in præteritis reliquisset. Ex his facilè est redarguere tres veterum, nec ignobilium, scriptorum errores. Primus fuit Cheremontis antiqui scriptoris, qui in scriptis suis, vt refert Iosephus priori libro aduersus Apionem, Mosem & Ioseph facit æquales, atque in eadem ætate viuentes. Alter fuit Trogi Pompeij, siue Iustini, qui libro 36. Mosem tradit fuisse filium Ioseph. At enim inter mortem Ioseph & ortum Mosis interiectum fuisse tempus sexaginta quatuor annorum, dudum est conclusum. Tertius error fuit Iosephi Hebræi, qui eodem illo priori libro contra Apionem affirmat, Ioseph esse defunctum ante Mosis ortum, quatuor ætatibus, vel centum septuaginta annis: quod tam insigne erratum Chronologiæ, equidem reor non ex inscitia, sed ex incogitantia & incuria obrepsisse Iosepho.

Tres errores super ætate Iosephi & Mosis.

Cheremō, Iustinus, Iosephus.

Illud

Illud quæri hoc loco dignum est, cur Moses librum Exodi auspicatus sit ab enumeratione eorum qui cum Iacob intrauerunt in Aegyptum: sic enim librum illum exorsus est: Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Aegyptum cum Iacob, &c. *Sed id optimo consilio & ratione factum est à Mose. Ac primò quidem id fecit, vt ex eo pernotesceret causa, cur Aegyptij tantoperè odissent Hebræos, & conati essent eos opprimere: quòd vidissent illi videlicet, paucos illos Hebræos cum Iacob ingressos in Aegyptum, in multitudinem propemodum innumerabilem breuissimo tempore excreuisse: ob idq; timerent, ne tum multitudine, tum viribus superiores ipsis euaderent; & vel hostibus Aegyptiorum adiuncti, vel etiam ipsi per se aduersus ipsos bellum mouerent, atque ipsis debellatis imperium Aegypti raperent: vel Aegypto egressi irent quocunque vellent. Deinde manifestum fecit Moses hac ratione, promissum Dei datum Abrahæ de multiplicando eius semine instar stellarum cœli, fuisse iam maxima in parte completum: & ideò sperare debuisse Hebræos, alterum Dei promissum de donanda eis terra Chanaam, similiter breui completum iri. Hinc etiam notum fit, quando primùm Aegyptij cœperint dura seruitute Hebræos vexare, post mortem scilicet Ioseph & omnis cognationis eius, id est, mortuis & fratribus eius, & filijs eorum ac nepotibus, qui vnà cum Iacob ingressi fuerant Aegyptum: id autem non obscurè significauit Moses in primo capite Exodi, narrans, post mortem Ioseph, mirandum in modum propagatis ac multiplicatis Hebræis, Aegyptios consilium cœpisse, eos dura seruitute opprimendi, ac perdendi.*

CLAVDIVS AQVAVIVA
SOCIETATIS IESV
PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVm Tomum hunc Primum Selectarum Disputationũ in sacram Scripturam, Centum & Triginta septem Disputationes in librum Exodi complectentem, à Patre Benedicto Pererio nostræ Societatis Theologo compositum; tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id cõmissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinebit, videbitur. In quorum fidem, has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 22. Augusti 1600.

Claudius Aquauiua.

APPROBATIO.

CVm Primus hic Tomus Selectarum Disputationum R. P. Benedicti Pererij Societatis IESV, in sacram Scripturam, nihil Catholicæ fidei, bonisue moribus aduersum contineat, & sacrarum literarum studiosis magnam lucem & vtilitatem allaturus videatur: vtiliter admodum in lucem eum edi posse & debere censeo.

Petrus Steuartius, SS. Theologiæ Doctor, & in Academia Ingolstadiana Professor, Parochus Mauritianus, & Collegij Theologici, pro tempore, Decanus.

COPIA.

GLi Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustrissimo Consiglio di X. infrascritti: Hauuta fede dalli Signori Riformatori del studio di Padoua, per relation delli tre à ciò deputati, cioè del R. P. Inquisitore; del Circ. Secretario Zuane Maraueglia, & di Domino Lucio Scarano Lettor publico, che nel libro intitolato Benedicti Pererij Valentini è Societate Iesu Primus Tomus Selectarum Disputationum in sacram Scripturam super libro Exodi &c. Non vi è cosa contra le leggi, & è degno di stampa, hanno concesso licentia che possi esser stampato in questa città. Dat. die 23. Augusti 1601.

D. Zorzi Foscarini.
D. Andrea Gussoni.
D. Andrea Minoto.
} Capi dell'Illustrissimo Conseglio di X.

Regist. in officio cont. blasph.

Illustrissimum Consilij X. Secr.

Coelius Magnus.

INDEX
OMNIVM DISPVTATIONVM,
QVAE TRACTANTVR IN HOC
Primo Tomo per singula quindecim prima capita Libri Exodi digestus:

ET ITEM QVÆSTIONVM AC RERVM NOTABILIVM
quæ in singulis disputationibus explicantur.

Notæ verò numerorum huic Indici adiectæ, indicant numeros marginales, ad Disputationes singulorum capitum Exodi appositos.

IN CAPVT PRIMVM EXODI

Disputationes decem.

IN CAPVT SECVNDVM
EXODI
Disputationes tredecim.

IN CAPVT TERTIVM
EXODI
Disputationes tredecim.

Se-

IN CAPVT QVARTVM EXODI

Nouem Disputationes.

IN CAPVT QVINTVM

EXODI

Quattuor Disputationes:

IN CAPVT SEXTVM

EXODI

Disputationes quatuor.

IN CAPVT SEPTIMVM EXODI

Disputationes tredecim.

IN CAPVT OCTAVVM EXODI

Septem Disputationes.

2. Cur

IN CAPVT NONVM EXODI

Disputationes quinque.

IN CAPVT DECIMVM EXODI

Disputationes duæ.

IN CAPVT VNDECIMVM EXODI

Disputationes quattuordecim.

De induratione Pharaonis, & in vniuersum de induratione humani cordis.

Disputationes decem.

IN DVODECIMVM CAPVT EXODI

Disputationes viginti.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM EXODI.

Disputationes octo.

3. Si-

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM Exodi.

Disputationes octo.

Sexta

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM EXODI.

Disputationes septem.

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,
QVI IN HOC PRIMO TOMO SELECTARVM disputationum in Exodum vel explicantur vel illustrantur.

PRIOR NVMERVS CAPVT EXODI: alter numerum in margine annotatum significat.

11.

Terra ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Aegypti, &c. c.7.n.91

12.

Ad locum quẽ elegerit Dñs Deus vester, de cũ ctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, &c. c.12.n.71

13.

Deus prædixit Hebræis, venturos Pseudopro phetas, vt tententur, num sincerè Deum suum diligant, &c. c.7.n.61

13.

Si surrexerit in medio tui Propheta, & prædi xerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, &c. c.7.n.27

16.

Immolabis Domino Phase de ouibus & de bobus. c.12.n.24

16.

Immolabis Phase vespere, ad solis occasum, quãdo egressus es de Aegypto. c.12.n.102

16.

Sex diebus comedes azyma: & in die septima quæ collecta est Domini Dei tui, non facies opus. c.12.n.61

16.

Ne accipias munera, quæ excæcant prudentes, &c. c.11.n.64

17.

Cumque fuerit (rex) constitutus, non multiplicabit sibi equos, &c. c.15.n.8

28.

Det Dominus imbrem super te, pulucrem, &cæt. c.9.nu.11

28.

Percutiat te Dominus vlcere Aegypti, &cæt. cap.9.num.13

31.

Abierunt itaque Moses & Iosue, & steterunt in tabernaculo testimonij: apparuitque Do minus ibi in columna nubis, qui stetit in in troitu Tabernaculi. c.13.nu.34

31.

Et irascetur furor meus contra eum in die il lo, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, &c. c.3.nu.34

33.

In dextera eius ignea lex. c.3.n.17

33.

Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph. c.3.n.27

Iosue 2.

Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrũ introitũ, &c. c.7.n.71

2.

Fateor, venerunt ad me, sed ego nesciebam vn de essent: cumque porta clauderetur in tene bris, & illi pariter exierunt; nescio quo abierunt: persequimini citò, & comprehendetis eos. c.1.n.39

5.

Populus qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, in circuncisus fuit. c.4.n.40

Iudicum 1.

Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, &c. c.7.n.96

19.

Considera quod dies ad occasum decliuior fit, & propinquet ad vesperam. c.12.n.10

1. Regum 18.

Inuasit spiritus malus Saul, & prophetauit in medio domus suæ. c.7.n.9

28.

Faciet tibi Dñs, sicut locutus est in manu mea. Et: Quare ĩquietasti me vt suscitarer? c.7.n. 49

2 Regum 8.

Filij Dauid erant (Chohauim) idest, principes. cap.2.num.65

3. Regum 20.

Syri dicebant, Deum Israel, esse Deum montium, & non uallium. c.9.nu.22

22.

Vidi Dominum sedentem super solium suũ, & omnem exercitum cœli assistentem à dextris & sinistris, &c. c.11.n.68

22.

Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. c.2.nu.81

4. Regum 6.

Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt, quàm cum illis. c.15.nu.8

1. Paralip. 25.

Filij Asaph & Heman prophetarunt in citharis & cymbalis & psalterijs, &c. c.7.nu.9

Iudith 5.

Per quadringentos annos sic multiplicati sũt, ut dinumerari eorum non posset exercitus. cap.12.num.118

7.

Hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam, &c. c.8.n.4

8.

Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? &c. cap.8.num.4

cabuntur. c.1.n.5

Prouerbiorum 3.

Quem diligit Dominus corripit. c. 11. n.32

18.

Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. c.5.nu.6

24.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem; Et, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses, &c. c.2.num.53

25.

Scrutator Maiestatis, opprimetur à gloria. c.3.num.31

30.

Quod est nomen eius, & quod est nomen filij eius? c.3.nu.69.& c.6.nu.3

30.

Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, &c. c.5.nu.9

30.

Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. c.10.nu.8

Ecclesiastæ 1.

Dedi cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinã, erroresq́; ac stultitiam. c.2.nu.46

8.

Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala, &c. c.11.nu.29

Canticorum 5.

Ego dormio, & cor meum vigilat. c.3.nu.4.

Sapientiæ 10.

Reddidit Deus iustis mercedem laborum suorum. c.12.n.78

11.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. c.7.nu.80

14.

Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt. c.7.n.4

16.

Locustarum morsus occiderunt eos. c.10.n.4.

17.

Horrenda spectra Aegyptijs in tenebris occurrebant. c.6.n.65

18.

Solem sine læsura boni hospitij præstitisti eis. c.13.num.20

Ecclesiastici 3.

In pluribus operibus Dei ne fueris curiosus, &c. c.3.nu.31

39.

Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit, & cætera. cap.2.num.46

46.

Et post hoc dormiuit, & notum fecit regi. cap.7.num.50

48.

Mortuum Elisæi corpus prophetauit. c.7.n.9

Isaiæ 2.

Repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. c.15.nu.8

18.

Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumen Aethiopiæ, quæ mittit in mare legatos suos in vasis papyri sup aquas. c.2.n.31

19.

Ecce ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum. c.13.n.15

40.

Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? c.8.nu.20

43.

Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. c.3.n.17

51.

Et Assur calumniatus est eum. c.1.n.7

53.

Vidimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, &c. c.4.n.11

64.

Abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. c.3.n.34

Hieremiæ 7.

Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationẽ, &c. c.11.nu.66

7.

Non sum locutus cum patribus vestris, &c. de verbo holocaustomatum & victimarũ, &c. cap.8.num.42

9.

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & cæt. cap.5.num.6

31.

Castigasti me, & eruditus sum. c.11.n.66

Ezechielis 14.

Propheta cùm errauerit, & locutus fuerit verbum: Ego Dominus decepi Prophetam illum. c.11.n.67

21.

Occidam in te iustum & impium. c.7.n.73

23.

13. Vo-

13.
Vobis oportebat primum loqui regnum Dei: sed quoniam repellitis illud, &c. cap.11.num.66

19.
Iesum scio, & Paulum noui; vos autem qui estis? c.7.n.39

23.
Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi autem vtraque confitentur. c.3. num.38

Ad Romanos 2.

An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? c.9.nu.15

9.
Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. c.7.n.3

9.
Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, &cæt. cap.9.numero 20

11.
O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viç eius? &cæt. cap.15.num.22

1 Corinth. 5.

Pascha nostrũ immolatus est Christus, &c. c.12.num.74

10.
Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt,&c. c.14. num.36

10.
Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis,&c. c.12.n.95

10.
Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis,&c. c.5.n.18

12.
Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem & idem spiritus, diuidens singulis prout vult. c.8.nu.19

12.
Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes dona habent curationum? cap.7. numero 39

14.
Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem,&c. c.7.nu.9

16.
De Collectis autem quæ fiunt in Sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ,ita & vos facietis. c.12.n.62

2. Corinth. 2.

Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu,& odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, &c. cap.5. num.13

5.
Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. cap.1.nu.44

Ad Galatas 1.

Cùm placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suã, vt reuelaret Filium suum in me, &c. c.4. num.56

Ad Ephesios 3.

Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. c.3.n.61

2.Thessal. 2.

In omni virtute, in signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis,&c. c.7.nu.38

2.Timoth 3.

Iannes & Mambres restiterunt Mosi. cap.7. num.12

Ad Hebraos 11.

Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur,&c. c.5.n.16

11.
Fide Moses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis. c.2.n.33

11.
Fide reliquit Aegyptum, non veritus Regis animositatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi. c.2.n.58.& n.60

1.Ioannis 2.

Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. c.5.n.12

5.
Peccantes non ad mortem, & peccantes ad mortem. c.11.n.52

b Apoca-

INDEX ALPHABETICVS RERVM MEMORABILIVM,

QVAE IN HOC PRIMO SELECTARVM Disputationum in Exodum Tomo continentur.

Prior numerus, Capita Exodi, posterior numerum in margine adnotatum demonstrabit. Quod si aliquando vnum tantùm numerum inueneris, posteriorem intellige marginalem, eius capitis, quod proximè notatum antecessit.

A

Abraham.

Aegyptus.

Aegyptij.

Dies.

I

Iethro.

Ignem

Quis

N

Natura.

Nomen.

Nomen Tetragrammaton.

O

Obstetrices.

Hi-

An

BENEDICTI PERERII

In Selectas DISPVTATIONES SVPER LIBRO EXODI.

IN CAPVT PRIMVM EXODI. DISPVTATIONES DECEM.

Narratur mira Hebræorum propagatio in Aegypto, & laboriosa eorum seruitus: insignis item pietas obstetricum in Hebræos, & diuina earum remuneratio.

CAPVT PRIMVM EXODI.

HAEC sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt Versu
in Aegyptum cum Iacob: singuli cum domibus 1.
suis introierũt: * Ruben, Simeon, Leui, Iudas, * Is- 2.3.
sachar, Zabulon, & Beniamin; * Dan & Nephtha- 4.
li, Gad, & Aser. * Erant igitur omnes animæ eorum, 5.
qui egreßi sunt de femore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in
Aegypto erat. * Quo mortuo & vniuersis fratribus eius, omni- 6.
que cognatione illa, * filij Israel creuerunt, & quasi germinantes 7.
multiplicati sunt: ac confortati nimis, impleuerunt terram. * Sur 8.
rexit interea rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph:
* & ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israël mul- 9.
tus, & fortior nobis est. * Venite, sapienter opprimamus eum, 10.
ne fortè multiplicetur; & si ingruerit contra nos bellum, addatur
inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. * Præ- 11.
posuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus,
ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom, &
Ramesses. * Quantóque opprimebant eos, tantò magis multipli- 12.
cabantur & crescebant: * oderantque filios Israel Agyptij, & af- 13.
fligebant, illudentes eis; * atque ad amaritudinem perducebant 14.

vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu,
15. quo in terræ operibus premebantur. * Dixit autem Rex Aegy-
pti obstetricibus Hebræorum: quarum vna vocabatur Sephora,
16. altera Phua, *præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræis,&
partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si fœ-
17. mina, reseruate.* Timuerũt autẽ obstetrices Deũ, & nõ fecerunt
18. iuxta præceptum regis Aegypti, sed conseruabant mares. * Qui-
bus ad se accersitis: Quidnam est hoc quod facere voluistis, vt
19. pueros seruaretis? * Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut
Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam;
20. & priusquam veniamus ad eas, pariunt. * Benè ergo fecit Deus
21. obstetricibus: & creuit populus, confortatusque est nimis. * Et
22. quia timuerunt obstetrices Deũ, ædificauit eis domos. * Præcepit
ergo Pharao omni populo suo dicẽs: Quidquid masculini sexus
natũ fuerit, in flumen proijcite: quidquid fœminini, reseruate.

PRIMA DISPVTATIO.

De mira Hebræorum propagatione in Aegypto.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 6. & 7. Quo mortuo (Ioseph) & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione illa, filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram.

1. MAGNAM profectò vim habet ad indicandam numerosissimam Hebræorũ propagationẽ illud: *quasi germinantes multiplicati sunt*. Declarat enim, propagationẽ Hebræorum esse factam instar germinum herbarum & segetum, in quibus ex vno grano multas nasci spicas, plurimaque grana cernimus. Similiter enim gens Hebræa ex paucis hominibus, qui cum Iacob intrauerant Ægyptum, breui tempore mirum in modum propagata fuerat. LXX. Interpretes locum hunc ita reddiderunt: *Filij Israel creuerunt & multiplicati sunt, & effusi facti sunt, & inualescebant valdè: multiplicabat autem illos terra*. Hebraicè sunt in hoc loco quatuor verba diuersæ significationis, sed ad significandam copiam & abundantiam pertinentia. Primum verbum est (Parah) significans crescere, vel potius fructificare. Alterum verbum est (Saras) significãs, more reptilium, vel pecorum, numerosissimè multiplicari. Tertiũ verbum (Rabab) propriè significans multiplicari. Quartum verbum est (Azam) significans fortificare, & roborare, præsertim in multitudine; siquidem multitudo hominum robusta est, paucitas verò inualida, tum ad aggrediendum quippiam arduum, tum ad resistendum.

Tres quæstiones.

Prima quæstio, quanta fuerit Hebræorũ propagatio.

Verùm in hac disputatione tres quæstiunculæ breuiter explicandæ sunt. 2. Prima est, quanta fuerit illa propagatio & multiplicatio Hebræorum. Altera, quãto tempore sit facta: Tertia, quomodo sit facta. Primæ quæstioni respondemus, certò non posse definiri quanta fuerit illa propagatio: ex eo tamen quod narratur in libro Numerorum, capite primo, coniectare licet, atque existimare, fuisse maximam atque incredibilem. Eo namque loci traditur, in primo anno, quo egressi sunt Hebræi ex Aegypto, recensitos fuisse Hebræos idoneos ad bellandum à vigesimo anno ætatis, & vltra, & repertos esse ad sexcenta millia bellatorũ, & insuper tria millia, & quingentos, & quinquaginta. Extra hũc autem numerum fuit vniuersa tribus Leui, quæ non est recensita; fuerunt item omnes infantes, pueri, & adolescentes,

vsque

vsque ad annum vigesimum, quorum, in comparatione hominum vlterioris ętatis, maxima est multitudo. Fuit præterea extra illum numerum sexus muliebris, quem fuisse tunc numerosissimum, quod vnus vir pluribus per matrimoniũ iungeretur mulieribus, necesse est. Nec eo numero inclusi sunt senes inualidi atque imbelles, quorum ingentem fuisse numerum, non est dubitandum: nam & verisimile fit, post septuagesimũ annum vacasse à militia; & plerosque, id temporis cẽtesimum annum supergredi solitos constat. Itaque nonnulli, benè subducta ratione, non temerè concluserunt, vniuersam illã Hebręæ gentis multitudinem, fuisse ad tricies centena millia hominum: quam tamen omnem ex sexaginta nouem, qui ingressi fuerant Aegyptum, breui tempore scimus esse propagatam.

3. *Secũda quæstio, quanto tẽpore illa propagatio sit facta.* Alteri quæstioni respondendum est, istiusmodi propagationem factam esse, vt longissimum tempus ponamus, ducentis quindecim annis, quibus Hebræi manserunt in Aegypto, post ingressum Iacob: tot enim annos præterijsse ab ingressu Iacob in Aegyptum, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, demonstratum est à nobis in tertio tomo nostrorum Commentariorum in Genesim, super caput 15. in Disputatione sexta ad numerũ marginalem 70. Sed enim B. Augustinus putat, insignem illã multiplicationem esse factam post mortem Ioseph, per annos duntaxat centũ quadraginta quinque: id enim satis indicat Scriptura, dicens hoc loco, mortuo Ioseph, Hebræos vehementer creuisse in Aegypto. A morte verò Ioseph, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, anni quinque & quadraginta centumq; excurrerunt. Quamquam si attentius consideremus verba huius loci Scripturæ, reperiemus, multiplicationem Hebręorum, de qua hîc Scriptura loquitur, esse factam post mortem Ioseph, & ante seruitutem ipsorum. Docet enim apertè Scriptura, propter tantam Hebræorũ multitudinem, regem Aegypti adductũ esse, ad eos seruitute opprimendos & perdẽdos. Spatium autem temporis inter mortem Ioseph, & initium seruitutis, annorum fuisse circiter quinquaginta, paulò suprà ostendimus. Nec debet incredibilis videri, tam breui tempore tanta vnius gentis ex paucis hominibus propagatio. Etenim non amplius ducẽtis quinquaginta annis post diluuiũ, ex tribus duntaxat filijs Noë, in tãtum, genus hominum est propagatum, vt vel solus Ninus, primus monarcha & conditor Assyriorum monarchiæ, qui anno post diluuium quinquagesimo circiter & ducentesimo regnare cœpit, in exercitu, quem duxit aduersus Bactrianos, habuisse dicatur peditum septies & decies centena millia, equitum ducena millia, curruum falcatorum decem millia, & insuper sexcentos. Cuius rei testẽ laudat Diodorus Siculus in lib. 3. ca. 2. Ctesiam perantiquum & cumprimis nobilem historiæ scriptorem: Sic enim scribit: Ninus, ciuitate à se cõdita, adiecit animum ad Bactrianos, patriã montosam, accessuq; difficilem, & hominum numero ac viribus præualidam. Cùm autem priore expeditione nihil admodum profecisset, maioribus opus esse ratus copijs, coacto ex singulis Gentibus electo, & ingenti exercitu aduersus eos profectus est. Tradit Ctesias scriptor, pedites ad decies septies centena millia fuisse, equitum ducenta millia, currus verò falcatos, paulò minus decem millibus, & ducentis: Sic ille.

S. August. lib. 18. de ciuita. Dei, cap. 7.

Mira exercitus Nini magnitudo auctore Diodoro, & Ctesia.

Tertiæ denique quæstionis hæc sit solutio: Tantam illam gentis Hebręorum in Aegypto propagationem, hisce modis fieri potuisse. Primò quidem vt omnes mulieres Hebręæ, essent fœcundæ, & singulis annis parerent: tum, vt præmaturè inciperent parere, & serò admodum desinerent: ad hæc, vt quælibet mulier, aut certè pleræque, binos parerent, aut etiam ternos & quaternos vno partu, sicut tradunt Hebræi. Sed illud hoc loco in quęstionem cadit; An istiusmodi tanta fœcunditas Hebræarũ mulierum fuerit planè naturalis, an singulari beneficio Dei eis concessa, & assignanda miraculo: hoc enim sensisse videtur B. Augustinus, sicut intelligere licet ex verbis eius, quæ sunt in libro 18. de ciuitate Dei, cap. 7. ea verò sunt eiusmodi: Creuerunt Hebræi, diuinitùs fœcundata eorum multiplicatione. Verùm ex aduerso posset videri probabilius, il- 4.

Tertia quæstio quo modo facta sit illa propagatio, & an fuerit naturalis, an per miraculũ facta.

S. Augustinus.

lam propagationem fuisse naturaliter & sine miraculo factam: nam quod mulieres pariant binos, vel ternos vno enixu, non solùm non est naturaliter factu impossibile; verùm etiam frequenter solitum fieri in Aegypto: de cuius terrę ac gentis mulierum fœcunditate admiranda, memorabilis sanè, & ad id, quod nũc agitur, firmandum, perquàm accommodata est Aristotelis sentẽtia, qui in lib. 7. de historia animalium, cap. 4. hunc in modum scribit: Cùm animalia, quędã singulos pariant, alia plures; genus humanum in ancipiti est. Nam, quod plurimùm, & locis plurimis agitur, mulieres singulos singulæ pariunt. Verùm sæpè, & locis plerisque geminos etiã edũt: vt in terra Aegypto fieri certum est. Pariunt enim in Aegypto & tres & quatuor, idq; locis nonnullis sępe fit: sed cùm plurimùm, quinque nascũtur: iam enim hoc pluribus euenisse cõspectum est: & quædam quatuor partubus viginti edidit, quinos singulis partubus enixa; maiorq́; eorũ pars enutriri, & adolescere potuit. Sic Aristoteles. Thostatus quidem certè iuxta Philosophorum & Medicorum doctrinam esse dicit, in muliebri matrice reperiri velut septem cellulas, in quibus separatim totidem fœtus & formari, & contineri vsque in partum queant.

Fœcũditas mulierũ in Aegypto ex Aristotele.

Thostatus.

Auctoris sententia, illã Hebræorũ propagationem, non absque singulari auxilio Dei esse factam.

At enimuerò, mihi sententia, quam suprà posui, B. Augustini, vehementer probatur, nec illam Hebræorum propagationem, sine præcipuo quodam & singulari auxilio & concursu Dei factam esse arbitror. Etenim quod vna & altera mulier in vna aliqua familia vel ciuitate binos aut ternos pariat, non est vltra vim & modum, & morem naturæ. At quod omnes mulieres vnius amplissimæ gentis, per duo, & eò amplius sæcula, perpetuò, quolibet partu plures ederent, vt de Hebræis traditur, id profectò & vltra fidem est, supraq; omnem naturæ potestatem. Verùm illa grauior est huius rei probatio, quòd Hebræi in summis & continuis laboribus, & afflictationibus corporis & animi, quantò magis opprimebantur, tantò magis crescebant: hoc autem contra naturalem rationẽ, & vim naturæ est: nimius enim labor & afflictatio corporis, maximè contraria est fœcunditati, & sterilitatem affert.

5. Superioris portò historiæ allegorica expositio, huiusmodi esset posset. Iacob cum duodecim filijs ingressus Aegyptum, præfigurauit Christum cum duodecim Apostolis, qui in terris prædicauit Euangelium. Et sicut ex illis duodecim filijs Iacob tãta est facta, secundùm carnem, hominum propagatio, ita ex illis Christi discipulis, innumerabilis credentium multitudo est multiplicata; vt verissimè dictum sit à Dauide, Psal mo 138. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Sic enim promissum illud Dei datum Abrahæ de multiplicando eius semine, instar pulueris terræ, completum est. Quemadmodum autem post mortem Ioseph, præcipuè atque abundanter multiplicatus est Hebræorum populus, ita post excessum Christi, fidelium Ecclesia totum per orbem dilatata est, sicut ipse prædixerat: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et alio loco: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Lege quæ in hanc sententiam disputat Augustinus in sermonibus de tempore, sermone 84.

Allegoria.

Locus Psalmi 138.

Ioan. 12.

SECVNDA DISPVTATIO.

Quisnam fuerit nouus ille rex, qui ignorans Ioseph, auctor fuit durissimæ seruitutis Hebræorum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Surrexit interea rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph: & ait ad populum suũ: ecce populus filiorũ Israel multus & fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum. *Versu 8. 9. & 10.*

6. PErobscurum est, atque idcirco, propter varias Auctorum opiniones, satis controuersum, quisnam fuerit ille rex nouus Aegypti, qui tantam afflictionem Hebræorum excitauit, effecitque.

Prima

Prima opinio Caietani fuisse regem illum Assyrium. Prima est opinio Caietani, affirmantis, regem illum non fuisse Aegyptium, neque ex familijs Aegyptiorum: siquidem Ioseph notissimus erat vniuersæ genti Aegyptiorum, vniuersisque familijs eius regni, è quibus assumebantur ad regnum. Cùm enim Ioseph per octoginta annos summa cum laude, celebrique fama rexisset Aegyptum; atque ingentium meritorum eius in Aegyptios multa extarent, eaque clarissima monumenta; non poterat eius nomen vlli regalium familiarum Aegypti esse ignotum. Fuisse igitur putat Caietanus regem illum externum, & quantum ex verbis Isaiæ cap. 52. colligi potest, fuisse Assyrium. sic enim per Isaiam eo loco dixit Deus: *In Aegyptum descendit populus meus in principio; & Assur absque vlla causa calumniatus est eum*. Rex autem, qui per dolos & calumnias in Aegypto voluit opprimere populum Hebræorū, non alius vtique fuit nisi is, de quo hic agit Moses, auctor nempe tyrannicæ seruitutis Hebræorum: Fuit igitur ille rex genere ac gente Assyrius. Ponam hîc verba Caietani. Si Iosepho creditur, ideò rex iste nouus dicitur, quia ex alia familia ortus erat, quàm fuerat ille, qui prouexerat Ioseph ad tantam dignitatem, atque illius posteri. Ex eo tamen quod ignorasse dicitur Ioseph, videtur quod non fuerit rex ille Aegyptius; Ioseph quippe notus fuerat familijs omnibus Aegyptiorum. Præseferunt autem verba Isaiæ cap. 52. quod fuerit Assyrius. sic enim ait: *In Aegyptum descendit populus meus, & Assur calumniatus est eum*. Hic sanè rex nouus est, qui oppressit absque vlla culpa populum Israël. Hæc Caietanus.

7. Verùm Caietani opinio ista, minimè est probabilis. Constat enim ex historijs, & chronicis, & monumentis rerum Aegyptiacarum, nec ante Mosem fuisse regem vllum Aegypti Assyrium, nec post Mosem, vsque ad Cābysem, secundum Persarum Monarcham, qui Assyriorū quoque imperio potiebatur: is verò mille annis post Mosem imperauit. Et verò, ratio, quæ mouit Caietanum, duplex fuit, & vtraque satis leuis & infirma. Nam quod dicitur rex ille ignorasse Ioseph, dupliciter potest accipi: vel quod plus quàm quinquaginta annorum tempore post mortem Ioseph elapso, nomē vel certè memoria rerum gestarum Ioseph, iam obliterata esset, maximè apud istum regem, qui ex diuersa erat familia; præsertim verò quia propriū est magnatum & regum, facilè, citoq; obliuisci beneficiorum ab alijs acceptorū. Vel dicitur ille ignorasse Ioseph, id est, non amasse eum, nec posteros eius, & merita eius pro nihilo duxisse: qua significatione & verbum ignorandi & cognoscēdi, non rarò vsurpatur in Scriptura.

Locus autem ille Isaiæ nihil adiuuat opinionem Caietani: illic enim secundum translationem septuaginta Interpretum, atque interpretationem B. Hieronymi aliorumq; Patrum, duplex significatur, paucissimis verbis, magna Hebræorum afflictio: prior in Aegypto, de qua in hoc loco agit Moses: altera per Assyrios, nimirum vel per regem Sennacherib, vel per Salmanasar, qui decem tribus Israël abduxit in captiuitatem, vt traditur in quarto libro Regum. Septuaginta certè Interpretes pro eo quod nos habemus in illo Isaiæ loco; *Et Assur calumniatus est eum*: ita verterunt: *Et violenter abducti sunt in Assyrios*. Quanquam Franciscus Forerius, vir doctus, super eo ipso loco Isaiæ contēdit, nomine Assur ibi vocatum esse Pharaonem regem Aegypti, propter potentiam & crudelitatem: erat enim tēporibus illis, quibus vixit Isaias, in prouerbio apud Iudæos, nomen Assur, ad denotandum hostem aliquem Iudæorum, præpotentem, præferocem, & crudelitate insignē, vt ex lectione Prophetarum apparet. *Locus Isaiæ cap. 51.* *Franciscus Forerius.*

Altera opinio est Vincentij in libro primo Speculi historialis aientis, regem illum fuisse Mephrem; cuius nono regni anno mortuus fuerit Ioseph, tuncq; cœpta est seruitus & afflictio Hebræorum. Idem tradere videtur Eusebius in Chronicis, nisi quod mortem Ioseph, & initium afflictionis Hebræorum in anno primo eius regni signat: quem regem facit quartum ex Dynastia decimaoctaua, quæ vocata est Polytanorum. At enim isti sententiæ apertè cōtradicit Scriptura in hoc loco, dicens, post mortem Ioseph, & omnium fratrum eius, & vniuersæ cognationis ipsius, & post ingentem 8. *Secūda opinio Vincentij in Speculo Historiarum, regem illum fuisse Mephrem.* *Refellitur secūda opinio.*

 mul-

multiplicationem Hebræorum, insurrexisse aduersus Iudæos regem istum nouum, qui non nouerat Ioseph. Non igitur statim post mortem Ioseph, fuit iste rex, nec incepta est seruitus Hebræorum. Leui certè, frater Ioseph, quadriennio quàm ille, grandior natu, vixisse legitur centum triginta septem annis, Exodi 6. Cum igitur Ioseph annis duntaxat centum decem vixerit, necesse est Leui superuixisse illi, tribus & viginti annis: post cuius tamen mortem excitata est illa Hebræorum vexatio.

9. *Tertia opinio, regem illum fuisse Ramessem.* Tertia opinio est quorundam, existimantium, regẽ illum fuisse Ramessem, ex eo coniecturam facientes, quòd Hebræi iussi sunt à rege ædificare duas vrbes, quarum vni nomen Ramesses inditum est; ex nomine videlicet ipsius regis, tunc dominantis. Sed isti sententiæ ratio temporum aduersatur: siquidem Ramesses, Aegypti rex, regnauit, auctore Plinio lib. 36. cap. 8. temporibus belli Troiani: id autem est, plus trecentis annis post obitum Mosis. Eusebius in Chronicis regnantem facit Ramessem in Aegypto, in ætate Deboræ & Barach Iudicum populi Hebræi, post mortem scilicet Mosis, annis amplius centum quadraginta. Cyrillus Alexandrinus libro primo contra Iulianum scribit, Ramessem in Aegypto regnasse anno centesimo vigesimo post ortum Mosis: id autem est, eo ipso anno, quo è vitis decessit Moses.

Plinius. *Eusebius.* *Cyrillus.*

Quarta opinio Gerardi Mercatoris. Quarta opinio Gerardi Mercatoris, diligentis in hac ætate Chronographi; qui in sua Chronographia, regem istũ, auctorem insectandi & opprimendi Iudæos, vocat Armesesmianum; cui assignat annos regni sexaginta sex, superque menses duos, eumq; facit regnare cœpisse quinque annis ante ortum Mosis. Hic sine dubio (inquit Gerardus) est rex ille Aegypti, qui filios Israël studuit opprimere, vt traditur Exodi 1. siquidẽ post multum temporis à fuga Mosis ob eius persecutionem, dicitur fuisse mortuus, Exod. 2. quod sanè benè conuenit cum multitudine annorum, quibus iste regnauit. Tum etiam, quia filij Israël Phithon & Ramessem ædificare coacti sunt, quorum vnum regis conditoris nomen præfert, alterum fortasse reginæ, sic Gerardus.

10. *Quinta opinio, quã sequitur Auctor, fuisse Regẽ Amenophin.* Mihi sanè non satis liquet, quo nomine, quóve numero inter Aegypti reges fuerit is, qui primus Hebræos insectari, & affligere cœperit: consideratis tamẽ omnibus auctorum sententijs, atque inter se comparatis, illa videtur minus improbabilis, quæ facit eum regem fuisse Amenophim, septimum nempe regem ex decima octaua Dynastia, quæ dicta est Polytanorum: cuius regis anno regni decimo octauo notat Eusebius in Chronicis, natum esse Mosem: afflictionem verò illam Hebræorum paucis ante ortum Mosis annis cœptam esse paulò infrà ostendemus. De isto Amenophi, sic Eusebius scribit: Amenophis Aegypti rex anno vno & triginta regnauit. Fuit autem is Amenophis seu Amenoptes, quem quidam Memnonem putant, lapidem loquentem, quippe cuius statua vsque ad Christi aduentum, sole oriente, vocem dare dicebatur. Hanc porrò ipsam, quæ nobis maximè omnium probatur, sententiam secutus est Auctor historiæ scholasticæ super librũ Exodi cap. 2. & Thostatus super primũ caput Exodi. Quanquam in eo lapsus memoria videtur Thostatus, quod idipsum sensisse putat Iosephum: quem tamen ego, nec in libro secundo Antiquitatum, nec in libris aduersus Apionem, nec alibi vspiam scriptorum suorum, id prodidisse reperio. Nominat quidem ille regem, sub quo egressi sunt Hebræi de Aegypto, eumque vocatum esse dicit Themosem, ex sententia Manethonis, vt patet ex priore libro in Apionem.

Eusebius. *Memnonis statua.* *Auctor Historiæ scholasticæ.* *Thostatus.*

11. *Cur dictus sit rex nouus.* Ceterùm quæri posset cur Moses istũ regem appellauerit nouum. *Surrexit*, inquit, *rex nouus*. Quidam eam fuisse causam istius appellationis existimant, quòd ille fuerit ex alia Dynastia, quàm fuerint alij superiores reges. Verùm istis contradicit Eusebius in Chronicis, numerans istum regem quartum in decima octaua Dynastia, quæ dicta est Polytanorum, cuius initium fuit paulò post ingressum Iacob in Aegyptum. Iosephus lib. 2. Antiquitatum, propterea nouum fuisse dicit, quòd esset ex alijs familijs, quàm superiores reges: qui, cum nepotes fuissent & posteri eius regis, qui

Ioseph

Ioseph eductum è carcere tantopere amauerat & honorauerat, fuerant, ob eius memoriam, erga Hebræos beneuoli & benefici. Hic autem rex, quod ex diuersa esset familia, nō est secutus priorum regum exempla. Vel dicitur rex nouus, ratione ingenij, consuetudinis, morum, & gubernationis. Nouitas autē gubernationis in eo erat, quòd cum superiores reges humaniter ac liberaliter tractassent Hebræos; hic primus inhumaniter, asperè, crudeliterque tractare cœpit. In quo execranda fuit eius ingratitudo. Nam vt taceam, eum moueri debuisse maximo illo beneficio, quo Ioseph vniuersam Aegyptiorum gentem affecerat, liberans eā à supremo famis exitio, quo haud dubie perijsset, nisi diuina Ioseph sapientia tanto malo esset prouisum atque subuentum; vt omittam multa alia & ingentia bona, quæ percepit Aegyptus ex optima Iosephi, per octoginta annos, gubernatione: illud certè beneficium Ioseph, quod perpetuò sentiebant reges Aegypti, à tanto scelere regem istum reuocare debuit: Ioseph enim maiorem in modum redditus vniuersos regis amplificauerat, cū in tempore famis legem tulit, quæ deinceps seruata est, vt omnium terræ prouentuum quinta pars, tributi nomine, regi solueretur, vt scriptum est in libro Genesis, cap. 47.

12. *Allegoria.* Sed quis nam fuit, secundum allegoricam intelligētiam, iste nouus rex Aegypti ignorās Ioseph, & post mortem eius affligens eius populum? Haud dubiè fuit Diabolus princeps huius mundi, & qui est rex super omnes filios superbiæ, vt ait Iob. *Iob 41.* Dicitur nouus rex, quia primus & verus noster Dominus & rex, est Deus; Diabolus est Deus alienus, & Deus nouus, sic enim appellatur in Scriptura. Audi Mosen in Cantico Deuteronomij: *Immolauerunt dæmonijs & non Deo, dijs quos ignorabant. Noui recentesq́; venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui.* *Deuteronomij 32.* & Dauid Psalmo 80. *Non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Diabolus autem ignorabat Ioseph, id est, Christum; vel quia eū oderat atque insectabatur; vel quia licet nouerit vt Messiam; non tamen vt Redemptorem mundi per mortem suā. Si enim, vt Paulus ait, cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *1. Corinth. 2.* Diabolus porrò inuidens felicitati Christianorum, cœpit vehementer eos post mortem Christi affligere, sicut rex Aegypti Hebræos post mortem Ioseph. Affligit autem Diabolus populum fidelem tripliciter: primò violenter, per decem illas Tyrannorum persecutiones: tum sapienter, id est, specie atque obtentu doctrinæ, per Philosophos & hæreticos: denique suauiter, iam parta Ecclesiæ pace, per illecebras voluptatum, & blandimenta vitiorum: quemadmodum legimus Numerorum 25. Hebræos, qui ab hostibus aperto Marte vinci non poterant, victos esse per muliebres blanditias & voluptates, consilio Balaam arioli, quod hostibus Hebræorum dederat: quamobrem cæsa sunt viginti quatuor millia hominum. Videat Lector apud Sanctum Augustinum in ser. 84. de Tempore pulchrum & vtile tractatum, huius historiæ tropologicum, & apud Rupertum lib. 1. Commentariorum in Exodum, cap. 5. *S. Augustinus. Rupertus.*

TERTIA DISPVTATIO.

Quibus rebus, quibusue causis tam atrociter atque crudeliter aduersus Hebræos incitati, efferatiq́; sint Aegyptij.

SVPER ILLIS VERBIS.

Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellū, addatur inimicis nostris, expugnatisq́; nobis egrediatur de terra. Oderantq́; filios Israël Aegyptij, & affligebant, illudentes & inuidentes eis. *Versu 10. & 13.*

TRES causas hisce verbis tangit Scriptura, quibus incensi sunt Aegyptij ad insectandos & perdendos Hebræos. Metum, Odium atque Inuidiam. Metus erat, ne propter 13.

amplitudinem gentis Hebrææ, & robur, periculum Aegyptijs ingrueret ab hostibus, si ad eos se adiungerent Hebræi. Nã & Aegyptios expugnare poterãt, illisq; debellatis ac spoliatis, deserta Aegypto, ire in terram Chanaan quam illi vehementer optabant. Permanauerat enim ad Aegyptios ex frequenti sermone Hebræorum, postquam aliquandiu commorati essent in Aegypto, maximis bonis cumulatos, profecturos inde in terram Chanaan, ipsis à Deo promissam. Et quod promiserat Deus Abrahæ, Genes 15. frequenti sermone vsurpabant. Hoc autẽ male habebat Aegyptios: quippe plurima, atque ingentia emolumenta & bona ex habitatione Hebræorũ in Aegypto, ad ipsos perueniebant. Inuidia vrebat etiam Aegyptios, vidẽtes inferiores se multis rebus esse Hebræis, eosq; triplici illo genere bonorũ, corporis, animi, & fortunæ affluere, & florere. Inuidebant nempe corporis pulchritudinem, robur, tantam sobolis propagationem, singularem animi prudentiam & solertiam, multarumq; virtutum decora, & bonorum externorum amplissimam copiam. Odium porrò Aegyptiorum aduersus Hebræos oriebatur maximè ex diuersitate religionis. Aegyptij multos deos colebant; Hebræi, vnum tantùm, ceteros omnes execrãtes. Aegyptij adorabant animalia, quod Hebræi deridebant, simulq; abominabãtur. Aegyptij nefas atque impium ducebant, interimere bouem, aut ouem, aut caprã: Hebræi hæc vulgò mactabant, tum sacrificandi, tum vescendi gratia.

Iosephus. Audi Iosephum in priori libro cõtra Apionẽ, de causa odij Aegyptiorũ erga Hebræos ita scribentẽ. Plures odij, atque inuidiæ causas habuerũt Aegyptij. Primò quidem, quia in eorum regione nostri progenitores, potẽtes effecti sunt: & inde regressi ad propria, denuò fuere felices. Verùm maximè diuersitas sacrorum, multas inter eos fecit inimicitias: tantò præstantiore nostra pietate, quàm solemnitates illorum, quantùm Dei natura animantibus ratione carentibus antecellit. Communis namque apud illos ritus est, genera quædam animalium arbitrari, & venerari vt deos; vani omnino & fatui homines, & ab initio prauis istiusmodi opinionibus assueti: & propterea nequaquam imitari nostram, plenam veritatis & honestatis & decentiæ, religionẽ potuere: videntesq; quod multi nostram æmularentur cõuersationem, inuidiam habuerunt, &c. sic Iosephus. Idẽ lib. 2. Antiquitatum, strictim exponit supradictas tres causas, his adiũgens quartam valde memorabilem; ait enim, eo tẽpore quendam vatem Aegyptiũ, scribam sacrorum, quorum hominũ vaticinijs, certam fidẽ habebant Aegyptij, prædixisse, breui fore, vt ex Hebræis quidam oriretur, qui si adolesceret, imperium Aegyptiorum euerteret; res autem Hebræorũ mirandum in modum promoueret, ac prosperaret. Hoc igitur vaticinio perterritum regem, ingẽtem illam Hebræorum insectationis ac vexationis flammam excitasse. Ponã hîc verba Iosephi, quæ sic habent: Aegyptij, gens delicata, & ad laborem segnis, voluptatibus tantùm, & captandis vndequaq; lucris dedita, male volebat Hebræis, quòd per inuidiam ferre æquo animo illorum felicitatem non poterat. *Iosephus.* Videntes gentem Hebræorum florere, & opibus, labore, atque industria quæsitis abundare, non satis tuta sibi eorum incrementa existimauerunt. Cum itaque iam Iosephi beneficiorum memoriam tempus obliterasset, regnumque Aegypti in aliam familiam translatum esset, inhumanè tractabant Hebræos, & varijs laboribus atterebant. Exortum est deinde aliud quiddam, cur genus nostrum magis etiam cuperẽt extinctum; quidam ex eo genere hominum, quos gens illa vocat Sacrorum Scribas, quorumq; prædictionibus plurimũ tribuit, prænunciauit regi, nasciturum per id tẽpus apud Israëlitas quendam, res Aegyptiorum aliquando grauiter afflicturũ: Hebræorum contrà aucturum, si modò ad ætatem adultam perueniret; nam & virtute fore præcellentissimum, & gloria, per omne æuum, celeberrimum. Quo terrore percitus rex, edicit, ex ipsius monitoris sententia, quicquid masculini sexus inter Hebræos nasceretur, in flumen proijci; atque ita gentem Hebræam sensim, & per astum deleri. Sic Iosephus.

QVAR-

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 13.

Oderantque filios Israel Aegyptij.

14. CAVSAM super istis verbis dubitandi, disputandique dedit, quod dixit sanctus Propheta Dauid in *Locus Psal. 104.* Psalmo 104 memorás cursum hanc ipsam historiam Exodi: *Et auxit*, inquit, *populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius. Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius*. Si enim Deus conuertit, id est, inclinauit & incitauit cor Aegyptiorum in odium Hebræorũ, neque Aegyptij peccauerunt, prosequẽtes odio Hebræos, quippe qui, Deo incitatore, id fecerunt; nec tale odium pro peccato haberi debet, aut obnoxium reprehensioni esse potest; non enim Deus auctor mali esse potest. Videt Lector, omne disputationis ac difficultatis momentum in eo esse, vt probè intelligatur, quemadmodum verè Deus conuerterit cor Aegyptiorum in odiũ Hebræorum, & nihilominus tamen tale odium fuerit iniustum atque execrandum, nec eius auctor fuerit Deus. Ego primum exponam, quemadmodum locum illũ Dauidis, & veteres, & recentiores commemoratione digni Auctores explanarint. *S. Augustinus.* S. Augustinus super eo loco ad hunc modum differit, Nunquid intelligendum & credendum, Deum cor hominis ad facienda peccata conuertere? An peccatum non est, vel paruum peccatum est, odisse populum Dei, & dolum facere in seruos Dei? Quis hoc dixerit? Num igitur istorum tam grauium peccatorum auctor est Deus, qui nullius vel leuissimi peccati auctor credendus *Psal. 106.* est? Quis sapiens, & intelliget hæc? Nam ipse est illa admirabilis bonitas, per quã bene vtitur etiam malis, vel Angelis, vel hominibus. Cùm enim vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit; non enim antequam odissent populum eius, boni erant, sed maligni & impij cum essent, facile incolis suis felicibus inuiderunt In eo ergò quod populum suũ multiplicauit, hoc beneficio suo malos ad inuidendum conuertit: inuidia enim est odiũ felicitatis alienæ. Non itaque cor illorũ malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum, sponte malũ, conuertit ad odium. Non enim illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillimè possent inuidere, largiẽdo, incitasse dicitur ad odium Quo tamẽ illorum odio, & ad exercitationem populi sui, & ad gloriã nominis sui, quo modo Deus sit vsus, consequentia docent, quę in eius laude cõmemorantur, cum cantatur Alleluia. Sic Augustinus. Cuius summa disputationis, & sententiæ, hæc est; Dici Deum conuertisse, vel mutasse cor Aegyptiorum in odiũ Hebræorum, non per se, quasi tale odiũ infundendo illis, & efficienter, ad id voluntatem eorum inclinando; sed per accidens, & per occasionẽ ab illis male acceptam: prosperitas enim quã tribuit Hebræis, mouit Aegyptios ad odium, & inuidiam Hebræorum. Theodoretus super illo eodem loco Psalmi sic exponit: Non quod *Theodoretus.* Deus Aegyptiorum mẽtem mutauerit; sed quòd eorũ libero arbitrio locũ dederit, eorumq; insidias minimè prohibuerit: eo nimirum consilio, vt eos, qui insidias patiebantur, superiores insidiantibus ostẽderet. Hæc Theodoretus Qui verbum illud (conuertit) non effectiuè, sed permissiuè interpretatur: permisit enim Deus, vt & odirent populum suũ, & valde affligerent, ad tempus, vt inde maior diuini nominis gloria, & vtilitas, ac felicitas Hebræorum existeret.

Rupertus lib. 1. Commentariorum in Exodum, cap. 5. tractans illũ ipsum Psalmi locum: Nunquid, inquit, hoc dicẽs Dauid, odiẽtes Aegyptios iustificat, aut odiũ eorum excusat? Non vtique, sed nimiũ peccatores fuisse indicat, quos tales Deus inueniret, vt ex conspectis beneficijs suis, cor eorum, in odiũ seruorũ suorum conuerteretur. Non enim Deus cor eorũ de malo in malum conuertit: aut de bono fecit malum: sed conuertit cor eorũ in odium: quemadmodum sol molle lutum conuertit in durum. Nam lutosam illorũ gratiam, in qua dudũ Hebræos exceperãt propter Ioseph, feliciũ aduenarum ita splendor vssit, vt in odij 15. *Rupertus.*

duritiam

duritiam conuerteret, & meritā illis pœnam Deus retribueret. Nam quia nō solùm non compatiendo, verùm etiam illudendo affligebant Hebræos, idcirco, quemadmodū illa luti & lateris opera, quæ cogebantur ab ipsis facere Hebræi, prius mollia, deinde coquente igne fiebāt dura: sic eorum corda terrena paulatim indurabantur impœnitētia. Sic Rupertus: cuius sentētia videtur esse, similiter Deum dici conuertisse corda Aegyptiorū in odium Hebræorum, vt sæpius dicitur in libro Exodi, indurasse cor Pharaonis, operādo videlicet multa circa ipsum extrinsecus & intrinsecus, per quæ ille, vitio suo, magis ac magis induraretur, & Aegyptij vehementius in odium Hebræorum inflammarentur: ex eorum prosperitate, inuidiæ atque odij causas animo concipientes.

16. *Euthymi⁹.* Euthymius explanans verba illa Dauidis, sic legit eum locum: *Conuertit cor eius, vt odio haberet populum eius.* Et sic exponit, cor scilicet Pharaonis, non illius qui amabat Ioseph, sed alterius, qui eū non nouerat. Indurauit enim Deus cor Pharaonis, hoc est, obdurari permisit, vt scilicet afflicti Hebræi, & odio habiti ab Aegyptijs, maiore animi ardore ad egrediendum ex Aegypto, contenderent, & acerbissimam Aegyptiorū oppressionē euaderent. Sic ille. Vult igitur Euthymius illud verbum, *Conuertit*, habere in illo loco significationem diuinę permissionis, non autem affectionis. *Caietanus in Psalm. 104.* Caietanus ita sensit: Conuertit Deus cor Aegyptiorum in odium, non incitādo ad odium; Deus enim non est incitator ad peccatum, sed subtrahendo gratiam, & permissiuè. *Iāsenius in eundē Psal mum.* Similis est interpretatio Iansenij: Quoniā, inquit, Deus, insigni miraculo, Hebræos ex Aegypto liberare, suāque in eorum liberatione potētiam declarare omnibus voluit; nec id fieri poterat, nisi illis antea afflictis, & vehemēter oppressis: idcirco incitari permisit animos Aegyptiorū, vt odio prosequerentur Hebræos, quos antea fecerat per Ioseph ab illis amari. Mutauit autē dico eorū animos, non incitando ad odium, sed affectum dilectionis, quem antea dederat, subtrahendo, & odij occasiones apponendo, atque permittendo, vt in odium eorum conuerterentur. Sic ille. A quo proximè distat, si tamen distat, Genebrardi expositio, quæ est huiusmo- *Genebrardus in eundem Psal. 104.* di: Piæ bonorū copia, quibus Hebræos afficiebat, cōuertit Aegyptios in odium Hebræorum; non infundendo eorū animis odium, sed multiplicando, & prosperando Hebræos, quibus Aegyptij inuidebant; ita vt insignis Dei erga Hebræos beneficentia prouocaret inuidiā Aegyptiorum. Ergo Deus hîc significatur causa odij non per se, nec propriè, nec efficienter; sed per accidens, & per consecutionem, & per occasionē. Nonnulli tamen Rabbinorum, præter verbi consuetudinem, exponunt intransitiuè, quasi illud *Conuertit cor eorum*, dictum sit pro *conuersum est cor eorum.*

Ex superioribus interpretationibus manifestū sit Lectori, in illo Dauidis lo- 17. *Auctoris sententia.* co verbum illud *Conuertit:* nō esse propriè positū pro eo quod est, *inclinauit, & efficienter mutauit eorum cor:* sic enim Deus fuisset causa illius odij, nec illud odiū, iniustum & culpandū fuisset, vt pote factum incitatore, auctoreq; Deo: sed ibi verbum, *conuertit*, positum est figuratè; quo tamē modo frequenter in Scriptura & verbū istud, & alia similia, quæ denotant efficientiam mali cuiuspiam, attribui solent Deo: vti sunt, Indurare cor hominis, excœcare, decipere: Explicātur enim ista quadrupliciter: vel permissiuè, quod cū Deus prohibere posset, non prohibeat, sed fieri permittat: vel subtractiuè, quòd subtrahat gratiā suā, qua remota, existāt illa mala: vel occasionaliter, quòd multa operetur Deus, ex quibus homines improbi, peiores euadant: vel denique dispositiuè, & ordinatiuè, quod ita fieri permittat, vt ea tamē mala in maximum à se intentū bonum ordinet. His addi potest, quod nos in quarto Tomo Cōmentariorum nostrorum in Genesim super caput 43. ad numerū marginalem quartū adnotauimus super illis verbis, quæ dixit Iacob filijs suis: *In meam hoc fecistis miseriā.* Scripturā non rarò sequi vulgarē consuetudinē loquendi. Habet autē hoc communis & vulgata cōsuetudo loquendi, vt cum ex facto alicuius personæ aliquid euenit, etiāsi pręter consiliū & voluntatē eius, id tamē vulgò credatur, & dicatur esse factū ab illa persona, nō secus ac si illud voluis-

voluisset ac designasset. Quoniam igitur Deus omni genere bonorum cumulauerat atque ornauerat Hebræos, & multò superiores Aegyptijs fecerat; ex eo autem in animis Aegyptiorum ingens odium aduersus Hebræos exarsit, idque fore prænouerat Deus; idcirco dicitur Deus secundum istiusmodi vulgarem loquendi morem, auctor eius odij: & quia prius, viuente Ioseph, excitauerat in Aegyptiorum animis affectum beneuolentiæ, humanitatis, & benignitatis erga Hebræos; post mortem autem Ioseph talem affectum subtraxit, & in eius locum successit odium Aegyptiorum, propterea dicitur conuertisse illorum cor, à beneuolentia videlicet, ad odium. Verùm de hoc satis, & pergamus ad alia.

QVINTA DISPVTATIO.

De seruitute Hebræorum, quàm ea fuerit laboriosa, & aspera, & planè tyramica.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 11. Præposuit eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: ædificaueruntque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom & Ramesses, &c.

12. QVAM fuerit dura, & acerba, atque intolerabilis seruitus illa Hebræorum in Aegypto, distinctius & apertius duo Hebræorum antiquissimi, & doctissimi scriptores declararunt, Philo, & Iosephus. Ille quidē in primo libro de vita Mosis ita scribit: *Philo.* Hebræos, qui relictis patrijs sedibus, in Aegyptum se cōtulerant, vt eam securè incolerent, tāquam alteram patriam, rex indigna seruitute subiugabat, quasi iure belli captos, aut emptos de lapide; cogebatque ad opera seruilia homines, non solum ingenuos, verumetiā hospites, supplices, inquilinos; nihil veritus numen, cui exosæ sunt id genus iniuriæ. Adhæc, imperabat eis grauiora quàm ferre possent, alios super alios labores cumulans. Si quis labori, ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxæ iudicabatur. Operibus preerat immitissimus quisque atq; crudelissimus, quos exactores operum appellabant, ab hoc officio. Operabantur autem, partim lutum formando in lateres, partim comportando paleas: nam paleis cohærent lateres. Alij iussi sunt publica & priuata ædificia extruere, fossasque fodere, dies noctesque conuehendo materiam sine intermissione: nec tātisper permissi quiescere, dum somno se reficerent. Et ipsi ministrorum simul & opificum præstabant operas, vt breui, primùm animi, mox & corpora deficerent. Itaque alij post alios emoriebantur pestilentia: quos insepultos proijciebant extra terminos, nec humo sinentes corpora tegi; nec lacrymis cognatos aut amicos tam miserè mortuos prosequi: adeò, etiam affectibus animi, quos penè solos natura fecit liberos, iugum imponebant homines impij, premendo eos necessitate prauissima. Sic Philo.

Iosephus. Similia fermè Iosephus, sed pressius. Cum iam, inquit, beneficiorum Ioseph in Aegyptios memoriam tempus obliterasset, regnumque Aegypti in aliam familiam demigrasset, inhumanè tractabant Hebręos, & varijs laboribus cōterebant. Nam & flumen in multas fossas diducere sunt iussi; & mœnia exædificare, & aggeres construere, quibus inūdationes fluminis arcerētur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram, cogendo varias artes ediscere; & laboribus ferendis assuescere. Atque in hunc modum per quadringentos annos laboratū est. Aegyptijs id agentibus, vt Hebræos nimio labore perderent; nostris, cōtra omnes difficultates, eluctari conantibus. Hæc Iosephus. Apud Eusebium libro nono de præparatione Euangelica, Eupolemus, nobilis & vetus scriptor, prodidit, regem istum Aegypti, præter alia, quibus Hebræos affligebat, imperasse, diuersa Hebræos veste, quàm Aegyptios indui, vt ita facile dignoscerentur, & tanquam impij despicerentur, & impunè ab omnibus vexarentur: Verùm propter huiusmodi tyrannicam oppressionem, regem illum elephantiaco morbo cruciatum interijsse. Sic ille.

Hebræi in Aegypto cō struxerunt Pyramides illas celebres.

Eupolemus apud Eusebium.

Hebræi diuersa, quā Aegyptij veste vti sunt coacti.

Cęterùm

19. Cæterùm sacra Scriptura duritiem & asperitatem, atque immanitatem illius seruitutis, paucis quidem verbis, sed grauissimis atque significantissimis demonstrauit. Nam in hoc capite sic ait: *Oderant filios Israel Aegyptij & affligebant illudentes eis; atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti, & lateris, omniq; famulatu, quo in terra operibus premebantur. Dixitq; rex Aegypti obstetricibus Hebræorum: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tēpus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum; si fœmina, reseruate. Præcepit quoque Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite; quicquid fœminini, reseruate.* Hæc in primo capite Exodi: in quinto verò capite hæc traduntur: *Egressi præfecti operum, & exactores, dixerunt ad populum: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas: ite, & colligite sicubi inuenire poteritis, nec minuetur quicquam de opere vestro. Dispersusque est populus per omnem terram Aegypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant dicentes: Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis; occurrerūtq; Mosi & Aaron, & dixerunt ad eos: Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis eis gladium vt occideret nos.* In libro autem Leuitici, sic est: *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis recti.* Et in Deuteronom. cap. 4. *Vos,* inquit Moses, *tulit Dominus & eduxit de fornace ferrea Aegypti.* Idemq; docet Salomon 3. Reg. cap. 8. & Hieremias cap. 10. Ex his Scripturæ verbis, meridiana luce clarius est, quàm fuerit seruitus illa inhumana, & omnino tyrannica.

20. *Quæstio cur vocentur vrbes Tabernaculorum.* *Thostatus.* Verùm super illis vrbibus, quas in tēpore seruitutis ædificatas esse ab Hebræis, memorat hoc loco Scriptura, tres quæstiones existūt. Primùm enim quæritur, cur Latinus interpres appellauerit illas vrbes Tabernaculorum. Thostatus duas reddit rationes; Sic enim, inquit, appellatę sunt, quòd in illis morarentur custodes regni, inde iussi à rege speculari, quinam extrinsecus in Aegyptum ingrederentur, & an Hebræi inde effugerent: erant enim illæ vrbes in terra Gessen, quam habitabant Hebræi, quæ erat in extremitate Aegypti. Vel dictæ sunt vrbes tabernaculorum, quia in illis ædificarunt Palatia, & domos regias Pharaoni, quæ vulgo appellarentur, Tabernacula regis: quod verbū hebręū Latinus Interpres in primo Paralip c. 8 vertit arces & præsidia, siue vrbes munitas. Lyranus ait, secundum proprietatē linguæ hebręæ, significari vrbes Thesaurorum: & sic appellatas, quòd adeò essent munitæ & tutæ, vt in illis thesauri regij tutò cōdi & custodiri possent. At secundùm Hebræos, cum thesauri & opes Aegyptiorum præcipuè constarent abūdantia tritici, vocabantur vrbes thesaurorum, quòd in illis fabricata essent horrea & granaria amplissima, in quibus plurimum frumenti recondi, & asseruari posset. *Lyranus.*

21. Hebræum sanè vocabulum (*Mischenot*) plerique huius ætatis hebraizantiū interpretati sunt non *Tabernaculorum* vt Latinus interpres, sed *Thesaurorum*; alij verterūnt *vrbes munitas, siue propugnacula*, alij verò aliter. Eugubinus verò super illo vocabulo, tale quoddam est adnotamentum in hunc locum Exodi: Quanquàm, inquit, hebraica vox tabernaculum significat; accipitur tamen hic non pro tabernaculis, sed pro arcibus & præsidijs. Quam potissimum significationem secuti LXX. Interpretes, ita verterūnt hunc locum: *Aedificarunt vrbes munitas:* eodemque modo idem vocabulum alibi vertit Hieronymus: Nam in primo libro Paralipomenon, cap. 8. interpretatus est *ciuitates munitissimas*. Itaque Hebræi ad labores & onera coacti, arces munitissimas, tutissimaque pręsidia ædificarunt Pharaoni: quem morem, hodie quoq; seruāt Principes, qui rusticos ad construenda mœnia & propugnacula cogunt. Quod autem tradit Lyranus, hebraicè haberi *vrbes Thesaurorum*, clarum est esse falsum: est enim textus hebraicus ita vt vertit Hieronymus; sed tabernacula ab Hebræis, etiam præsidia atque arces vocantur. Confirmatur id etiam auctoritate Philonis ita scribentis; Iudæi autem ad vrbes & domos, *Eugubinus.* *Philo.*

mos,

mos, mœniaque ædificanda à rege able gati sunt. Sic Eugubinus.

22. *Oleaster.* At verò secus Oleaster, qui legēs hoc loco: *Vrbes Thesaurorum*, notationem super eo subdit huiusmodi: Nomen hebraicum *(Mischenot)* id est, Thesaurorum quod hîc ponitur, est à verbo *(Sachan)* quod significat claudere siue includere, atque etiam occultare. Vnde *(Sochan)* id est, inclusor, seu thesaurarius, siue custos, vt Isai. 22. *Ingredere ad Asochen*, id est, ad Custodem, seu Thesaurarium hunc. Sic Psalm. 139. vbi nostri vertunt; *Et omnes vias meas proficere fecisti*. Tu verte, Inclusisti, seu clausisti, vt amplius nō valeam incedere. Est igitur sensus huius loci Exodi: Quòd Iudæi ędificarunt Aegyptijs vrbes ad includendum, siue thesauros, siue arma, siue quiduis aliud. Posset etiam, salua propria vocabuli significatione, esse hic sensus: Et ædificarunt vrbes inclusionum, id est, muris inclusas, seu muratas. Hactenus ex Oleastro.

23. Altera quæstio est: Cum hoc loco Latina Lectio, & item Scriptura hebraica, nec non & Paraphrasis Chaldaica, duas tantùm memorent vrbes tūc ædificatas ab Hebręis, Phithon & Ramesses: translatio LXX. Interpretum, istis duabus addit tertiam, quam vocat Hebraicè On, Græcè autem Heliopolim. Sic enim habet in hoc loco translatio LXX. Interpretum: *Et ædificauerunt filij Israël ciuitates munitas Pharaoni Phithon & Ramesses, & On, quæ est Heliopolis*. Quæritur an istud additamētum tertiæ vrbis factum à LXX. Interpretibus, sit probabile. S. Hieronymus non obscurè carpsit istiusmodi lectionem LXX. Interpretum, ita scribens in libro de locis Hebraicis: On, vrbs est in Aegypto, quæ Heliopolis græcè dicitur, id est, Ciuitas solis, quā ædificauerunt filij Israël, sicut LXX. Interpretes arbitrantur. Alioqui id in Hebræis voluminibus non habetur; & rectè profectò: siquidem antequam Iacob ingrederetur in Aegyptum, iam erat extructa ista ciuitas, quæ & sacerdotem habuit Petephren patrem Aseneth, vxoris Ioseph. Hoc modo Hieronymus. Et verò, mirum videri posset, LXX. Interpretes posuisse in hoc loco Exodi, vrbem Heliopolim fuisse ab Hebræis in tempore seruitutis ædificatam, cum ipsimet in libro Genes. c. 41. posuerint socerum Ioseph fuisse sacerdotem Heliopoleos. Nisi fortè aut duæ in Aegypto fuerint eiusdem illius nominis vrbes; aut illa ipsa vrbs fuerit prius casu aliquo euersa, & postea denuò Hebræorum laboribus refecta.

Secunda quæstio, An probabilis sit translatio LXX. Interpretū qua hoc loco tres vrbes memorat ab Hebrais ædificatas.

S. Hieronymus.

Similem habet dubitationem vrbs Ramesses, quæ dicitur hoc loco fuisse ab Hebræis ædificata: siquidem in libro Genesis cap. 47. scriptum est, Ioseph dedisse patri & fratribus suis habitationē & possessionem in Aegypto, in optimo terræ solo Ramesses. Thostatus hanc dubitationem sic enodat: Proculdubio vrbem Ramesses fuisse ab Hebræis tempore seruitutis ædificatam, vt hîc dicitur, nec fuisse eo tempore, quo Ioseph intrauit Aegyptum, fuisse tamen in loco illo Genesis nominatam à Mose, per Anticipationem: quippe librum Genesis creditur Moses scripsisse post egressum Hebræorum ex Aegypto, quo tempore iam fuerat ea vrbs ædificata, eratque Hebræis notissima: vt verba illa hanc reddant sententiam: Ioseph dedit suis ad habitandum, optimam terræ Gessen partem, quæ nunc Ramesses vocatur, ex nomine ciuitatis, quam ibi postea ædificarunt Hebræi. S. Hieronymus in libro de Locis Hebraicis, Ramesse, inquit, vrbs est, quam ædificauerūt filij Israël in Aegypto: olim autem, & vniuersa prouincia sic vocabatur, in qua habitauit Iacob vnà cum liberis suis. sic Hieronymus. Videtur autem significare, prius prouinciam illam fuisse appellatam Ramesse, & inde postea vrbem inibi ædificatam, eodem nomine vocatam esse.

24. *An vrbs Ramesses fuerit in Aegypto etiā ante ingressū Hebræorum, vt significatur Genesis 47. Thostatus.*

S. Hieronymus.

SEXTA DISPVTATIO.

Quamdiu seruitus illa Hebræorum in Aegypto durauerit.

TRES video esse super ea re auctorum sententias. Prima est Iosephi in libro 2. Antiquitatum affirmantis, Hebræos laborasse in illa seruitute per annos quadringentos. Ductus fortasse Iosephus est in eam opinionē ijs verbis, quibus prædixit Deus Abrahæ, 25. *Prima opinio Iosephi.*

Abrahæ, vt legitur Genes. 15. fore vt semen eius peregrinaretur in terra nō sua & seruiret, & affligeretur annis quadringentis; quod sine dubio de seruitute & afflictione Aegyptiaca intelligendū est. Verùm de isto loco Genesis paulò infra dicturi sumus. Opinio certè ista Iosephi duplici nomine reprehendenda est, tum quod manifestè aduersetur diuinæ Scripturæ; tum quòd in ea Iosephus sibi ipse repugnet. Scriptura tradit in hoc primo capite Exodi, seruitutem illam esse cœptam post mortem Ioseph: eadem in capite 12. Exodi habet, Hebręos habitasse in Aegypto per annos quadringentos triginta. Ergo si seruitus illa durasset quadringentis annis, vt ait Iosephus, necessum esset, fuisse incœptam quadraginta annis ante mortem Ioseph, quippe qui septuaginta annis vixit post ingressum Iacob in Aegyptū. Deinde Iosephus hāc suam opinionem funditus ipsemet euertit paulò infra in eodem 2. libro Antiquitatum, vbi notat tempus egressionis Hebræorum ex Aegypto: ait enim Hebræos, duce Mose egressos esse ex Aegypto, anno ducentesimo decimo quinto post ingressum Iacob in Aegyptum. Si igitur seruitus illa durasset quadringentis annis, inde cōcluderetur, Hebræos seruire cœpisse in Aegypto, annis cētū octogintaquinque, antequam intrassent Aegyptū, quo quid absurdius, & insulsius dici potest?

26. *Secūda sententia Eusebij.* Altera est sententia Eusebij in Chronicis, definientis illam seruitutem centum quadraginta quatuor annis: facit enim initium eius seruitutis à morte Ioseph, à qua vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto centum quadraginta quatuor anni computantur. Eusebij verba hæc sunt: *Genes. 50.* Ioseph moritur anno centesimo decimo: post cuius interitum Hebræi in Aegypto seruierunt, annis centum quadraginta quatuor: fuerunt autem in Aegypto annis ducentis quindecim, qui ab eo tempore computantur, quo Iacob cum filijs suis descendit in Aegyptum. Sic Eusebius. Cuius opinio minimè consentit, cum narratione Mosis in hoc loco: vbi apertis verbis tradit, incœptam esse seruitutem Hebræorum non solum post mortem Ioseph, verùm etiam post mortem omnium fratrum eius. Quorum fratrū tertius natu Leui, quadriennio natus est ante Ioseph, vixit autem 137. annis, vt dicitur Exodi 6. Cum igitur Ioseph decem tantùm & centū annis vixerit, consequens est, Leui annis viginti tribus superuixisse Ioseph, & post eius mortem initiū seruitutis Hebræorū in Aegypto esse factum: nec vltra centū viginti annos seruitutem illam extendi potuisse.

27. *Tertia opinio Hebræorum.* Tertia est opinio Hebręorū, quam ipsi tradūt & exponūt in sua maiori Chronologia, hebraicè appellata (Seder Olā Rabba) quam Latinam fecit Genebrardus; eam verò tradunt hisce verbis: Mortuus est Ioseph, & cuncti eius fratres; & mortuus est Ioseph anno centesimo decimo. Nec est, qui minus diu vixerit inter omnes fratres eius: quemadmodum nullus est, qui inter eos diutius vixerit, quàm Leui. Quamdiu autem vixit Leui, Israëlitæ non sunt, oppressi seruitute Aegyptiorum: nam scriptum est Exodi primo, post mortem Ioseph, & omnium fratrum eius, regem nouum surrexisse, qui non cognouit Ioseph. Postquā verò Leui è viuis excessit, cœperunt Aegyptij seruituti eos subijcere. Et hinc manauit inter Hebræos prouerbium: Vno fratre mortuo, dolent cūcti fratres; & vno sociorum defuncto, dolet vniuersa societas. Numerantur porrò anni ab obitu Leui ad exitum Israëlis de Aegypto cētum sexdecim. Proinde seruitus Aegyptiaca nec plus nec minus octoginta septem annis durauit; quantus fuit videlicet, annorum Mariæ sororis Mosis numerus, quæ nata est eo ipso anno, quo cœpta est seruitus: & idcirco appellata est Maria, ab amarore, quem tota ipsius ętate senserunt Hebræi. Atque hæc est opinio Hebræorum, quam satis esse verisimilē, ex ijs, quæ mox dicemus, elucebit. *Excutitur opinio Hebræorum.*

Quamquam ista opinio Hebræorum dupliciter corrigēda est. Primùm enim ab obitu Leui vsque ad exitū Hebræorum, computant annos duntaxat cētum sexdecim, cum sint computādi centum viginti duo. Manserunt enim Hebræi in Aegypto ducētis quindecim annis: Leui autem post ingressum Iacob in Aegyptum, vixit nonaginta tribus annis: quare ab eius morte vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, reliqui fuerunt anni

anni centum viginti duo. Verùm hic error Hebræorum, ex alio manauit eorũdem errore: falsò enim putarunt, Hebræos mansisse tantùm in Aegypto per annos ducentos decem; quam eorum opinionem etiam Lyranus & Caietanus, alijq; secuti sunt: contra quos disputauimus in tertio Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, super caput 15. Disputat. 16. ad numerum marginalem 71. Deinde cum Hebræi facere videantur initium illius seruitutis ab obitu Leui; eam tamen definiunt annis tantùm septem & octoginta: cum ab obitu Leui ad egressum Hebræorũ de Aegypto, ipsi recẽseant centum sexdecim annos; sed reuera centum viginti duo computandi sint.

28. *Auctoris sententia.* Ego meam quoque super ista re opinionem breuiter indicabo Lectori. Triplici via & ratione inuestigari, & comprehendi potest, quamdiu durauerit illa seruitus, & quando incœperit. Ac primò quidem seruitus illa non potuit excedere centum quadraginta quatuor annos: tot enim fuerunt à morte Ioseph, vsque ad exitum ex Aegypto: seruitus autem illa cœpta est, vt ait Scriptura, post mortem Ioseph. Deinde, minorem fuisse eam cẽtum viginti duobus annis, ex eo liquet, quod cœpta est illa seruitus post mortem omnium fratrum Ioseph; inter quos Leui, (qui vixit centum triginta septem annis, & quadriennio maior natu erat quàm Ioseph) post mortem Ioseph vixit annis viginti tribus: quos si demas ex superioribus centum quadraginta quatuor, restant centum & viginti vnus. Adhæc, illa seruitus non modò cœpit post mortem Ioseph, & fratrum eius; verùm etiam, vt Scriptura dicit in hoc capite, post mortẽ vniuersæ cognationis eius; illius, inquam, cognationis, quæ vnà cũ Iacob intrauerat Aegyptum, id est, mortuis etiam filijs fratrum Ioseph, qui cũ patribus suis ingressi fuerunt Aegyptũ. Sumamus igitur vnum ex illis, exempli causa, Phares filium Iuda, qui ingressus est cum patre suo in Aegyptum, Genes. 46. & natus est vno anno ante ingressum Iacob in Aegyptum, vt probatum à nobis est in quarto Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, super caput 38. ad numerum marginalem 4. Hic igitur Phares primo ætatis anno ingressus Aegyptum, vixisse creditur non minus centum triginta annis; idq; satis verisimile est: talis enim longinquitas vitæ, id temporis frequens erat: Leui enim, qui patruus fuerat ipsius Phares, vixit centum triginta septem annis; & Chaath filius Leui, & consobrinus Phares, vixit centum triginta tribus; & Amram filius ipsius Chaath, & multò posterior natu quàm Phares, vixit centum triginta septem annis. Sic enim de istis tribus proditum est in libro Exodi cap. 6. Ergo si seruitus illa incœpit post mortem Phares, vt indicat Scriptura; is autem post ingressum Iacob in Aegyptum, vixit ibi centum triginta annis, non restant ab eius obitu vsque ad exitũ Hebræorũ ex Aegypto, amplius quàm octoginta quinque anni, quos illi seruituti assignare possimus. Quocirca supradicta Hebræorũ opinio, determinantiũ illã seruitutẽ annis octoginta septem, ex his, quæ disputauimus, admodum probabilis esse cõcluditur.

Sed vnus etiámnum restat hoc loco scrupulus, quem inijcit supradictus ille locus Genesis, cap. 15. vbi Deus prædixit fore, vt Hebræi seruirent, & affligerentur quadringentis annis. Verùm nos istam difficultatem explicatissimè tractauimus in tertio Tomo Commentariorũ nostrorum in Genesim, super illud ipsum caput 15. Disputat. 6. ad numerum marginalem 72. Quapropter ad præsens breuissimè dicimus, in illis verbis Domini dictis ad Abraham, tria contineri: quorum vnum est, peregrinatio seminis Abrahæ in terra non sua; alterum seruitus; tertium afflictio. Tempus itaque illorum quadringentorum annorũ non competit in quodlibet illorum triũ disiunctè ac separatim, sed in tria illa coniunctè; quòd illa tria euentura essent & complenda, intra spatium quadringentorum annorum. Ergo sensus illorum verborum Domini ad Abraham, hic est; semen tuum, priusquam veniat ad possidendum terram Chanaan, tibi & illi promissam, transiget quadringentos annos: in quo temporis spatio, & peregrinabitur in terra aliena; & aliquandiu etiam dura seruitute affligetur. 29. *Locus Genesis cap. 15.*

SE-

SEPTIMA DISPVTATIO.

Cur Deus populum suum tam aspera & longa seruitute premi & affligari passus sit.

30. *Thostatus.* THOSTATVS Quæstione 7. in primũ caput Exodi, causam reddit huiusmodi. Hebræi propter diutinã cum Aegyptijs conuersationem & consuetudinem, etiam superstitionibus eorum fuerant implicati atque infecti, & multiplicem illorũ Idololatriam didicerant atque coluerant. Propter hoc igitur Idololatriæ peccatum, quod est grauissimum maximeque Deo exosum, rectissimè permissum à Deo est, Hebræos tam durè, & tam diu vexari ab Aegyptijs. Quod autem Hebræi in Aegypto studuerint idololatriç, probatur tripliciter. Etenim statim vt egressi sunt ex Aegypto, quo tẽpore ad montem Sinai cõstiterunt, prolapsi sunt in Aegyptiacam idololatriam, pro Deo adorantes vitulum: more videlicet Aegyptiorum adorantium bouem, vocatũ Apim. Deinde, post id temporis fuisse procliuissimos ad idololatriã Hebræos, atque in eam sæpissimè lapsos, in sacra Scriptura multifariam testatum est: id autem propterea eis accidit, quod ab initio, dum versarentur in Aegypto, idololatrijs Aegyptiorum imbuti & assueti fuerant: nam vt Poëta ille dixit:

An Hebræi in Aegypto studuerint Idololatriæ.

Exodi 32.

Horatius. *Quo semel est imbuta recens, seruabit odorẽ Testa diu.*

Sed hoc ipsum validè confirmatur auctoritate Ezechielis; per quem Deus exprobrat Hebræo populo idololatriã ab eo commissam in Aegypto, per quandã similitudinem mulieris in adolescentia sua fornicantis. Verba Domini apud Ezechielem, cap. 23. huiusmodi sunt: *Et factus est sermo Domini ad me dicens: Fili hominis, duæ mulieres filiæ vnius matris fuerunt, & fornicatæ sunt in Aegypto in adolescentia sua.* Et infrà: *Multiplicauit fornicationes suas, recordans dies adolescentiæ suæ, quibus fornicata est in Aegypto.* Et proximè infrà: *Visitasti scelus adolescentiæ tuæ, quando subacta sunt in Aegypto vbera tua, & confracta sunt mammæ pubertatis tuæ.* Hæc verba perspicuè indicant Hebræum populum in Aegypto studuisse ac seruisse idololatriæ.

Locus Ezechielis, cap. 23.

Atque in hanc sententiam locum istũ Ezechielis explanat S. Hieronymus, ita scribens: Duæ istæ mulieres, Samaria sunt & Hierusalem, quæ fuerunt vnius matris filiæ, in Israel stirpe generatæ, & fornicatæ sunt in Aegypto in adolescẽtia sua: neque enim statim eductæ de Aegypto accepissent legem in monte Sinai, tam seuerè eis prohibentẽ venerari idola, nisi in Aegypto fuissent Aegyptiaca portenta veneratæ. Sic Hieronymus. Consimili ratione exponit Theodoretus: Patres, inquit, Hebræorum, Abraham, & Isaac, & Iacob pietate splenduerunt, eorumq; filij ita permanserunt, vt idololatriæ mysterijs minimè initiarentur. Verùm qui ex illis procreati sunt, cum in Aegypto commorarentur, impietatem didicerunt. Adolescentiam porrò eorum vocat initium, vnde tãta creuit multitudo. Corruptionem verò & mammarum subactionem & confractionem, appellat impiorum dogmatum doctrinam: Quemadmodũ enim violatam virginitatem mammarũ laxitas consequitur; ita cum quis à Deo defecerit, sequitur eius partis, quæ in nobis principatum tenet, casus & corruptio.

31. *S. Hieronymus.*

Exodi 20.

Theodoretus.

Atque hæc pro sententia Thostati afferri possunt. Quæ tamen propterea videri posset non admodum probabilis, quod de tãto scelere nusquam in his libris Pentateuchi eos reprehendit Moses. Quid, quod non est verisimile, Hebræos studuisse idololatriæ, dum vixit Ioseph, aut fratres eius: post mortem autem eorum, cœpta est seruitus, & afflictio Hebræorum. Nec sanè tantopere odissent Aegyptij Hebræos, si suæ eos idololatriæ studiosos & participes vidissent; nec Deus progeniem eorum, nõ sine miraculo, tantùm multiplicasset, bonisq; omnibus cumulasset vsque ad inuidiam & odium Aegyptiorum. Dictum autem illud Ezechielis, non ineptè quispiam interpretari posset de idololatria, quàm admiserunt ad mõtem Sinai, in adorando vitulum: quod factum dicitur in Aegypto, id est, in ipsa egressione &

Discutitur opinio Thostati.

ne &

ne & profectione ex Aegypto in terram Chanaan.

32. Si quis igitur superiorē causam à Thostato allatam minimè approbauerit; ei probatum iri confido, sex alias eius rei causas, quas hic subtexui. Passus est itaque Deus Hebræos tam atroci, longaque premi ab Aegyptijs seruitute: Primùm quidem, vt ob hoc ipsum odio vehementius impuros eorū mores, impiasque superstitiones haberent, & omnino auersarentur. Tum quò ardentius cuperent libertatem & profectionem in terrā Chanaan ipsis à Deo promissā. Deinde, vt iusta illis causa esset discedendi à seruitute Aegyptiorum, eosque bonis omnibus spoliādi. Ad hęc, vt multiplex daretur occasio, plurima & maxima edēdi prodigia; quò clarius replendesceret diuina potentia, in seuerissima eius contra obstinatos Aegyptios iustitia, & suauissima erga populum Hebręum misericordia. Præterea, vt ea ratione, infinita Dei potentia & bonitas appareret: qui facit vt etiam mala bene vertant bonis, eorūque virtutem mirabiliter augeāt & illustrent. Ecce tibi Hebræi, qui quantò magis affligebantur & opprimebantur ab Aegyptijs, vt ait in hoc capite Scriptura, tantò magis multiplicabantur & prosperabant. Postremò, id propterea factum est, vt Hebræos semel Aegypto egressos, nunquam deinceps illuc reuertendi cupido incesseret. Nam si tot tantisque calamitatibus & malis affecti & cōtriti ab Aegyptijs, sæpius tamen postea flagrantissimè concupierunt res Aegyptiacas, & illuc regrediendi non voluntatem modò, sed etiam conatum habuerunt: quid facturos eos fuisse putamus, si bene illis semper ac prosperè fuisset in Aegypto, & humaniter ac liberaliter ab Aegyptijs tractari fuissent? Flagrans Hebræi populi desiderium rerum Aegyptiacarum exponit Moses in libro Numerorum, cap. 11. inducens Hebræos præ nimio desiderio rerū Ægyptiacarū flentes, & dicentes: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpa, & allia. Anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man.* Quod autem deliberauerint aliquando regredi in Aegyptum, perspicuè ostendunt illa Hebræorum verba, quę memorat Moses in eodem libro Numerorum, c. 14 *Nonne*, inquiunt, *melius est reuerti in Aegyptū? Dixeruntq́, alter ad alterū, cōstituamus nobis ducē, & reuertamur in Aegyptū.*

Sex causæ cur Deus Hebræos tātopere vexari ab Aegyptijs passus sit.

Locus Numerorum, 11. & 14.

33. Rupertus regem illum Aegypti, qui tam dura seruitute afflixit Hebręos, figuram facit Diaboli, qui post peccatū Adę, & ante Christi Domini aduētum, genus humanum miserrima peccati seruitute, durissimaque mortis necessitate constrictum & oppressum tenebat. Verba Ruperti in lib. 1. Commentariorum in Exodum, cap 5. sunt huiusmodi: Sed ad illū Pharaonem, & illos Aegyptios noster sermo redeat, de quibus nos Christi gratia liberauit. *Venite*, dixit Ægyptijs rex ille, *sapienter opprimamus eum.* Huius sapientis, & sapienter opprimentis, id est, Diaboli, quàm grauia sint onera, quibus humanum genus afflixit, iam pridem persentiscere cępimus, ex quo vocem audiuimus liberatoris nostri in Euangelio suo sic dicentis. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meū super vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Nam antequā hoc dixisset, nos laborem nostrum nesciebamus; immo peccati oneribus delectabamur, sub quibus & animæ, sensum vitæ expirauerāt; & corpora nostra instāte mortalitate languebant. Tot autem iuga sunt seruitutis illius, quot vitia; tot onera, quot peccata; quæ persequi, nimis longum & difficile, immo & impossibile est. Hoc tantùm dixerim, quia ex quo intrauit Israël in Ægyptum, vsq; ad vespertinam immolationem agni, id est, ex quo Adam de Paradiso cecidit, vsque ad passionem Christi filij Dei, non cessauit vnquam ille exactor, non quieuit tributum, non est solutum iugum dominantium: sed tunc demum facta est pax, & reddita nobis libertas. Nec enim, vt ante, ita nūc, agit quicquā Diabolus pro imperio: sed tantū vt latro insidiosus, post nos incedit; & inuidus insectaf liberatos: vacuas esse gemēs vrbes, quas ędificauimus illi, Phithom, qđ interpretaf, Os abyssi, vnde nos Christus eduxit: & Ramesses, quod interpretatur tinea, à qua medicus ille capita nostra purgauit. Hactenus ex Ruperto.

Allegoria Ruperti.

Locus Matth. 11.

B OCTA-

OCTAVA DISPVTATIO.

De obstetricibus.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 15. 16. & 17. Dixit autem rex Aegypti obstetricibus Hebræorum, quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis, quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite, eum; si fœmina, reseruate &c.

34. HEBRÆI tradunt, istas obstetrices fuisse Hebræas; quarũ altera vocabatur hebraicè Iochabed, mater Mosis & Aaron; altera nominabatur Maria, eorundẽ soror. S. Aug. in libro cõtra Mendacium, cap. 15. 16. & 17. istas obstetrices vocat Hebræas. sed falsa est ista Hebræorum traditio. Nam *An illæ obstetrices fuerint Hebrææ, vt dicũt Hebræi.* præterquam scribit Iosephus, fuisse eas Aegyptias, etiam hoc ipsum non obscurè indicat narratio Mosis, quæ est in hoc loco. Cum enim obstetrices responderunt Regi: *Non sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent sciẽtiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt*: satis declararunt hisce verbis, se non Hebræas sed Aegyptias fuisse. Nec sanè rex tam atrox mandatum de necandis infantibus Hebræorum dedisset Hebræis mulieribus; vt quas existimare debebat, ob naturalem gentis suæ amorem & pietatẽ minimè obtemperaturas. Sed cur duas tantùm obstetrices accersiuit *An istæ duæ obstetrices tantũ vocatæ fuerint à Rege. Caietanus.* Rex? Pluribus enim vsas esse Hebræas, quarum erat innumerabilis propè multitudo, non est dubitandum. Caietanus respõdet, istas duas fuisse obstetrices nobiliorum Hebræorum, quorum sobolem potissimum exstinguere volebat rex: nã plebeios Hebræos nimijs laboribus macerando, paulatim ipse ad internecionẽ redigebat. Non est perspicuum, inquit Caietanus, an duæ istæ obstetrices, vice omnium obstetricum, vocatæ fuerint, tãquam præcipuæ, & à quibus aliæ penderent: an solæ fuerint nominatæ ad exstinguendum filios Hebræorum nobilium & artificum, qui non affligebantur in proprijs psonis circa vilia seruitia. Sed hoc secundum magis quadrat communi consuetudini: non enim solita est inter obstetrices esse præsidentia, vt aliæ alijs præsideant; sed magis consentaneum est, vt quemadmodum viliores afflixit rex operibus vilibus; ita contra nobiles & vrbanos Hebræos excogitauerit istiusmodi exstinguendi modũ per istas obstetrices. Sic Caietanus. Verũ istud posset videri figmẽtum, cùm nulla vel ratione, vel auctoritate nitatur. Nec verum est, quod sumit Caietanus, nobiliores Hebræos non fuisse afflictos laboriosis illis & vilibus operibus: cũ legamus Exodi 5. principes Hebræorum, qui præerant operibus eorum, fuisse flagellatos ab exactorib. Pharaonis, dicentibus: *Quare non implestis mẽsuram laborum, sicut prius? &c.* Simplius igitur vero est, vocatas fuisse omnes à rege obstetrices, sed præcipuè esse nominatas istas duas, quòd celebriores essent, & frequentius accerserentur ab Hebræis, & per quas idem mãdatum regis denuntiãdum erat reliquis obstetricibus.

Sed cur iussit rex ille, mares Hebræorum occidi, & seruari fœminas? Quinq; 35. *Cur Pharao iusserit occidi mares, & seruari fœminas.* reddi possunt causæ. Primò ne nimis aperta & intolerabilis esset eius crudelitas, si indiscretè & generaliter desæuiret in omnes Hebræos. Tum quod causa sæuiendi, erat timor, ne Hebræi tantopere multiplicati, aliquãdo fortasse hostibus Aegyptiorum adiuncti, ipsos debellarent: id autem à fœminis sibi non timebat rex. Deinde, quòd Hebrææ mulieres essent multò pulchriores & amabiliores Aegyptijs; quare eas ad abusum libidinis seruari volebat. Adhæc, qđ Hebrææ ingenio, & industria, & varijs artibus præstabant, multaque opera ad lanificium, & rem vestiariam, & tincturam pertinentia, egregiè faciebant: itaque earum opera peruutilis erat Aegyptijs. Ac demum, seruari eas volebat in famulatum vxoris suæ, & vxorum Principum Aegypti. Sed notandum est circa illa verba: *Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam*, vocẽ Hebræam (Caioth,) prout variè deducitur, varias habere significationes; quarum vna est, vt significet viuacem, & ita vertunt multi: *Quoniam ipsæ viuaces sunt,*

sed

sed viuacem esse, potest tria significare: vel esse sagaci animo & perspicaci ingenio: quo spectat latina lectio. *Ipsæ obstetricandi habent scientiam*: & Paraphrasis Chaldaica, *quoniam ipsæ sapientes sunt*. Potest etiam significare robustum, & vegetum, & alacrem esse; quam significationem expresserunt, qui hebræa verbū de verbo latinè conuerterunt: vt sit sensus, Mulieres Hebręorum non sunt ita teneræ & delicatæ, & imbecilles, vt Aegyptiæ: sed viuaces sunt, hoc est, validæ, & robustæ, patientesque laborum & dolorum. Potest etiam, viuacem esse, sumi actiuè, pro eo quod est, præstare vitā, seu viuificare, quod propriè conuenit obstetricibus, quæ parturientibus adsunt, & iuuant eas, vt fœtus in lucem veniat; & ita quasi viuificare fętum videntur. Potest denique vocabulum hebræum duci a nomine (Haiah) quod significat animal & bestiam: vt sit sensus, Hebrææ mulieres similes sunt bestijs, quæ pariunt sine obstetricibus. Thargum Hierosolymitanum sic interpretatur hunc locū: *Quoniam viuificant ipsæ, antequam veniat ad eas obstetrix: orant coram Patre suo cœlesti, & exaudit eas, atque ita pariunt*.

36. *Historia obstetricū mystica expositio.* Huius porrò historiæ obstetricū mysticam interpretationem, & intelligentiam, talem quandam exprimere licet ex Origene in hūc locum Exodi: ex Ambrosio in libro de Fuga seculi, cap. 9. & ex Commentarijs B. Hieronymi in c. 2. Ecclesiastes, & in 3. cap. Nahum Prophetæ. Rex Aegypti volens occidere mares Hebræorum, & seruare fœminas, significabat Diabolum, qui spirituales mares insectatur ad necem, fœminas minimè curans. Mares verò significant viros perfectos; fœminæ molles, & mundi amatores: vel mares significant opera hominis facta secundum partem masculinam & virilem, id est, secundum rectam rationem & legem Dei: fœminæ, significant opera secundum carnem & appetitum sensitiuum; & huc applicari potest distinctio illa fructuum spiritus, & operum carnis, à Paulo tradita ad Galatas 5. Annotauit B. Hieronymus super caput 2. Ecclesiastæ, in Scriptura rarò inueniri viros iustos et perfectos genuisse fœminas: Iacob vnā tantùm genuit Dinā, propter quam tamen vehementer periclitatus est. Vbicunque, ait Hieronym*, in Scripturis fœmina legitur & sexus fragilior, ad materiæ intelligentiā transferamur. Vnde Pharao noluit masculos viuificari, sed tantùm fœminas, quæ materiæ sunt vicinæ: & è contrario nullus Sanctorū, nisi perrarò, fœminas genuisse narratur: solusq; Salphaath, qui in peccatis mortuus fuerat, oēs filias genuit. *Num. 27.* Iacob inter duodecim Patriarchas, vnius filiæ pater est, & ob ipsam periclitatur. Sic Hieronymus. Illud quoq; animaduertendum, mares & fœminas non differre, secūdum substantiam, sed secundū magis minusue perfectum: sic bona opera moralia & philosophica, possunt esse eadem secundum substantiam, atq; opera Christiana: differunt tamen ratione perfectionis; tam ratione principij, ex quo proueniunt, quàm respectu finis, ad quem referuntur. Et Christiana quidē, dici possunt mares, quòd mares hæreditant, & opera Christiana hæreditant vitam æternam. Atque huiusmodi opera masculina, vt ita dicam, conatur Dæmō aut impedire ne generentur; aut genita, vt quàm primū extinguantur: fœminas autem, id est, bona opera moralia & philosophica, parum curat. Ad hanc similitudinem pertinet, quod scriptum est in primo Regum, cap. 11. regem Naamas voluisse dextros oculos eruere Hebræis, relinquendo illis sinistros. Iam verò, quod rex Aegypti infantes, non autem iam prouectæ ætatis iubebat occidi, documento est, Dæmonem nouitijs in seruitute Dei, & infirmis atque imperfectis præcipuè insidiari, facilem de illis sperādo victoriam: at verò prouectos iā multùm & perfectos in via Domini, vehementer formidat. Duæ autem obstetrices, per quas vult occidere infantes, sunt Caro & Mundus: per has enim duas res Dæmon maximè oppugnat seruire volentes Deo, id est, per carnales concupiscentias & voluptates, & per mundanas diuitias atque honores Obstetrices illæ ob timorem Dei non occiderunt infantes: ita nos carnem nostram timore Dei configamus, & armemus animum nostrum aduersus illecebras mundi, ne bona opera nostra perdamus. Postremò, neq; illud vacat mysterio, quod mulie-

S.Hierony.

res Hebrææ dicuntur non indigere obstetricibus ad pariendū. Similiter enim perfecti viri ad bene operandum non egent mundanis vel humanis auxilijs & incitamentis & illecebris, sed intrinsecus ad id mouentur à Spiritu sancto: Imperfecti verò, non inducuntur ad bene agendū, nisi vel timore alicuius damni & dedecoris vel spe alicuius emolumenti & honoris; nec possunt parere sine obstetricum auxilio.

NONA DISPVTATIO.

De Mendacio obstetricum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 19. Quæ responderunt (Regi): Non sunt Hebrææ sicut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquàm veniamus ad eas, pariunt.

37. NON est dubium, quin falsum fuerit hoc quod dixerunt regi: nam paulò supra Moses dixit, eas adfuisse parientibus Hebræis, & conseruasse mares, contra regis præceptum. Mentitas igitur fuisse eas, cùm & falsum dixerint, & animo fallendi regem, dubitari non potest. Sed quæstioni locus est, An tale mendacium fuerit malū & peccatum, an verò peccati expers, & laudandum potius, quàm culpandum. S. Aug. in *Sāctus Augustinus.* libro Quæstionū super Exodū, quæstione prima, attingit hāc difficultatem, sed inexplicatam atq; insolutā præteriens, in dubio relinquit; quāquam videatur esse propensior ad putandū, illud mendaciū fuisse malū & peccatū. Verba S. Augustini hæc sunt: De obstetricū mendacio, quo fefellerunt Pharaonē, ne occiderēt masculos Israëlitas, quādo nascebantur, dicētes, nō ita parere mulieres Hebræas, sicut pariebant Aegyptiæ; quæri solet, vtrū talia mēdacia approbata sint auctoritate diuina; quandoquidē scriptum est Deū benefecisse obstetricibus: sed vtrū pro misericordia ignoscebat mendacio, an & ipsum mendacium dignū præmio iudicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices viuificādo infantes; & aliud Pharaoni mentiendo. Nam in illis viuificandis, opus misericordiæ fuit: mendacio autem illo pro se vtebantur, ne sibi noceret Pharao; quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere. Sed diligentius de hac quæstione alibi disserendum est, propter alia exempla, quę in Scriptura reperiuntur. Sic ibi Augustinus. Sed enim in libro contra mendacium, cap. 10. de istarum obstetricum, & de Rahab mendacio propriè ac nominatim disserens, sine vlla dubitatione, quin etiā omni cū asseueratione tradit, fuisse malum & peccatum: ad hunc modum argumentans: Quæ contra legem Dei fiunt, iusta esse non possunt: dictum autē est de Deo; *Lex tua veritas:* cum igitur contra legem Dei sit mendacium, id iustum esse non potest. Item: Ex veritate est omne quod iustum est: Clamat autem Ioannes: *Omne mendacium non est ex veritate.* Omne ergo mendaciū, non est iustum. Quapropter cum nobis ex sacra Scriptura mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur: aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia iusta esse non possunt. Nam quod scriptum est, bene Deum fecisse Hebręis obstetricibus; & Rahab Hiericontinæ meretrici; non ideò factum est, quia mētitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim non esset mirum, si priori tempore commissa ab ipsis opera mala, propter posteriora opera bona vellet Deus ignoscere: ita mirandum non est, quod vno tempore in vna causa, Deus vtrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, & factum fallaciter; & bonum remunerauerit, & propter hoc bonum, & illi malo ignouit. Si enim peccata, quæ propter carnis concupiscentiam, non propter misericordiam fiunt, ea propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur, cur non merito misericordiæ dimittantur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? grauius est enim peccatum, quod ani-

Psal. 118. *1. Ioann. 2.* *Iosu. 6.*

mo

mo nocentis, quàm quod animo subuenientibus efficitur. Sic eò loci Augustinus.

38. *Sanctus Gregorius.* Augustino simillima scribit S. Gregorius in lib. 18. Moralium super illis verbis Iob, capit. 26 *Donec superest halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Quod prius iniquitatẽ dixerat Iob, (inquit Gregorius) hoc postmodum mendacium dicit. Nam & omne mendaciũ iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium: quia profectò ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat. Summopere igitur cauendum est omne mẽdacium: quamuis nonnunquam sit aliquod mendacij genus culpæ leuioris, vt si quis vitam præstando, mentiatur. Sed quia scriptum est: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Et: *Os quod mentitur, occidit animam:* hoc quoq; mendacij genus perfecti viri fugiunt: vt nec vita cuiusquam per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ. Quanquam hoc ipsum peccati genus facillimè credimus relaxari. Nam si quælibet culpa, pia operatione sequente solet purgari; quantò magis hæc facillimè abstergitur, quam mater boni operis, pietas ipsa comitatur? Nonnulli tamen de obstetricum fallacia conãtur asserere, hoc mendacij genus non esse peccatum: maximè quod illis mentientibus, scriptum est, Deum ædificasse illis domos. Verùm in ea ipsa recompẽsatione cognoscitur, quid mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis potuit in æterna vita retribui, pro admissa culpa mendacij, in terrenã est recompensationem declinata: vt in vita sua, quã mẽtiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerant, bona reciperent. Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippe, conatæ sunt, infantium vitam tegere; mentiendo, suam. Hæc Gregorius. Nos etiam in quarto Tomo nostrorum Commẽtariorum in Genesim, super caput 27. in Disputatione 2. ad numerum marginalem 35. & sequentes, copiosè disputauimus, omne mendacium, qualecunque sit, etiam iocosum & officiosum, licet optimo consilio,

Psalm. 5.
Sapient. 1.

& animo dictum, & ob euitandũ quantumuis malũ, vel qualecunq; bonũ cõsequẽdũ, esse malũ, & peccatũ, & fugiẽdũ.

39. *Ruperti mira opinio.* At enimuerò, Rupertus illius mendacij obstetricũ acerrimus est propugnator: idq; nec malum fuisse, nec peccatum, tripliciter argumentatur. Primò, si mendacium illud obstetricum damnatur, similiter arguendum, & damnandũ esset mendacium Rahab, dictum ab ea inquirentibus exploratores Hebræos; at Rahab, & ab Euangelista iustificatur, & à propheta Dauide. Deinde, illud mendacium obstetricum, ex magno profectum est affectu charitatis: Charitas est super omnia, & omnia delicta extinguit, & omnem mendacij prauitatem abstergit, & præualet, ac præponenda est inutili veritati. Adhæc, si mendaciũ illud fuisset malum, non esset à Deo remuneratum: sed est remuneratũ à Deo, non temporali tantùm, sed etiam æterna mercede: ergo bonum fuit, & Deo acceptum. Sic Rupertus; cuius hæc sunt verba in libro 1. Commentariorum in Exodum, cap. 7. Hoc loco importunè nimis de mendacio obstetricum disputatur, quòd non possint iustificari obstetrices mentiendo, dicentes regi: *Non sunt Hebrææ mulieres sicut Aegyptiæ: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* In tempore namq; parientibus Hebræis aderant illæ, de quibus dictum est videlicet, quia conseruabant mares. Quod quisquis pro culpa obijcit, restat vt Rahab meretricem mendacij redarguat: quæ tollens duos exploratores missos a Iosue, abscondit, & quærentibus eos, dixit: *Fateor, venerunt ad me, sed ego nesciebam vnde essent: cumq́; porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt; nescio quo abierunt: persequimini cito, & comprehendetis eos.* Ergo qui obstetrices pro tot infantibus seruandis mentientes accusant, consequitur, vt multò magis pro duobus hominibus liberandis, mentientem non iustificent Rahab: quam tamen & prophetica simul, & euangelica iustificat auctoritas. In Euangelio namque, Christi mater assumitur, & parens veritatis, quæ Christus ipse est: & propheta de eadem in typum Ecclesiæ, de Gentibus præcinit: *Memor ero Rahab & Babylonis*

Prouer. 10.
Locus Iosue cap. 2.
Matth. 1.
Psalm. 86.

bylonis scientium me. Deinde charitas præponenda est veritati. Apostolus certè vsque adeò nullam omnino veritatē charitati præponit, vt optet ipse anathema esse à Christo pro fratribus suis, id est, à veritate pro charitate. Et Moses obstetrices Deum timentes, in sacra Scriptura nominatas esse iure voluit, pro eo quod charitatē vtilem præposuere inutili veritati. Nullas igitur quasi mendacij tenebras adscribamus lucido charitatis operi: vbi sic illæ homicidam impium regem fefellerunt, vt vitam seruarent hominum. Præsertim verò, cum Deus hoc ipsum eorum mēdacium laude, & remuneratione dignum duxerit, Scriptura continuò dicente: *Bene igitur fecit Deus obstetricibus: & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos*: subauditur, æternas: æternum quippe est, quod Deus ædificat. Hæc Rupertus.

Roman. 9.

40. Equidem miror, Rupertum non legisse disputationem B. Augustini, paulò supra memoratam, isti opinioni eius planè contrariam: aut si eam legit, non ea fuisse persuasum, & ab ista sententia reuocatum. Sed enim nec vera est ista opinio Ruperti, & rationes, quibus eam firmauit, infirmæ admodum, & leues, & nihili sunt. Nam si illud fuit mendacium, non potuit esse non malum, & peccatū: cum omne mendacium, qualecumq; sit, intrinsecè malum sit, inseparabilem habens, vt ita loquar, inordinationē, & prauitatē: nec vlla ratione, vllāue ob causam, bonum & rectum fieri potest. Verū ea de re cum disputatū à nobis copiosè sit in 4. Tomo nostrorum Commētariorum in Genesim loco dudum citato, abs re fuerit, hic ea de re verba facere. Excutiamus igitur tres illas Ruperti rationes. Prima ratio fuit, quod Rahab mentiens, iustificetur. Respondemus, Rahab non esse iustificatam propter mēdacium, sed propter fidem in Deum, & charitatem, quam exhibuit Hebræis. Nec quia memoratur in genealogia Saluatoris, propterea mendacium eius commendatur: hac enim ratione commēdaretur etiam incestus Thamar, & adulterium Bethsabee, quarum nomina etiam ponuntur in eadem genealogia Christi. Altera ratio erat, illud mēdacium esse profectum ex charitate. Respondeo, non ex charitate, sed ex timore perdendæ vitæ propriæ profectum esse, vt affirmat Sanct. Gregorius loco supra posito. Neque charitas præponenda est veritati, ita vt falsum dicatur propter amorem alicuius boni: esset enim id inordinatum. Bonum enim, non est contrarium bono: nec charitas aduersari debet veritati: Nec facienda sunt mala, vt eueniant bona; alioquin ex charitate furari liceret, vt indigenti subueniatur. Tertia ratio fuit, illud mendacium fuisse remuneratum à Deo: sed id falsum est: non enim mendacium earum, sed misericordia erga Hebræos, & timor Dei remunerata sunt: Hoc enim apertè indicant illa verba: *Quia timuerunt Deum obstetrices, ædificauit illis domos*. Mendacium enim cum sit intrinsecè malum, & displicens Deo, & dignum aliqua pœna, non potest esse meritorium vllius boni apud Deum.

Rupertus refellitur.

Genes. 38.

2. Reg. 11.

Roman. 3.

Quanquam enim Sanctus Thomas in secunda secundæ quæst. 110. artic. vlt. in responsione ad quartum, significare videatur, mendacium illud obstetricum non potuisse mereri remunerationem æternam, sed fortasse meruisse aliquam remunerationem temporalem: cuius merito non repugnabat deformitas illa mendacij, sicut repugnabat meritum remunerationis æternæ: Verumtamen S. Doctor, neque illud asseueranter dixit, sed cum dubitatione, adiecta illa voce, fortè: nec tam id ex suo sensu dixit, quàm vt sententiam quandam Gregorij ad sanum intellectum reuocaret. Siquidem in articulo præcedenti eiusdem Quæstionis, in responsione ad secundum, apertissimis verbis, & affirmatissimè dixerat, obstetrices non fuisse remuneratas pro mendacio, sic enim ait: Obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei & beneuolentia, ex qua processit mendacium. Vnde signanter dictum est Exodi 1. *Quia timuerunt Deum obstetrices, ædificauit illis domos*. Mendacium verò postea sequens, non fuit meritorium. Sic B. Thomas.

An mendacium possit esse meritoriū vllius boni apud Deum.

DECI-

DECIMA DISPVTATIO.

Versu 21. De obstetricum mercede, quæ significatur illis verbis:

Quia obstetrices timuerunt Deum, ædificauit illis domos.

41. *Quintuplex lectio huius loci.* HIC locus variè admodum legitur. Ego quinque reperio lectiones. Vna lectio est in trãslatione græca huius loci, sic habens: *Quoniam timebant obstetrices Deum, fecerunt sibi ipsi domos.* Hanc lectionem sequitur Augustinus initio libri secundi Locutionum in Exodum, eandemq; citat S. Hieronymus super caput 65. Isaiæ, licet moneat, aliter esse in hebræo. Verũ Scriptura Hebraica, & paraphrasis Chaldaica, non solùm nostra lectio Latina, habent numero singulari, *fecit eis domos.* Sed enim quis fecerit, & quibus fecerit domos, quadruplex est interpretatio. Quidam referunt ad populum Hebræũ, qui dicitur fecisse obstetricibus domos munitas, in quibus illæ ab incursu Aegyptiorum, quorum præcepta contempserant, tutæ essent: hac videlicet ratione volens earum erga se beneuolentiam & pietatem rependere ac remunerari. Verùm non est credibile, Hebræos in summo tũc labore & timore Aegyptiorum versantes, aut voluisse, aut potuisse tutari obstetrices aduersus regem. Alij referunt ad Pharaonem, quem aiunt extruxisse domos, in quibus clausit obstetrices; iussitq; Hebræas parturientes deduci ad ipsas, vt ibi Aegyptijs inspectoribus, exploratè cognosceretur, marésne an fœminas parerent Hebrææ. At enim, Scriptura hoc loco perspicuè indicat, quia obstetrices timuerunt Deũ, factas esse eis domos: non igitur referri potest ad Pharaonem. Sunt etiam qui illud, *fecit*, referant ad Deum; & illud pronomen (illis) quoniam hebraicè est masculini generis, referant non ad obstetrices, sed ad Hebræos, ad hunc intellectum: Quoniam obstetrices timentes Deum, cõseruarunt mares, hinc factum est, vt Deus mirandum in modum multiplicauerit sobolem Hebræorum: nam proximè antè dixit Scriptura, propter illud beneficium obstetricũ, vehementer creuisse populum Hebræum, & multiplicatum esse. Sed nec ista lectio & interpretatio multum congruit huic loco. Siquidem paulò ante dixerat Moses, Deum benefecisse obstetricibus; vt illud pronomen (illis,) non ad Hebræos, sed ad illas referendum sit. Nec obstat, quod illud pronomen sit masculini generis; in vsu enim esse apud Hebræos, pronomina masculina vsurpari pro fœmininis, & fœminina vicissim pro masculinis; aliquot ex sacra Scriptura productis testimonijs, probat Oleaster hũc Exodi locum tractans. Germana igitur, & propria, & sincera huius loci lectio est hæc. *Fecit siue ædificauit illis domos* Deus nimirum, pijs obstetricibus.

S. Augustinus. S. Hieronymus. Oleaster.

42. *Quid sit ædificare domos, sex interpretationes.* Cæterùm huius postremæ lectionis, quam cæteris anteponimus, obscura est sententia, & multiplex interpretatio: quod non satis liqueat, quid per *facere*, vel ædificare domos, intelligere hoc loco oporteat: quo factum est, vt sex horum verborum interpretationes extiterint. Prima expositio est Hebræorum, quam habet etiam Thargum Hierosolymitanum, vt supra dictum est. Putant illi, obstetrices illas fuisse Hebræas; earumq; alteram fuisse Iochabed, matrem Mosis; alteram Mariam sororem eiusdem. Aiunt porrò Deum istis ædificasse domos, quòd in earum posteris fundauerit postea tam domum sacerdotalem, quàm regiam. Etenim de Iochabed, natus est Aaron, penes quem, eiusq; posteros Hebræi sacerdotij dignitas fuit. Maria verò nupsit Caleb, viro primario tribus Iuda, in qua postea fuit regalis dignitas. Sed istud, merũ est Hebræorum commentum: supra enim ostensum est, illas obstetrices non fuisse Hebræas, sed Aegyptias: & falsum est, Mariam nupsisse Caleb. Iosephus certè in 3. libro Antiquitatum facit eam vxorem Hur, cuius fit mentio in libro Exodi, cap 17. & alibi. Nec in posteritate Caleb, fuit posteritas regia, quando eam obtinuit tribus Iuda: sed in familia Dauid, qui nõ ex Caleb, sed aliunde genus duxit.

Prima expositio Hebræorum. *Iosephus.*

Secunda expositio Da- Secunda expositio est, quam approbare videtur Dauid Chimhi in libro

uid Chimhi. Radicum, secundum phrasim hebraicā dictum esse, Deum fecisse domos obstetricibus, pro eo quod est protexisse ac defendisse eas, & in tuto collocasse: sic enim ille Rabbinus scribit: *Fecit illis domos*, hoc est, Abscondit eas à Pharaone, vt nihil mali eis faceret, iuxta illud,

Hierem.36 quod dicitur de Hieremia & Baruch: *Et abscondit eos Dominus.*

40. *Tertia expositio Lyrani.* *Iosue 2.* Tertia expositio Lyrani; is ædificare domos interpretatur, fuisse obstetrices illas receptas in populum Hebræū, quæ nubentes viris eius populi primarijs, nobilium atque illustrium familiarum inter Hebræos capita fuerunt: sicut accidit Rahab, vt est in libro Iosue, & item

Iudith 13. *Thostatus contra Lyranum.* Achior, vt traditur in libro Iudith. Hanc expositionem refellens Thostatus, ait, non esse verisimile, elegisse obstetrices illas fieri ex populo Hebræo; quia tunc Hebræi erant vilissimæ atque abiectissimæ cōditionis: tales nempe, quales sunt serui & mancipia: & quia sic vehementius irritassent contra se, Pharaonem & Aegyptios. Adde, quod vt iustificarentur & seruirent Deo, necesse non erat fieri ex populo Hebræo: nondum enim tūc lata erat lex: nec postquam lata est, alios obligabat, nisi Iudeos. Verùm quicquid sit de istis rationibus Thostati aduersus Lyranum, illa videtur firmior aduersus eum confutatio, quod Lyranus id gratis, sine vlla probabili ratione, vel auctoritate dixit: nec Scriptura id tacuisset, sicut non tacuit de Rahab in lib. Iosue, cap. 6. & de Achior in lib. Iudith, cap. vlt.

44. *Quarta expositio Hieronymi & Ruperti.* Quarta expositio B. Hieronymi super caput 65. Isaiæ, & Ruperti libro primo Commentariorum in Exodum, cap. 7. qui domos ædificatas obstetricibus, interpretantur domos spirituales & cœlestes, id est, cœlestis patriæ felicitatē, æternaq; Sanctorum præmia. Nam vocabulo domus, interdum in Scriptura significari cœlestem gloriam, perspicuè indicant verba illa Domini Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Et illa

Locus secūdæ ad Corinth. c. 5. Pauli 2. ad Corinthios, cap. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis*. Deus igitur, bonū illud opus obstetricum charitatis erga Hebræos, & actum illum timoris Dei, dignum fecit æternæ mercedis retributione. Verba S. Hieronymi sunt huiusmodi: Ergo domus in quibus habitaturi sunt qui ædificant eas, vel virtutes intelligendæ sunt, vel diuersæ mansiones apud Patrem, quas iugiter possidebit, qui eas ædificauerit. Quales sibi ædificasse & obstetrices dicuntur in Exodo, quia timebant Deum: licet in Hebræo scriptū sit, à Deo eis ædificatas domos, quia timuerūt Deum. Sic Hieronymus. Rupertus autem, illud, *Aedificauit eis domos*, exponens, subintelligendum est, inquit, æternas: quod enim ædificat Dominus, æternum est. Sed profectò, sic accipi hoc loco, ædificare domos, non est verisimile: tum quia talis locutio, cum sit frequens in veteri Testamento, nusquā reperitur in tali significatione vsurpata, præsertim in historica narratione, & in Pentateucho Mosis, vbi promissiones regni cœlestis, æternorumq; bonorum post hanc vitam, non traduntur expressè: tum etiam quod consentaneum erat, pietatem illam obstetricum remunerari Deum in hac vita, insigni aliquo præmio temporali: vt qui cernerent ita fuisse à Deo remuneratas propter Dei timorem, & officium pietatis præstitum Hebræis, etiam ipsi ad timēdum Deum, & benefaciendum Hebræis incitarētur.

Non eo tamen inficias, obstetrices illo actu timoris Dei, & opere pietatis erga Hebræos, meruisse vitam æternam: id namque præter Hieronymum, & Rupertum suprà memoratos, affirmatè tradit etiam S. Thomas in Secunda Secundæ quæstione 110. articulo vltimo. Quod etiam ex ipsa Scriptura colligi potest: dicūtur enim obstetrices timuisse Deū: qui timor, cum simpliciter & præcisè dicatur, sanctus ille timor, quo filij Dei reuerentur Deum, intelligendus est. Et sanè, nisi à Deo vehementer adiutæ, & per interiorem earum animis infusam gratiam, incitatæ fuissent, nequaquam seipsas in tam manifestū vitæ discrimen pro faciendo illud opus charitatis, & pro timore Dei commisissent. Nā quod B. Gregorius scriptum reliquit in 18. libro Moralium, & à nobis suprà commemoratum est, obstetrices illas per actum illum timoris, & per opus pietatis erga 45. *An opus illud obstetricum, factū fuerit ex gratia; & meruerit vitam æternam. S. Thomas.* *Discutitur sententia quedā B. Gregorij.*

Hebræos

Hebræos potuisse mereri æternam mercedem; verum propter mendaciū, quod postea dixerunt, commutatam illis fuisse retributionem mercedis æternæ, in temporalis mercedis retributionē; hoc, inquam, dictum Gregorij, haud quaquā videtur probabile. Aut enim actus ille timoris Dei, & benignitatis erga Hebræos profectus fuit ex Dei gratia ipsas sanctificante, aut non: si non, non poterant per illum actum mereri vitam æternam, etiam si mendacium postea nō dixissent. Sin autem illa profecta sunt ex gratia Dei, sine dubio meruerunt vitam æternam, etiamsi postea mendacium dixerunt: tum quia peccatum post futurū, non potest impedire meritum præsentis gratiæ ac iustitiæ: tum quia mendacium illud, fuit officiosum, ideoq; leuis ac venialis culpæ, vt ipsemet Gregorius fatetur; peccatum autem veniale, sicut non tollit gratiam, ita nec meritum vitæ æternæ.

46. *Quinta expositio Augustini & Theodoreti.* Quinta expositio B. Augustini initio libri secundi Locutionum, quæ sunt in libro Exodi, & Theodoreti in quæstione 2. in Exodum, & Scholiastæ Græci in hunc locum. Hi ædificare alicui domū interpretantur, augere rem familiarem eius, & locupletare, ingentemq; bonorum temporalium copiam largiri. Vnde in cap. 30. Genesis, pro eo quod latina Lectio habet: *Iustum est, vt aliquando prouideā domui meæ.* Hebraicè est: *Vt faciam ego etiam domum meam.* Audi verba B. Augustini: Nunquid antea nō eas habuisse domos intelligendum est? An ad diuitias hoc verbum pertinet, vel potius ad aliquas rei familiaris idoneas facultates? Huic enim simile videtur, quod Iacob, post quatuordecim annos seruitutis suæ, socero volenti adhuc tenere eum apud se, dixit: *Nunc ergo quando faciam & ego mihi domum?* dixerat enim quod creuissent multum pecora Laban sub illo. Cum ergò dicit; *Quando faciam & ego mihi domum?* subintelligitur: sicut & tu: vt ad ipsam domum faciendā videatur pertinere, quod consequenter à Laban merces ipsa statuenda proponitur. Sic Augustinus & Theodoretus aiunt, Deum remunerasse obstetrices, largiendo eis diuitias.

47. Sexta est expositio, quæ cæteris anteferenda est, Aedificare sibi domum vel alij, est hebraismus frequens in veteri Testamento, significans facere progeniem & familiam, & posteritatem. Verbum enim Hebræum (Banah) significat, ædificare: inde ducitur nomen (Ben) significans filium, quod filius sit quasi ædificium quoddam patris. Quemadmodū post vnam domum ædificatur altera, & post illam alia, &, si plures aliæ coniunctæ ædificentur, fit vicus vel ciuitas: Cōsimili ratione generatur filius, & hic generat alium filium, & sic deinceps, & ita efficitur familia & progenies, & posteritas. In hac porrò significatione frequentissimè vsurpatur, Aedificare domum; & passim obuia sunt exempla. Etiam Poëta Latinus vocauit domum Assaraci, id est, genus & progeniem: & vulgò dicitur, *Casa*, vel *Casata*. Ergo germanus intellectus illorum verborū: *Aedificauit eis domos*, hic est; Fecit eas capita numerosarum familiarum, dans illis progeniem & posteritatem numerosam, & diuturnam. Quinque autem res maiorem in modum nobilitant familiam, amplitudo eius, opulentia, dignitates & honores, potentia, & dominiū, diuturnitas siue vetustas. Hanc expositionem refert, non sine approbationis significatione, S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, super cap. 16. Nam cum citasset illa verba: *Ingredere ad ancillam meam vt habeam filios ex ea.* subdit: Diligenter nota, quod procreatio filiorum in hebræo ædificatio scripta est. Legitur enim hoc loco: *Ingredere ad ancillam meam, si quo modo ædificer ex ea.* Et vide ne fortè hoc sit, quod in Exodo dicitur: *Benedixit Deus obstetricibus & ædificauerunt sibi domos.* Hæc S. Hieronymus. Caietanus tres proximè superiores interpretationes tā quam satis probabiles, in sua huius loci expositione complectitur ita scribens: Præmium obstetricum, quantum litera sonat, temporale describitur: nam ædificatio domus, vel materiale ædificium significat, vel fœcunditatem successiuā, qua construitur progenies. Si enim transferatur ad significandum constructionem opulentiæ, vel ad constructionem domorum spiritualium pro vita futura, nullus est error. Sic Caietanus.

Sexta expositio quā sequitur Author. *Virgil. 1. Aeneid.* *Quinq; res nobilitātes familiam.* *S. Hieronymus.* *Caietanus.*

Cæterùm

48. Cæterùm quæri hoc loco posset, an talis merces obstetricibus reddita, fuerit earum merito conueniens, & quasi iusta earum compensatio. Cùm enim meritum illud ex gratia Dei profectum fuerit, vt dudum est dictum: dignũ procul dubio, erat cœlesti, æternaq; mercede: ergo merces illa temporalis, nimio fuit minor obstetricum merito. Sed profectò talis merces, merito obstetricum aptissimè respondet. Siquidem illæ, nõ occidendo infantes, seruauerunt, & multiplicauerunt domos Hebræis, id est, progeniem & posteritatem: & similiter Deus illis ædificauit domos, id est, numerosas familias. Illæ, vt bonum illud opus facerent, vitam suam exposuerunt morti: Deus item fecit illas non solùm diu & prosperè viuere, sed etiam quodammodo post mortem viuere, in diuturna scilicet posteritate, quam eis tribuit. Quanquam autem principalis meriti earum merces fuerit vita æterna: attamen quia talis merces mortalibus est occulta, nec homini, nisi post hanc vitam reddenda; imperfecti autẽ homines & carnales, præcipuè concupiscunt temporalia bona, & præsentis vitæ; idcirco præmium æternum hoc loco tacitum est à Mose, temporale autem commemoratum, quod id efficacius sit ad permouendos homines. Hanc autem ob causam in veteri Testamento, etiam viris sanctis, & pro factis ac meritis præstantissimis, promittebat Deus, & reddebat bona tẽporalia, tacitis æternis, quæ sine dubio illi promeriti fuerant. Videre hoc licet in Abraham Genes. cap. 22. cui Deus pro excellentissimo eius facto circa immolationem vnigeniti filij sui, repromisit amplissima quidẽ bona, sed temporalia tamen, nullum de bonis æternis verbum faciens. Idem quoque animaduerti potest in Dei promissione data Phinees, pro eius eximio zelo diuini honoris: vt legitur Numerorum, cap. 25. Nimirum, expressa regni cœlestis, & æternæ vitæ promissio, propria est noui Testamenti, & Euangelij Christi, vt tradit sanctus Hieronymus in epistola quam scripsit ad Dardanum. Quinque porrò genera bonorum solitus est Deus, in veteri Testamento promittere. Vnum fuit longitudo vitæ. Exemplum habes Genes. 15 & 25. & Psal 30. Alterum, ampla & clara posteritas: Tertium, opulentia: Quartum, potentia & dominatio: Quintum, victoria inimicorum. Talia enim bona promisisse Deum Abrahæ pro singulari eius obedientia, qua ei paruit: pro eximia fide, qua ipsi credidit: & pro excellenti religione, qua etiam ad immolandum proprium filium, vt iussus à Deo fuerat, ductus est, videre licet Genes. 12. 15. & 22.

An merces reddita obstetricibus fuerit conueniens earũ meritis.

S. Hieronymus.

Quinq. genera bonorum, quæ Deus in veteri Testamento promittebat.

BENE-

BENEDICTI PERERII IN CAPVT SECVNDVM EXODI, *DISPVTATIONES* *TREDECIM.*

Nascitur Moses: Exponitur in flumine: Adoptatur in filium à filia regis: occidit Aegyptium: Fugit in terram Madian, & ibi vxorem ducit, & filios generat.

CAPVT SECVNDVM EXODI.

EGRESSVS est posthæc vir de domo Leui: & *Versu*
accepit vxorem stirpis suæ, * quæ concepit & pepe- 1.
rit filium: & videns eum elegantem, abscondit tri- 2.
bus mensibus. * Cumq; iam celare non posset, sum- 3.
psit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac
pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ri-
pæ fluminis, * stante procul sorore & considerante euentum rei. 4.
* Ecce autem descendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumi- 5.
ne: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum
vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis: & al-
latam * aperiens, cernensque paruulum vagientem, miserta eius, 6.
ait: De infantibus Hebræorum est hic. * Cui soror pueri: Vis, in- 7.
quit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire
possit infantulum? * Respondit: Vade. Perrexit puella, & voca- 8.
uit matrem suam. * Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, 9.
puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Su-
scepit mulier, & nutriuit puerum: adultumque tradidit filiæ Pha
raonis. * Quem illa adoptauit in locum filij: vocauitque nomen 10.
eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum. * In diebus illis post- 11.
quam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos, viditque affli-
ctionem eorum, & virum Aegyptium percutientem quendam
de Hebræis fratribus suis. * Cumque circumspexisset huc atque 12.
illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit
sabulo. * Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixan- 13.
tes: dixitque ei qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum
tuum? * Qui respondit: Quis te constituit principem & iudicem 14.
super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Aegyptiũ?

Timuit

Timuit Moyses,& ait: Quomodo palam factum est verbum istud?
15. * Audiuitque Pharao,& quærebat occidere Moysen: qui fugiens
de conspectu eius,moratus est in Terra Madian,& sedit iuxta pu-
16. teum. * Erant autem Sacerdoti Madian septem filiæ, quæ vene-
runt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cu-
17. piebant greges patris sui. * Superuenere pastores, & eiecerunt
eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis, adaquauit oues ea-
18. rum. * Quæ cum reuertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad
19. eas: cur velocius venistis solito? * Responderunt: Vir Aegyptius
liberauit nos de manu pastorum: insuper & hausit aquam nobi-
20. scum,potumque dedit ouibus. * At ille: vbi est? inquit. Quare di-
21. misistis hominem? Vocate eum vt comedat panem. * Iurauit er-
go Moyses quod habitaret cum eo. Accepitque Sephoram fi-
22. liam eius vxorem: * quæ peperit ei filium, quem vocauit Ger-
sam, dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit,
quem vocauit Eliezer,dicẽs: Deus enim patris mei adiutor meus,
23. eripuit me de manu Pharaonis. * Post multum verò temporis
mortuus est rex Aegypti: & ingemiscentes filij Israël propter ope
ra,vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab ope-
24. ribus. * Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis,
25. quod pepigit cum Abraham, Isaac & Iacob. * Et respexit Domi-
nus filios Israël,& cognouit eos.

PRIMA DISPVTATIO.

De Mosis parentibus Amram & Iochabed.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 1. Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ: quæ concepit & peperit filium.

1. TACVIT hoc loco Moses nomina patris & matris suæ, quæ tamen exposuit infra cap. 6. illis verbis: *Accepit Amram vxorẽ Iochabed patruelem suam; quæ peperit ei Aaron, & Moysen, & Mariam.* Mosis pater dictus Amram, filius fuit Chaath, & nepos Leui, & pronepos Iacob patriarchæ. Natus est in Aegypto annis (vt refert Eusebius ex Alexandro Polyhistore lib. 9. de Præparatione Euangelica, cap. vltimo) quatuordecim ante obitum Ioseph, id autem est, annis quinquaginta septem, post ingressum Iacob in Aegyptum. Cum esset autem Amram septuaginta septem annorum, genuit Mosem. Vixit autem centum triginta septem annis: obijtq; annis viginti ante egressum Hebræorum ex Aegypto. *Alexander Polyhistor apud Eusebium.*

2. Non est tacendum hoc loco perinsigne figmentum, & probrosum mendacium Hebræorum, qui annos vitæ Amram vltra sexcentos prolatant. Aiunt enim peruenisse eum vsque ad ætatem Ahiæ Silonitis, qui post Salomonis mortem propheta inducitur lib. 3. Reg. cap. 11. Ab egressu autem Hebræorum ex Aegypto,vsque ad quartum annum regni Salomonis, recensentur in libro 3. Regum, cap. 6. anni quadringenti octoginta: his adde octoginta annos, ab ortu Mosis vsque ad egressum Hebræorũ ex Aegypto; & insuper septuaginta septem annos, quos erat natus Amram, cũ genuit Mosem, ex his efficietur numerus annorũ sexcẽtorum triginta septem; *Hebræorũ ridiculum figmentum de longinquitate Amram.*

quos

quos vixisse Aram commenti sunt Hebræi. Hoc eorum commentum proditum à Rabbinis super 2. caput libri Numerorum, refert Genebrardus lib. I. Chronologiæ, hisce verbis: Amram pater Mosis, ex septem illis viris extitit, qui feruntur à Mundi principio, ad vsque finem, humanam vitam metiri. Adamũ enim, vidit Mathusalem: hunc Sem, qui peruenit vsque ad Iacob, quem Amram ipse conspexit: is verò vsque ad Ahiã Silonitem vixit; à quo visus est Elias, qui vsque ad extremum orbis æuum saluus permanebit: sic tradunt Rabbini in caput 2. Numerorum. Hæc Genebrardus. Quis autem non demiretur tam insignẽ licentiam fingendi, & mentiendi impudentiam? præsertim contra manifestam Scripturæ sententiam, quæ in libro Exodi cap. 6. sic habet: *Fuerunt anni vitæ Amram, centum triginta septem.*

Genebrardus.

3. Refert Iosephus visum quoddam & oraculum diuinum quod habuit Amrã, dũ eius vxor Mosem vtero gereret. Amrã, inquit, vir inter suos nobilis, valde solicitus tũ de publico periculo (rex enim iusserat omnes Hebræorum infantes necari) ne gens, defectu iuuentutis, ad nihilum redigeretur: tũ de priuato, quòd domi prægnantem vxorem haberet, inopia consilij laborabat: & ad implorandum diuinum præsidium conuersus, orabat vt tandem misereretur hominum, à quibus solis perpetuò cultus fuerat: daretq; finem præsentis afflictionis, quæ toti genti supremum minabatur exitium. Deus autem precibus supplicis ad misericordiam flexus, astitit ei per quietem, iussitq; in futurum bene sperare: Scito, inquit, mihi esse cordi & publicam vestram incolumitatem, & priuatim tuam gloriam: puer enim iste, cuius natiuitatis metu Aegyptij fœtus vestros ad necem damnauerunt, tibi nascetur. Hic neque deprehendetur ab obseruatoribus, & postquam euaserit, præter opinionẽ educatores nactus, suo tẽpore ex Aegyptiaca seruitute liberabit gẽtem suam, memoriamq; sempiternã hoc præclaro facinore cõsequetur: nõ apud suos tantùm, sed & apud exteros. Fratrẽ quoque talem habebit, qui dignus sit meo sacerdotio, ipsi & posteri eius in omne æuum. His per visionem cognitis, Amram experrectus, narrauit ea vxori, quæ res vtrique solicitudinem auxit: iam enim non puero tantùm timebant, sed ne quo pacto promissa felicitas intercideret. Verum, mox oraculi fidem fecit mulieris partus: quæ tam facilè est enixa, vt obseruatores fefellerit, nihil sentiens eorum, quæ in vulgaribus puerperijs sentiri solent. Hæc Iosephus.

Visum & oraculũ diuinũ oblatũ Amrã, Iosephus.

4. De matre autem Mosis, quæ vocata est Iochabed, satis litigiosa inter Hebræos, & Lyranum atque Thostatum quæstio agitatur, virum Iochabed, mariti sui Amram, fuerit amita, filia videlicet ipsius Leui; an verò fuerit eius consobrina & patruelis, id est, filia patrui eius. Hebræi putant, Iochabed matrem Mosis, filiam fuisse Leui, & ab eò genitam eo tempore quo Iacob ingressus est in Aegyptum: eandemque vsque eo longæuam fuisse, vt Mosi superuixerit. Hoc Hebræorum commentum referens Lyranus, multis argumentis confutat. Principio, non potuit Iochabed esse nata sub id temporis, quo Iacob descendit in Aegyptum: Inde namque vsque ad ortum Mosis, fluxerunt anni centum triginta: (verius dixisset Lyranus, fluxisse annos centum triginta quinque) in tali autem ætate iam effœta fuisset Iochabed. Nam si Saræ nonagenariæ defierãt fieri muliebria propter ætatem, & ideò inhabilis erat concipiendo; quantò magis Iochabed, annis quadraginta illam excedens? Si autem Hebræi dicant, partum Mosis non fuisse naturalem, sed miraculo assignandum: respondeant, cur id nusquam Scriptura indicauit, cùm esset admodum insigne & mirabile, sicut aliorum partus admirandos nõ tacuit? Quid item respondebunt de partu Aaron, quem Iochabed triennio ante Mosem enixa est? Quid de Maria sorore Mosis, quam septem annis antè procreauit? Deinde, supra in cap. I. Exodi scriptum est, post mortem Ioseph & fratrũ eius, omnisq; cognationis eius, cœptam esse afflictionem Hebræorum: ergo Iochabed, quæ erat filia fratris Ioseph, & vnà cum Iacob descenderat in Aegyptum, mortua fuerat ante illam afflictionem Hebræorum: post quam tamen aliquot annis genitus est Moses. Adhæc, si Iochabed superuixisset Mosi, vixisset vtique

An Iochabed fuerit amita vel consobrina mariti sui Amrã. Hebræorũ opinio.

Lyranus refellit Hebræos.

Genes. 18.

vtique non minus ducentis quinquaginta annis, nam ab ingressu Iacob in Aegyptum, supra numerauimus centum triginta vsque ad ortum Mosis: vixit autē Moses centum viginti annis: sed tā longæua ætas nulli hominum, post ortum Abrahæ, contigit. Præterea, si Iochabed filia fuisset Leui, fuisset mariti sui amita, is enim auum habuit Leui, vt Exod. 6. traditur: at inter amitam, & filium fratris non erat licitum matrimonium, sed prohibitum, Leuitici 18. Licet enim illud coniugium paulò ante legem latam esset factum: sed eorum tamen, quæ, lege iussa aut vetita sunt, multa etiam ante obseruabãtur à viris pijs, & veris Dei cultoribus. Arbitratur itaque Lyranus, Iochabed fuisse consobrinam mariti sui Amram; siquidem in capite sexto Exodi dicitur, Amram duxisse vxorem Iochabed, patruelem suam, id est, filiā patrui, & quod idem est, consobrinā suā. Si autem scriptura vocat alicubi filiam Leui, intelligendum est, dici filiam, non quasi proximè ab eo genitam, sed tāquā ex stirpe eius generatā. quemadmodum Lucas, Elisabeth scribit fuisse de filiabus Aaron, & Messias dicitur filius Dauid.

Opinio Lyrani.

Luc. 1.

5\. Thostatus verò partim assentitur Lyrano, censens Iochabed non fuisse natā ante ingressum Iacob in Aegyptū, nec fuisse Mosi superstitem; partim ab eo dissentit, affirmās, Iochabed verè filiam Leui fuisse, & amitam ipsius Amram, id enim expressè habet textus hebraicus in cap. 6. Exodi. Nam pro eo, quod ibi habet Latina translatio, Iochabed fuisse patruelem ipsius Amram, omnes Codices Hebræi, & item Paraphrasis Chaldaica, & Thargum Hierosolymitanum habent vocabulū significans amitā. Quod autem dicit Lyranus, inter amitam & nepotem non fuisse licitum matrimonium; verum id quidem fuit post legem latam, non ante: nec probare Lyranus potest, quæ lege Mosis sancita sunt, ea fuisse omnia prius à bonis, & veris Dei cultoribus obseruata. Putat itaq; Thostatus, Iochabed fuisse in Aegypto genitam à Leui, cùm is esset centum & decē annorum, quod in illis temporibus videri non debet incredibile: siquidem proauus eius, Abraham dico, natus annos centum & amplius triginta septem, genuit filios ex Cetura, Genes. 25. genuit enim eos post mortem Saræ, quæ vixerat centum viginti septem annis, Genes. 23. qua grādior natu erat Abraham decem annis, Genes. 18. & Iacob centesimū septimum annum agens, genuit Beniamin. Leui igitur centesimum decimum annum agens, genuit in Aegypto Iochabed: hæc autem cum annorum esset sexaginta octo (quæ ætas muliebris, in illo tempore, non erat infœcunda,) genuit Mosem. In hac porrò ratiocinatione ponuntur quædam, sed certa: vt Leui vixisse centum triginta septem annis, quod infrà dicitur cap. 6. & fuisse annorum circiter quadraginta quatuor, quo tempore ingressus est Aegyptum cū patre suo Iacob; quod ex libro Genesis facilè potest ostendi: & quod ab ingressu Iacob in Aegyptum, vsque ad ortū Mosis, fluxerunt centum triginta quinq; anni, quod paulò infra probabitur, & patet ex eo, quod ab ingressu Iacob in Aegyptum vsque ad egressum populi Hebræi, duce Mose octogenario, numerantur anni ducenti quindecim. Hactenus ex Thostato.

Thostatus refutat Lyranum.

Thostati opinio.

Idem sentit Paulus Burgensis super hoc loco Exodi, & Eugubinus, & Oleaster, & Pagninus super cap. 6. Exodi, & ibidem Paraphrasis Chaldaica, & Thargum Hierosolymitanū initio huius capitis secundi ita legit: *Et abijt vir de tribu Leui, & duxit vxorem Iochabed amitam suam in vxorem.* Caietanus super caput 6. Exodi, exponens illa verba Latinæ editionis: *Accepit Amram vxorem Iochabed, patruelem suam.* Iuxta hebræum, inquit, sic habetur: *Amitam suam.* Ita quod mater Mosis erat soror carnalis Chaath, patris mariti sui. Et hinc patet, quod coniugium cum amita, non est contra ius naturæ: quando quidem erat licitum in populo Dei, nulla necessitate cogente, ante legem Mosis, quæ prohibet tale coniugium. Sic Caietanus. Lippomanus autem in Catena super illis ipsis verbis capitis sexti, huiusmodi quoddam reliquit adnotamētum: Vox, inquit, hebræa (Dad) accipitur quandoq; pro patruo, & quandoq; pro patruele, vnde hic aliqui reddiderunt, *amitam suam*, id est, sororem patris sui, putantes Iochabed fuisse filiam Leui, & sororem Chaath, patris

6\.

Paulus Bur gensis.

Eugubin.

Oleaster.

Pagninus.

Paraphrasis Chaldaica. Thargū Hierosolymitanum.

Caietanus.

Lippomanus.

patris mariti eius; ita vt Moses per matrem, nepos fuerit Leui; per patrem autem, abnepos eius. Alij dicunt, filiam fuisse sororis patris; quā sententiā secuta est Chaldaica Paraphrasis, reddens: *Filiam sororis patris sui*. Nonnulli volūt, fuisse filiam patrui, quæ fuit sententia LXX. Interpretum, ita reddentium *filiā fratris patris sui*. Ac demum non desunt, qui velint patrui esse sororem. Verè autem, Iochabed, matertera fuit mariti sui Amram: quia vt habetur in libro Numerorum, soror erat Chaath patris Amrā. Hæc Lippomanus: In cuius sententia quædam sunt animaduersione & correctione digna. Sed quia nunc aliud agimus, dissimulanter prætereunda sunt.

7. *Auctoris sententia.* Mihi videtur non esse discedendū ab auctoritate Latinæ versionis: cui manifestè fauet translatio LXX. Interpretum, habens infra capite sexto, Iochabed filiam fuisse fratris patris Amram: quod vno verbo Latinus Interpres dixit, *patruelem suam*. *Eusebius.* Apud Eusebium quoque lib. 9. de præparatione Euangelica, cap. vlt. Alexā der Polyhistor prodidit, Amram duxisse vxorem Iochabed filiam auunculi sui. Nec huic interpretationi refragatur vocabulum hebræum (Dad) cuius significationem ignorasse LXX. Interpretes, & B. Hieronymum, nequaquam credibile dictu est: nam & qui curiosè rimati sunt significationes vocum hebræarum, prodiderunt, voce (Dod) significari patruum & patruelem, productis ex Scriptura locis. Nec quod scriptū est libro Numerorum cap. 26. Iochabed fuisse filiam Leui, & natā esse in Aegypto, conuincit eam fuisse proximè genitam à Leui: cum frequens sit, nomen filij & patris in Scriptura tribui nepotibus, & pronepotibus, ac longè etiam remotioribus posteris. Et vna persona dicitur genuisse aliam, nō quia proximè genuit, sed quia per alios à se genitos eam genuit, quemadmodum apud S. Matthæum capite primo, Ioram dicitur genuisse Oziam, qui tamen quartus fuit ab illo, id est, abnepos eius.

8. *De significatione vocis hebrææ (Dod)* Sed nonnihil de voce ipsa hebræa attingendum hoc loco. Marcus Marinus, & alij censent vocem (Dod) primum significare amorem, seu amatum, & dilectum, & amicum; deinde verò patruelē, interdum etiam patruum, propter amorem videlicet mutuum inter eos, qui in tali gradu sunt cognationis. Pro amico autem & dilecto, sæpe ponitur in Canticis, vt cap. 1. versu 14 cap. 4 versu 16. Pro patruele verò Leuit. 25 versu 49. illis verbis: *Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum & patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis*. Et 1 Paral. 27. versu 32. *Ionathan autem patruus Dauid, consiliarius, vir prudens, & litteratus*. Et Hierem. 32. versu 12 *In oculis Hanameel patrui mei*, qui paulò supra, versu 8. appellatur filius patrui. Pagninus arbitratur ea voce primum significari patruū, dein de amatorem, vel amicum, vel dilectū, vel ipsum etiam amorem. Nec desunt, qui primariam eius vocis significationē putant esse, qua significantur vbera, quemadmodum ponitur Cantic. 1. versu. 2. *Meliora vbera tua vino*. Tum ab vberum gratia ductam esse vocem, ad significādum amorem, amatorem, dilectum & amicum; ac denique etiam patruum vel patruelem. Vox igitur (Dod) & patruum, & patruelem significare potest, & in fœminino genere (Dodam) patruā, vt ita dicam, id est, amitā & patruelem, id est, filiam patrui. Ex his apparet sine ratione vlla probabili, tā Hebræos, quā hebraizantes, posthabita translatione LXX. Interpretum, & B. Hieronymi, maluisse eam vocem conuertere, in amitam, quàm in patruelem, id est, in filiam patrui.

SECVNDA DISPVTATIO.

De tempore ortus Mosis.

DIGNITAS, & auctoritas, & præstantia tanti viri deposcit, vt ortū eius diligenter cōsideremus, & exponamus. 9. Tēpus autē ortus Mosis dupliciter cōsiderari & notari potest, tū secundum Chronologiam sacrā, tum etiam profanam. Secundum sacram Chronologiam sunt aliquot insignia tempora, & in sacris literis memoratissima, cum quibus tempus ortus Mosis comparari, & pensitari potest. Horum temporum quædam præcesserunt ortum Mosis, alia eum consecuta sunt, Quæ præcesserunt, ea sunt huiusmodi;

Tempus

Tempus creationis mundi; Tempus diluuij Noëtici: Tempus ortus Abrahæ: Tempus ingreſſus Iacob in Aegyptum; ac demum ſeruitutis Aegyptiacæ. Natus eſt itaque Moſes ab orbe condito, anno bis milleſimo treceteſimo, & circiter ſeptuageſimo. A diluuio, anno ſeptingenteſimo decimoquarto. Ab ortu Abrahæ, quadringenteſimo vigeſimo quinto. Poſt ingreſſum Iacob in Aegyptū, anno centeſimo trigeſimo quinto. Poſt cœptā denique ſeruitutē Hebræorū in Aegypto, anno circiter ſeptimo.

10. Supradictam porrò computationē, ex ipſa Scriptura facile eſt probare. Siquidem ab initio mundi vſque ad diluuium, colliguntur anni mille ſexcenti, quinquaginta ſex, ex capite quinto Geneſis. A diluuio vſque ad ortum Abrahæ, ducenti nonaginta duo, Geneſ. 11. Ab ortu Abrahæ vſque ad primam promiſſionem ei datam à Deo, anni ſeptuaginta quinque, vt Geneſ. cap. 12. ſcriptū eſt. A prima Dei promiſſione data Abrahæ, vſque ad legem in monte Sinai latā, tertio mēſe poſt egreſſum Hebræorum ex Aegypto, S. Paulus ad Galatas 3. recenſet quadringentos triginta annos. Ab ingreſſu Iacob vſque ad exitum Hebræorum ex Aegypto, præterierunt anni ducenti quindecim, vt ſupra non ſemel dictū eſt, & à nobis probatū in 3. to. in Geneſim ſuper cap. 15. in Diſputat. 6. ortus demū Moſis, octoginta annis præceſſit egreſſum Hebræorū ex Aegypto, vt traditur Exodi 7. Ex his itaq; liquet, ſupradictas computationes eſſe veras.

11. Res autem perinſignes conſecutæ ortum Moſis, è quibus ratio tēporū cōputari ſolet in Scriptura, ſunt huiuſmodi: Exitus Hebræorū ex Aegypto: Ingreſſus eorum in terram promiſſionis: Regnum Dauidis: Aedificatio templi Salomonis: Captiuitas Babylonica: Solutio eius, & reditus Iudæorum in patriam: Aduētus Meſſiæ: Euerſio ac deſolatio vrbis ac tēpli Hieroſolymitani, & perpetua Iudæorum diſperſio. Moſes igitur natus eſt ante egreſſum Hebræorum ex Aegypto, annis octoginta; erat enim octogenarius, cum eduxit populum ex Aegypto, vt ſcriptum eſt Exodi 7. Ante ingreſſum Hebræorum in terram promiſſionis, annis centum viginti; tot enim annis vixit Moſes, vt eſt Deuteronomij vltimo: poſt cuius mortē ſtatim populus, trāſmiſſo Iordane, intrauit terrā promiſſionis; quod ex fine Deuteronomij, & initio libri Ioſue manifeſtum eſt: Ante regnū Dauidis, annis quingentis decem & ſeptem: Ante ædificationem verò templi Salomonis, annis quingentis ſexaginta: vtrumque colligitur ex cap. 6 lib. 3. Regum, vbi ſcriptum eſt ab egreſſu Hebræorum ex Aegypto, vſque ad quartū annum regni Salomonis, præteriiſſe annos quadringētos octoginta: Dauid autē regnauit quadraginta annis, cui proximè ſucceſſit in regnum Salomon, cuius quarto regni anno templū ædificari cœptum eſt; Ante captiuitatem Babylonicam ortus eſt Moſes nongentis nonaginta annis: ſiquidem ab ædificatione templi Salomonis, vſq; ad vltimū annū regis Sedechiæ, quo facta eſt captiuitas, ex annis regum Iuda recenſitis in 3. & 4. libro Regum, computantur anni quadringenti triginta. Ante ſolutionem captiuitatis, & reditum Iudæorum in patriam, natus eſt Moſes annis mille ſexaginta: durauit namque captiuitas illa, ſeptuaginta annis, vt eſt in fine libri ſecūdi Paralipomenon, & apud Hieremiā 25. & 29. Ante Meſſiæ aduentum, annis mille ſexcentis viginti. Etenim Chriſtus Dominus natus eſt vltimo anno centeſimæ nonageſimæ quartæ Olympiadis, id eſt, ab initio Olympiadum annis ſeptingentis ſeptuaginta ſex. Initium autem Olympiadum concurrit cum octauo anno Achaz, regis Iuda, ad quod vſque tēpus ab ædificatione templi Salomonis ex annis regum Iuda in libris Regū commemoratis colliguntur anni ducenti, & paulò amplius octoginta. Quæ autem hic ſumimus de tempore ortus Chriſti, & initio Olympiadum, alibi ſunt à nobis probata, vt mox dicemus. Poſtremò natus eſt Moſes ante vrbis & templi Hieroſolymitani excidium, & perpetuam Hebræorum deſolationem, annis mille & propè ſeptingentis, Talis enim deſolatio vrbis & templi facta eſt in ducenteſima & duodecima Olympiade iam deſinente, vt demonſtratum eſt à nobis in libro vndecimo Commentariorum noſtrorum in Danielem, in tractatu Quæſtionis octauæ.

Sed

12\. Sed veniamus ad externam & profanam Chronologiam: secundum quam res & facta celeberrima, à quibus Ethnici scriptores accersere solent rationẽ & computationem temporũ, quatuor præcipuè sunt: Ogygis diluuiũ: Ludi Olympici, & ratio Olympiadum: Troianum bellum: Exordium vrbis Romæ. Moses itaque ortus est ante initium Olympiadum annis octingentis quadraginta: supra enim ostensum est, Mosem natum esse annis quingentis sexaginta ante ædificationem templi: vnde vsque ad octauũ annum regni Achaz regis Iuda, in quo anno posuimus initium Olympiadũ, numerantur anni ducẽti, & paulò amplius octoginta. Et hic innotescit, Mosem esse natum post Ogygis diluuium annis centum octoginta. Apud Eusebium namq; in lib. 10. de Præparat. Euangelica, cap. vlt. multorum veterum & nobilium scriptorum auctoritate firmat Iulius Africanus, diluuium Ogygis præcessisse mille viginti annis initium Olympiadum. Ab hæc, ortus Mosis antecessit bellum Troianum annis quadringentis triginta tribus. Eratosthenes enim vir, vt Plinius ait, in omni litterarum doctrina subtilis & solers, sed in temporum computatione mirus, quem plerique deinceps secuti sunt, facit bellum Troianum, annis quadringẽtis septem prius initio Olympiadum. Ad extremum, ortus est Moses ante Romam conditam, annis octingentis sexaginta quinque. Etenim probatorum auctorum sententia est, fundatam esse Romam initio septimæ Olympiadis, id est, anno vigesimo quinto post inceptam rationem Olympiadum. Atque hæc de tempore ortus Mosis, tam secundum Chronologiam sacram, quàm profanã, pro ratione instituti nostri tractata sunt. Verùm de tempore diluuij Ogygis, & Troiani belli, & initio vrbis conditæ, & initio Olympiadum, & tempore ortus Domini nostri, si Lector cupit ampliores & subtiliores disputationes, legat quæ à nobis super hisce rebus explicata sunt in libro quarto nostro de Philosophia, cap 3. & in lib. 11. Commentariorum nostrorum in Danielem, in quæstione secunda & quinta.

Quatuor insigniora velut capita, vnde Chronologia profana duci solet.

Plinius.

TERTIA DISPVTATIO.

Super antiquitate Mosis, comparando eam cum antiquitate maximè insignium virorum, quorum vetustatem Ethnici mirificè celebrarunt.

PROPOSITVM mihi est in Tractatu huius disputationis demonstrare, longè maiorem fuisse antiquitatem Mosis, quam vel scriptorum, vel aliorum, rerũ inuentarum, aut gestarũ gloria insigniũ virorum; etiã Deorũ, quos stulta Gentilitas coluit. Ex quo simul et illud palã erit, diuinã Scripturã, hoc etiã vetustatis nomine, omnibus Ethnicorum doctrinis & Scripturis antecellere: vnde apparebit, falsam esse opinionẽ Græcorũ, vanamque iactantiam; qui omniũ se disciplinarũ, atq; omnium rerũ, vitæ hominũ maximè vtilium, & inuentione & vsu vetustissimos esse, primosq; gloriantur: Cum tamen ostensuri simus, senescente iam, vt ita loquar, in populo Dei sapientia, vix dum natã esse in Græcia philosophiam; extremosq; nostrorum Prophetarũ, æquales fuisse primorum apud Græcos sapientũ: nec homines modò, sed illos quoq; Maiorum Gentiũ Deos, quos stulta superstitione coluit Græcia, fuisse nouitios, profectò nouitios, si cũ antiquitate Mosis comparẽtur. Nec ad id probandum domesticis vtemur testimonijs, sed externis, & ea q̃ tradiderũt memorię homines Iudaicę religionis, & Christianæ nõ solùm expertes, verũ etiã hostes, in mediũ proferemus. 13.

14\. Principiò, quàm altè Græci accersant antiquitatẽ suam doceamus. Equidem in Græcorũ historijs & annalibus, etiam in fabulis, nihil antiquius Inacho & Phoroneo, primis Argiuorũ regibus, nihilque Ogygis diluuio, quod illis regnantibus vniuersã Atticã obruit, memorari reperio. Dionysius Halicarnassæus, vir in historia & Chronologia probatissimus, in 1. libro, quẽ de tẽporibus ab eo editũ sæpe laudat Eusebius, res Argolicas, quæ ab Inacho cœperũt, omniũ græcarũ rerum vetustissimas affirmat. Acusilaus, peruetus historiæ

Maxima antiquitas apud Græcos Inachi & Phoronei, & Ogygiani diluuij.

Dionysius Halicarnassæus.

Acusilaus.

Phoroneus. historiæ scriptor, Phoroneum, quasi primum mortalium facit, & Phoronides poëta, hominum patrem eum appellat. *Solon.* Solon quoque legislator Atheniensium, (si vera credimus quæ de eo in *Plato.* Timæo scripsit Plato) de Atheniensium antiquitate, coram sacerdotibus Aegyptijs verba facturus, à Phoroneo & Niobe, quasi omnium vetustissimis, orsus est *M. Varro.* dicere. M. Varro, doctissimus Romanorum, omnis antiquitatis historiam vsq; ad res Romanas, suaque tempora pertexuit: in qua nihil Ogygis diluuio agnoscit antiquius. *Iulius African⁹ apud Eusebium, lib. 10. de Praparat. Euägelica, cap. vlt.* Quo autem tempore fuerit hoc diluuium, nec obscurum, nec dubium reliquit Iulius Africanus, æqualis Origenis, palmam Chronographiæ inter nostros iure tenens. Is enim in tertio Annalium libro, ab Ogygis diluuio ad vsque primam Olympiadem viginti & mille annos fluxisse, multorum, & veterum, & nobilium scriptorum, auctoritate confirmauit. Hoc enim, inquit, prodidere Hellanicus, & Philocorus, qui *Hellanic⁹. Philocorus. Thalus. Castor. Diodorus Siculus.* Athenienſium Annales composuerunt: hoc mãdarunt literis Thalus & Castor, qui Syriacam historiam diligenter tractarunt. Cum his etiam consentit Diodorus Siculus, qui orbis historiam quadraginta libris digestam, in Bibliothecã contulit: alijque permulti in eandẽ sententiam conuenerunt. Propter hoc porrò quod dixi, Ogygis diluuium, Attica ducentis propè annis, vsque ad Cecropẽ primum Atheniensium regem, penè inculta, & deserta fuit. Actæum namq; cæterosque post Ogygem, quos nonnulli fingunt, ante Cecropem, in Attica regnasse, nuda tantummodo esse nominã, *Philocorus.* Philocorus tradidit.

15. Iam verò quæcunque à Græcis memorabilia & mirabilia de claris hominib⁹, & heroibus, dijsque, vel tradita historijs, vel fabulosis celebrata miraculis narrantur, ea post Cecropem fuisse constat. Etenim post Cecropẽ fuit Deucalionis diluuium, Phaëtontis incendium, ortus Erychthonij, Proserpinæ raptus, Cereris mysteria, Triptolemi satio, Europæ raptus, Apollinis partus. Post Cecropẽ Cadmus Thebas condidit, primasq; literas à Phœnicibus acceptas, Græcis tradidit: Dionysius, seu Liber pater, Indos subegit, Orientemque domuit: Minos, leges illas à veteribus laudatissimas, Cretensibus dedit: Aesculapius medicinæ fama excelluit, miris curationum operibus, honores, etiam diuinos, consecutus. Post Cecropem, Persei victoriæ, gesta Thesei, Herculisque labores celebrãtur. Post Cecropem, primi illi Poëtæ, è quibus Græcorum Theologia profluxir, Amphion, Linus, Orpheus, & Musæus floruerunt. Non ero longior, quadringentis post Cecropem annis, bellum Troianum gestum est: in quo Agamemnon, Vlysses, Achilles, Nestor, alijque, carminibus Homeri quàm suis virtutibus factisque clariores, extiterunt.

Venio ad Homeri antiquitatem: qui tantæ fuit veteribus admirationi & venerationi, vt eum appellarent parentẽ antiquitatis, solem omnium doctrinarum, & fontem ingeniorum. 16. *Homeri laus.* Ei rex Aegypti Ptolemæus Philopater templum consecrauit: & Galato pictor, Homerum pinxit euomentem; alios autẽ Poëtas, ea, quæ euõmuisset, haurientes. *Aelianus lib. 12. & 13. varia historia.* Nec solùm Græci, verum etiam Persarum reges, quin etiam remotissimi Gentiũ Indi, maternam in linguam conuersa Homeri poëmata concinebant. Verum de Homeri ætate, maior etiam quàm de patria, lis est inter auctores. *De Homeri ætate varia opiniones.* Herodotus extremis verbis eius libri, quo vitã Homeri scripsit, eum post cladem Troianã centum sexaginta octo annis claruisse ait. *Herodotus.* Sed enim in libro secundo Historiæ suæ, trecentis annis eum Troiæ excidio posteriorem facit; quam sententiam *Apollodor⁹* Apollodoro Grammatico, & Cornelio *Cornelius Nepos.* Nepoti placuisse video. *Crates.* Crates auctor est, Homerum vixisse post cladẽ Troianam annis octoginta: *Eratosthenes.* Eratosthenes, centum: *Aristarch⁹* Aristarchus, centum quadraginta: *Philocorus.* Philocorus, centum octoginta: Alij quadringentis, nempe circa primam Olympiadem. *Plinius.* Plinius lib. 16. cap. 16. scribit fuisse Homerum propè mille annos ante suam ætatem: Claruit autem Plinius circa Olympiadem ducentesimam decimamtertiam; id autem est, annis octingentis octog nta post Olympiadum initium; quod quadringentis septem annis posterius fuit bello Troiano: ex quo efficeretur, Homerum, Plinij sententia, ducentis quinquaginta ferme annis fuisse post euersionem Troiæ.

Solinus,

Solinus. Solinus, cap. 42. tradit, excessisse rebus humanis Homerum annis post captum Ilium, ducentis septuaginta duobus. *S. Cyrillus Alexan. li. 1. cōtra Iulian.* S. Cyrillus Alexandrinus; Homerum facit centum sexaginta quinque annis recentiorem bello Troiano. Atque hæc est Græcorum de Homeri ætate dissēsio. At enim in tanta opinionum varietate constare inter plerosque animaduerto, Homerū post euersionē Troiæ, ad minimum, annis centum fuisse. Hinc porrò apparet, septem illos Græciæ sapientes, circa quinquagesimam Olympiadem in Græcia florentes; hisque posteriores Pythagoram, Heraclitum, Empedoclem, Hippocratem, Democritum, Anaxagoram, Socratem, Platonē, Aristotelem, Eudoxum, Callippum, Pindarum, Sophoclem, Demosthenem, cæterosque omnes philosophiæ, medicinæ, astrologiæ, & historiæ, atque oratoriæ, poëticæque artis gloria inclytos, non annis modò plurimis, sed aliquot etiam seculis Homero fuisse posteriores.

17\. *Iosephus. Nulla scriptio apud Græcos Homeri poëmate vetustior.* Iosephus porrò priori libro contra Apionem, non dubitauit affirmare, nullam apud Græcos reperiri scriptionem, Homeri poëmate vetustiorem; & multis visum esse, ne Homerum quidem suū literis poëma mandasse: sed id primò quidem diu fuisse cantibus vsurpatum, memoriaque conseruatum; postea verò conscriptum: quo factum putant, vt multa in eo incomposita, & incongrua; nec pauca incondita atque insulsè dicta videantur. *Lycurgus.* Lycurgus, primus omnium, licet serò, vniuersam Homeri poësim in Græciam tulit ex Ionia, quo tempore *Pisistratus.* peregre profectus est. Postea Pisistratus Iliadem & Odysseam coniunctas *Hipparch°.* edidit: & Hipparchus Pisistrati filius maximus, Homeri poëmata primus Athenas attulit, iussitque Rhapsodos, hoc est, recitatores in Panathenæis canere: vt tradit *Aelianus.* Aelianus de varia historia lib 8. & 13. Et quanquam idem lib. 11. scribit, ante *Dares Phryx.* Homerum scripsisse Iliada Daretē Phrygem, eamq; vsq; ad suam ætatē extare: quam ego quoque latinè conuersam, si tamen eadem est, vidi inter scripta Diodori Siculi: sed illud tamen opus nec illius creditur, nec probatis Auctoribus vnquam probatum est. Sed redeo ad scriptores Græcorum, apud quos serò admodum in vsu fuisse publicas scriptiones ingens est argumentum, Athe- *Draconis leges.* nienses, qui se Terrigenas, omniumq; disciplinarum, vel inuentores, vel primos certè cultores, doctoresque iactitant; ingenuè fateri, publicarum litterarum antiquissimas esse leges de supplicijs à Dracone, circa quadragesimam Olympiadem, Athenis publicè scriptas.

Verùm iuuat super ijs quæ nunc & cursim, & carptim diximus, doctam, & 18. *Iosephus.* disertam Iosephi sententiam hic adscribere, quam is priore libro contra Apionem hisce verbis exposuit. Qui omnium se primos esse crediderunt (Græci) sciant quod etiam serò, & vix naturam litterarum agnoscere potuerunt: Nam antiquissimum earum vsum habuisse creduntur à Phœnicibus, & à Cadmo se didicisse gloriantur. Sed neque illo tempore poterat aliquis demonstrare, seruatam fuisse conscriptionem vllam, neque in templis, neque in publicis anathematibus: quando etiam de Troianis rebus, vbi tot annis militatum est, postea multa fuerit quæstio, vtrum litteris vsi sint: & magis veritas obtinuerit, quod vsus modernarum litterarum illis fuisset incognitus. Constat verò, apud Græcos nullam inueniri scriptionem Homeri poëmate vetustiorem: & hunc etiam post bella Troiana fuisse, manifestum est. Et aiunt, neque hunc litteris suum poëma reliquisse, sed primò cantibus memoria conseruatum, & postea fuisse compositum, & propterea multam in eo comperiri dissonantiam. Qui autem historiam apud Græcos primi scripserunt, vt Cadmus Milesius, & Acusilaus, & post hunc alij quicunque fuerunt, hi paruo tempore Persarum aduersus Græcos expeditionem antecesserunt. Sed & eos, qui de cœlestibus ac diuinis primitus apud Græcos sunt philosophati, vt Phærecydem, Pythagoram, & Thaletem, inter omnes conuenit, Aegyptiorum & Chaldæorum fuisse discipulos: & breuiter scripsisse, quæ è Græcis omnium antiquissima iudicantur; ita vt vix credātur ab illis fuisse conscripta. Quomodo igitur non est irrationabile, tantò Græ-

cos fastu turgere, tanquam soli sciant vetera, & veritatem eorum exactè tradant. Hactenus ex Iosepho.

19. Præterea sciens & volens in præsentia (quo tamen possem Græcos vehementer vrgere ac premere) quæ apud ipsos de rebus ante Olympiades gestis scripta sunt, ea nullam planè auctoritatem ac fidem habere. Etenim totum id tēporis, quod præcessit Olympiades, non modò Iulius Africanus, & Iustinus Martyr, sed etiam M. Varro, & Diodorus Siculus, incompertum esse, & quæ de eo prodita sunt litteris, fabulosa existimant. Plato certè refert in Timæo, quendam sacerdotem Aegypti, ætate ac sapientia maiorem ceteris, Soloni, Græcorum vetustatem prædicanti illudentem dixisse: O Solon, Solon, Græci semper pueri estis, nec quisquamè Græcia senex. Cur autem id diceret, percunctanti Soloni, respondisse illū; Quia iuuenis vobis semper est animus, in quo videlicet nulla ex vetustatis cōmemoratione prisca est opinio, nulla est cana scientia: & semper tanquam iuuenes, estis rudes & ignari rerum præteritarum. Verùm pauca hæc de Græcorum vetustate satis sit breuiter disseruisse: quam vetustatem vltra Cecropē non extendi, suprà docuimus. Sequitur vt deinceps ad demonstrandam Mosis antiquitatem gradum faciamus.

Tēpus ante Olympiades fabulosum.

Græci tanquam pueri, id est, rudes antiquitatis.

20. Fuit Tiberij Cæsaris principatu quidam nomine Apion, genere Aegyptius, professione & cognomento Grammaticus, multorumque voluminum scriptione adeò inflatus, vt non puduerit eum dicere, immortalitate donari eos à se, ad quoscunque aliquid ipse scripsisset, vt non immeritò Tiberius Cymbalum mundi eum vocauerit; Plinius autem publicæ famæ tympanum. Is porrò, in quodam suorum voluminum, quæ scripsit aduersus Iudæos, quorum fuit hostis acerrimus, prodidit, Mosem ex Aegypto Hebræos eduxisse primo anno septimæ Olympiadis, quo etiam anno Tyrij Carthaginem in Africa cōdiderunt. Carthaginis autem mentionem adiecit, ratus ea ratione, quod de Mose mentiebatur, quia perpaucis notum esset, facilius probatum iri multis. Sed, homo sapiens, non animaduertit, id potius fore argumentum, quo mendacium eius deprehenderetur euidentius. Verùm nos vtramque sententiæ eius partem excutiamus. Ac primò consideremus quod de origine Carthaginis dixit, affirmans esse conditam in primo anno septimæ Olympiadis: quo certè anno à Romulo fundatam esse Romam, & Solinus, & Dionysius Halycarnasseus, alijque graues cumprimis scriptores tradiderunt. At enim, multis ante Olympiades annis conditam esse Carthaginē, in promptu est ostendere. Taceo hic poëtas: quorum principem Virgilium nemo nescit cecinisse, Aeneam, quo tempore, post cladem Troiæ profugus Italiam peteret, venisse Carthaginem tūc recens à Didone fundatam. Velleius Paterculus priori libro Historiæ suę sexaginta quinque annis conditam esse Carthaginem ante Romam tradit. Trogus Pompeius (vt in libro 18. Iustini legimus) Carthaginem facit duobus, & septuaginta annis priorem Roma: idemque sentit, cap. 30. Solinus: neque discrepant Eutropius lib. 4. & Orosius, lib. 4. cap. 6.

Apiō Grāmaticus.

Quādo sit cōdita Carthago.

Solinus.

Dionysius Halycarnassaus.

Virgilius.

Velleius Paterculus.

Trogus Pōpeius.

Solinus.

Eutropius.

Orosius.

21. Verum enimuerò, originem & antiquitatem Carthaginis, nemo exploratius, & compertius, atque explicatius tradidit, quàm Iosephus in priori libro aduersus Apionem. Is enim ex vetustissimis & probatissimis Phœnicum annalibus perspicuè demonstrauit, notatis diligenter singulorum regum annis, qui apud Tyrios vsque ad Pygmalionem & Didonem regnauerunt, ab Hiramo Tyriorum rege, qui fuit æqualis Salomonis, eique ad ædificandum templum (vt tertius liber Regum narrat) egregiam nauauit operam, vsque ad exordium Carthaginis, fluxisse annos centum quinquaginta quinque. Ab ædificatione autem templi Salomonis, quæ cœpit anno duodecimo Hirami regis, ad primam vsque Olympiadem, quæ competit in annum octauum regni Achaz regis Iuda, anni ducenti, & paulò amplius octoginta numerantur. Ex qua computatione licet intelligere, Carthaginem non septima Olympiade, vt Apion mentitus est, sed qua-

Iosephus.

quadraginta & cētum annis ante Olympiades fuisse conditam.

22. Ceterùm altera pars sententiæ Apionis, quæ ætatem Mosis refert ad septimā Olympiadem, maiorem prodat Apionis vel inscitiā antiquitatis, vel licentiā atq; impudentiā mētiendi nescio. Nos enim, quantò maior sit antiquitas Mosis exordio Olympiadum, auctoritate Græcorum, & Aegyptiorum scriptorum celeberrimi nominis apud Græcos, ostendemus. Ordiar autem à Porphyrio, &c. Christianis inimico, & Græcis, existimatione sapientiæ, multum probato. Is autem in quarto libro eorum, quos in Christianos fecit, testem ac præconem antiquitatis & laudum Mosis citat Saconiathonem quendam Berutiū: qui antiquarum rerum historiam, Phœnicū lingua, partim ex singularum vrbiū annalibus, partim è libris sacris, qui templis dicari solebant, collectam, Abelbolo Berutiorum regi nuncupauit. Hunc verò Saconiathonem, paulò post Mosem fuisse, & multò ante bellum Troianum, nempe Semiramidi Assyriorum reginæ propemodum æquæuum, confirmat Porphyrius. Quo eius testimonio palam fit, Mosem plus octingentis annis antecessisse bellum Troianum, & amplius mille ducentis primam Olympiadem. Quanquā in eo lapsus est Porphyrius, quod Mosem æqualem facit Semiramidis reginæ; cū ea regnante, vixerit Abraham; à cuius ortu, vsque ad ortum Mosis fluxisse annos quadringentos viginti quinque, in superiori Disputatione ostensum est. Abraham quippe natus est quadragesimo tertio anno imperij regis Nini, qui monarchiam Assyriorum condidit; cui proximè successit in regnum vxor eius Semiramis.

Porphyri⁹.

Saconiatho

23 Polemon autem in primo Græcarum historiarū libro tradit, egressum Hebræorum ex Aegypto, & ingressum in terrā Chanaan, præcessisse sexcentis fermè annis bellum Troianum. Eupolemus dixit Mosem fuisse hominem sapientissimū, & primum litteras tradidisse Iudæis; à quibus eas Phœnices acceperūt; à Phœnicibus autem ad Græcos Cadmus Thebarum conditor transtulit. Artapanus, quem Iudæi vocant Mosem, à Græcis dictum esse Musæum prodidit: à cuius doctrina Orpheus multa didicit. Moses verò bellica instrumēta inuenit, & litteras sacerdotibus Aegyptiorū tradidit. Quo factū est, vt quasi Deus ab Aegyptijs coleretur, & propter litterarū inuentionē, Mercurius appellaretur. Præclara sunt hæc de Mose testimonia: Sed haud scio, an sint clariora eorū, qui à Græcis, natione quidem barbari dicebantur, doctrinę autē præstantia mirabiles fuerunt. Berosus sanè vir Babylonius, & nobilissimæ gentis Chaldæorū Sacerdos fuit; cui ob diuinas prædictiones, vt inquit Plinius libro septimo, Athenienses publicè statuam inaurata lingua posuerūt. Hic Mosem longè ante bellum Troianum fuisse affirmauit. Theodotus, Hipsicrates, &c. Mochus Phœnices fuere scriptores: quorum historiā Aditus vir disertus in Græcam linguam conuertit: in qua scriptū illi reliquerunt, fuisse bellum Troianum paulò ante Salomonis tempora. Salomonem autem (vti docent sacrę litteræ) annis octoginta & quadringentis Moses anteiuit.

Polemon.

Eupolem⁹.

Artapan⁹.

Berosus.

Plinius.

Lib. 3. Regum, cap. 6.

24. Constat porrò inter omnes, idq; Plato etiam tradidit in Timæo, Aegyptios in condendis annalibus, notandisque temporibus fuisse omnium diligentissimos. Annales verò Aegyptiorum Ptolemæus Mendesius sacerdos ex sacris libris compositos edidit. In his Mosem regnasse apud Iudæos affirmat eo tempore, quo Inachus Argis imperabat; & diluuium Ogygis Atticam vastauit: à quo tempore vsque ad Olympiades, mille ꝑtereaq; viginti pręcurrisse annos, supra docuimus. Manetho etiā sacerdos Aegyptius, rerumque Aegyptiarum scriptor, vetustate ac diligentia percelebris, in quodam suorum voluminum retulit, Hebræos ex Aegypto, Imperatore Mose, venisse in Palæstinam, annis tribus & nonaginta supra trecentos, priusquā Danaus Argos veniret, licet eū Argiui antiquissimum esse iactitent: id autem temporis, annis prope mille cladem Troiæ antegressum est. Verùm pauca hæc de plurimis, sat fuerit in præsentia de antiquitate Mosis commemorasse, quæ antiquissimi & nobilissimi Ethnicorum auctorum scripta testataq; reliquerūt: quę vera sint omnia, nec ne, nūc nō disputo. Illud affirmo, Mosē omni gręca antiqtate, vel ipso-

Plato.

Ptolemaus. Mēdesius.

Manetho.

C 3 rum

rum testimonio, fuisse antiquiorem.

25. *Coparatio antiquitatis Mosis cum Græcorum antiquitate.* Verùm age comparemus nunc antiquitatem Mosis, cum Græcorum antiquitate. Nihil apud Græcos antiquius memoratur Ogygis diluuio: post quod annis centum octoginta, vt superiori Disputatione ostensum est, natus est Moses: quo quidem temporis tractu vsque ad Cecropem, primum Atheniensium regem, nihil memorabile reperitur. Cecropis verò synchronos & æqualis fuit Moses: siquidem ille paulò minus ducentis annis post Ogygianum diluuium regnauit. Ergo si omnia Græcorum vetustissima, & ab illis celebrata, fuere post Cecropem, vt diximus, Mose quoq; posteriora fuisse ea necesse est. Adhæc in præcedenti Disputatione conclusum est, Mosem esse natum quadringentis triginta tribus annis ante bellum Troianum, & octingentis quadraginta ante Olympiades. Ex quo efficitur, Mosem fuisse ante primos Græcorum Theologos, Linum, Orpheum, Musæum, qui vna tantum generatione præcesserunt bellum Troianũ: fuisse, inquam, Mosem ante istos annis prope quadringentis. Quoniã autem Homerus, vt minimùm cẽtum annis fuit post bellum Troianũ, vt dudũ ostendimus, liquet priorẽ eo fuisse Mosem plus quingentis annis. Ante septem verò Græciæ sapientes, qui circa Olympiadẽ quinquagesimam floruerunt, ortus est Moses plus mille annis. Et multò plus ante Pythagoram, Anaxagoram, Democritum, Hippocratem, Socratem, Platonem, Aristotelem, aliosque vel Philosophicę, vel Astrologicæ, vel Poëticæ, vel Oratoriæ, vel Medicæ, vel Historicę facultatis laude inter Græcos maximè celebres. Et quia Moses eximius fuit poëta, Philosophus, Orator, Historicus, vt docuimus in Præfatione primi Tomi nostrorum Commentariorum in Genesim; ex eo licet intelligere, Mosem fuisse antiquissimum, primumque omnium Philosophorum, & Oratorum, & Poëtarum, & Historicorum, quos Gentilitas celebrauit.

QVARTA DISPVTATIO.

An Moses fuerit notus antiquis scriptoribus Ethnicis.

ORIGENES in Homilia secunda super Cantica, quæ latinè vertit S. Hieronymus, ait, Mosem ante Christi Domini aduẽtum fuisse Græcis, alijsq; scriptoribus Ethnicis innominatum atque incognitũ: post aduentum autem Saluatoris nostri, & prædicationem Euangelij, & Mosem, & Prophetas pernotuisse Gentibus. Verba Origenis; vbi exponit versiculum illum Canticorũ. *Vnguentum effusum nomen tuum*, vt sunt ab Hieronymo latinè interpretata, huiusmodi sunt: sicut vnguentum quod effusione, sui odorem longè lateque dispergit: sic Christi nomen effusum est: in vniuersa terra Christus nominatur: in toto mundo prædicatur Dominus: vnguentum enim effusum est nomen eius. Nunc Mosis nomen auditur, quod prius Iudeæ tantùm claudebatur angustijs. Neq; enim Græcorũ quispiam meminit eius: neq; in vlla Gentilium litterarum historia, de illo scriptũ aliquid inuenimus. Statim autem, vt Iesus radiauit in mundo, eduxit secum Leges & Prophetas, & verè completũ est: *Vnguentum effusum nomen tuum.* Hæc Origenes: cuius sententia ista esse falsa, ex his, quæ in hac Disputatione commemorata sunt, planè intelligitur. Supra enim nominauimus Sachoniathonem Berutium, antiquissimum scriptorem, & Berosum Chaldæum; Ptolomæum item Mendosium, & Manethonem, Aegyptios scriptores: inter Græcos verò Artabanum, Polemonem, et Eupolemũ, qui amplam & honorificam Mosis mentionem fecerunt. His adde Trogũ Pompeium apud Iustinum lib. 36. & Diodorum Siculũ, qui inter antiquissimos Legumlatores numerans Mosem, hæc scribit: Apud Iudæos Moses, ab Iao, quem illi Deum inuocant, acceptas leges se dare præferebat. Et Numenius Pythagoricus dicere non dubitauit, nihil aliud esse Platonem, quàm Mosem Atticum: & Pythagoram studiosè, curioseque sectatum

26. *An Moses ante Christi aduẽtũ fuerit ignotus Ethnicis scriptoribus.*

Origenes.

Diodorus libro 2.

Numenius.

Strabo ctatum esse dogmata Mosis. Strabo etiã lib. 16. scribit, Mosem fuisse Hierophantam Aegyptium: sed cum moleste ferret Aegyptiorum mores atque instituta, illinc demigrasse. Nam docebat (inquit) non rectè sapere Aegyptios, qui ferarũ & pecorum imagines Deo tribuerent: Itemque Lybes & Græcos, qui Deos, hominum formis figurarent.

27. *Demetrius Phalereus.* Sed illud memorabile, quod Demetrius Phalereus, Præfectus Alexandrinæ bibliothecæ dixit Ptolomæo Philadelpho, regi Aegypti, vt proditum est in historia, quam de septuaginta duobus scriptam reliquit Aristæas. Rectum autẽ fuerit (dixit Demetrius regi) & hos libros (legis Mosaicæ) extare inter tuos: quia leges illæ & sapientiores, & sanctiores sunt aliis, vt quæ sint diuinæ. Quo factũ est, vt alij scriptores & poëtæ, & historici abstinuerint à mentione istorum; quia *Hecatæus Abderites.* vt Hecatæus Abderites asserit, planè sanctam quandam & venerandã contineât in se sententiam & contemplationem. Hæc ibi. Et in extremo propemodum *Cur Ethnici scriptores nullam fecerint mentionem librorũ Mosis.* eiusdem historiæ; percũctanti regi, Quare tanti Operis nullus historiographorũ aut poëtarum, aggressus sit mentionem facere? respondit Demetrius: Tũ quia ista lex, inquit, est sacrosancta, & diuinitus lata: tum quod nonnulli aggressi, diuina plaga, ab instituto destiterunt. Audiui enim cum Theopompus vellet quædam ex ista Lege nõ nimis incommodè versa, inserere historiæ suæ, animo fuisse valde turbatum vltra dies triginta: & in morbi intermissione, cũ exorasset Deũ votis, vt sibi declararet quam ob causam hoc sibi accidisset: fuisse ei in somno indicatum, propterea accidisse, quia diuina euulgare conaretur, & ad homines referre. Qui cum ab incœpto desisteret, dicitur fuisse à morbo liberatus. Accepi etiam de Theodecte tragico poëta, cum voluisset aliquid ex hoc libro transferre in quandam suam fabulam, repentè orbatum esse visu, donec intellexisset id sibi accidisse, quòd rem sacrã & diuinã audacter nimis temerare tentasset: & per multos dies precibus & votis Deum sibi reconciliasse. His auditis, Philadelphus rex, acceptã à Demetrio legis Mosaicæ interpretationem, religiosa veneratione eam prosecutus est: iussitq; magnam curam haberi eorum librorum, religioseq; conseruari. Hæc de lege Mosis ad Regem Ptolomæum dicta sunt à Demetrio Phalereo, viro doctissimo, qui trecentis ante Christi aduentum annis, tum Athenis, tum in Aegypto claruit. Verùm ponamus finem huic Disputationi, monentes, quæ de Græcorum antiquitate hic strictim attigimus, esse à nobis delibata ex libris veterum, & apprimè nobilium auctorum: ex libris, in quã, Iosephi cõtra Apionem; ex libris Stromatum Clementis Alexandrini, præcipuè autem ex primo: ex Chronicis Eusebij, & libris de præparatione Euangelica, nono & decimo: & ex primo libro contra Iulianum Apostatam, Cyrilli Alexandrini, alijsque.

QVINTA DISPVTATIO.

De expositione infantis Mosis in flumine.

SVPER ILLIS VERBIS.

Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ: quæ cõcepit & peperit filium; & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumq; celare nõ posset, sũpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eã bitumine ac pice: posuitq; intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stãte procul sorore eius, & considerante euentum rei, &c. *Versu 1. vsque ad 10.*

HANC historiã pulchrè Iosephus lib. 2. Antiquitatũ enarrat, adiectis pluribus circumstantijs, ad expressiorẽ atq; illustriorẽ rei gestæ cognitionẽ nõ parũ conferentibus. Cũ enim narrasset quemadmodũ Amrã, pater Mosis, diuino oraculo edoctus esset, filiũ, quẽ vxor ei⁹ vtero tũc gerebat, nõ modò nõ peritururũ, verũ etiã vniuersę gentis Hebrææ seruatorẽ futurũ ac liberatorẽ; post hæc subdit: Oraculo fidẽ fecit 28. *Iosephus.*

cit mulieris partus, quæ tā facile est enixa, vt obseruatores fefellerit; nihil sentientes eorū quæ in vulgaribus puerperijs sentiri solent. Tunc infantulum per tres mēses clam nutrierunt: sed veritus Amram, ne re deprehensa, mox & ipse cū puero omniq; familia sublatus è medio, promissionē Dei faceret irritā; maluit salutē filij solius Dei prouidentiæ cōmittere: certā spem habens eum prouisurum, vt oraculi veritatē euentus declararet. Lectulo itaq; è papyro cōtexto, quātus infantulū commodè capere poterat, bitumine illito, ne aqua penetrare posset, indiderunt puerū, atq; in flumē proiecerunt, eius salutē Dei prouidentiæ committentes. In hunc modū cum à flumine deferretur, Maria soror eius, iussu matris, ex aduerso per ripā descēdebat, obseruatura quo tandē papyraceū illud vas deportaretur à flumine. Hîc verò manifestissimè Deus declarauit, nihil humana sapientia, sed omnia omnipotēti eius bonitate confici: eosque qui propter vtilitatem suā aut securitatē, alijs perniciē moliuntur; quantalibet vtantur diligentia; sæpe tamen voti cōpotes haud quaquā fieri: Contrà verò, qui suam salutem Deo cōmittunt, præter opinionē, è medijs periculis emergere: quod & in hoc puero videre licet. Erat filia regi, nomine Thermutis: hęc dum ludit ad ripas fluminis, conspicata vas fluitans, missis natatoribus, iubet ad se in ripā extrahi: in quo visus infans mirè placuit, quod pro ætate magnus esset ac pulcher. Tanto.n. fauore Deus Mosem prosecutus est, vt eū fecerit ab illis nutriri & educari, qui propter eius natiuitatē, reliquos quoq; Hebræos perdendos decreuerāt. Iussit Thermutis Aegyptiā mulierē adduci, quæ infantē lactaret. Sed eo nō admittēte mammam, verū auersante, idq; cū alia pôst aliā adduceretur; tunc Maria soror eius, quasi non dedita opera, sed fortuitò ad spectandum interuenisset; Nihil agis, inquit, regina, dū nutrices infanti adhibes alieni generis mulieres: si Hebræam aliquam accerseres, is fortè gentilis mulieris mammam admitteret. Placuit reginæ cōsiliū: iussitq; vnā quampiā de Hebręis adducere. Ea verò communem adduxit matrē, ignotā omnibus qui tū aderant: cuius infans auidè mamillam appetere, atq; ei penitus inhærere visus est. Hactenus ex Iosepho. Clemens Alexandrinus eandem commemorans historiā in primo libro stromatū, pleraque mutuatus videlicet ex primo libro Philonis de vita Mosis, refert etiam versus Ezechielis veteris poetæ, & Iudaicarum tragœdiarum scriptoris, quibus hæc ipsa historia concinnè admodum exponitur. *Clemēs Alexand.*

29. Cæterùm de vase seu lectulo, quo Moses expositus fuit in carecto seu papyrio ne (vtrumque enim in hac narratione ponitur) iuxta ripam fluminis, quale fuerit, non satis inter interpretes conuenit. Primum enim pro eo quod Latinus interpres habet (fiscellam) id est, cistā, hebraicè est *Thebath*, quod in vniuersum significat arcam; hoc enim vocabulo appellata est arca Noë, & arca Domini: & sic ēt habet paraphrasis Chaldaica. Septuaginta Interpretes retinuerunt vocabulū hebraicū, deflexum tamē ad terminationē græcam appellantes Thibin, voce apud Græcos inusitata. Quocirca S. Augustinus in lib. 2. Locutionum Exodi sic habet: Quid sit *Thibin* ideò difficile est nosse, quia nec Gręcus interpres ex hebręo, nec Latinus ex Græco vertit hoc nomē, sed transtulit vt inuenit: Sic Augustinus. *August.* Græca tamē translatio Cōplutensis habet non Thibin, sed θήκην, id est, arcā: vt nō vana sit quorundā suspicio, sic etiā scripsisse LXX. Interpretes, verū per inscitiā vel negligentiā commutatis literis ex θήκην factū esse Thibin. Haud dubiè deceptus est Origenes: qui in Homil. 2. in Exodū scripsit, Thibin genus esse tegminis ex virgis aut papyro contextum, vel ex arborū cortice formatū: cum propriè nō significet aliud, nisi arcā, sicut ēt habet versio Pagnini & Vatabli, & Paraphrasis Chaldaica. A quo Iosephus discrepare putādus nō est, vocās lectulum. *Origenes.*

30. Sed quia Latina translatio hoc loco habet fiscellam, in qua positus est Moses, fuisse scirpeam, & locatam esse in carecto, siue, vt paulò infrà dicitur, in papyrione; declaranda est breuiter istarum vocum significatio. Scirpus idem est quod iuncus: est enim leuis & fragilis iunci species, & palustris; quocirca plerique hebraizantium, vertunt hîc, iunceam. Kimhi tradit vocem hebræā (Gome) (super qua multa in hoc *Scirpus quid sit.* *Rab. Kymhi.*

loco

loco disputat Oleaster) significare arborem siue lignum leuissimum, qualis est arundo marina. Septuaginta verterũt papyraceã, sicut etiam Iosephus lib. 2. Antiquitatum. Est autem Papyrus, vel papyrum, arbuscula vel frutex, maximè in palustribus Nili nascens, obliqua radice, triangulis lateribus, decem cubitis longa, & in gracilitatem fastigiata. Ex hoc frutice quondam pręparabantur chartę, in prætenues atque latissimas philyras acu diuisæ, quæ ab hoc frutice, papyrus appellabantur: & quia chartæ nostræ eũdem scribendi vsum præstant, licet ex cõtritis linteis factæ, nihilominus tamen *Plinius.* appellantur papyrus. Lege Plinium lib. *Carectum.* 13. cap. 11. Papyri autem ingens erat in Aegypto circa Nilum copia. Carectum porrò, in quo dicitur posita fiscella Mosis, est locus Caricum complurium vno in loco nascentium: est autem Carix herba alta, in speciem gladij, & sub finem acuminata. Pagninus vocat Iuncetum: Kimhi, arundinetum: septuaginta, paludem. Aben Esdras ait apud Hebræos esse nomen fruticis circa fluminis ripas nascẽtis. Ex his intelligitur, locũ illũ, in quo fuit ex positus Moses, fuisse palustrem, & stagnantibus Nili aquis affusum, densis tamen herbis vel arbusculis septum: ut inibi positus infans, non facile fluminis fluxu atque impetu abriperetur. Malè igi*Arguitur falsitatis Iosephus.* tur, & contra Scripturæ narrationem, Iosephus dixit; Vas illud, in quo positus fuerat Moses, proiectum esse in medium flumen, & deportatum esse ab aquis: filiam verò regis missis natatoribus, iussisse vas illud ex aquis extrahi, & ad se adferi. Perspicuè namque tradit Scriptura contrarium in hoc loco, dicens: *Exposuit eum in carecto ripa fluminis*. Et paulò infrà: *Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis, vt tolleret illam; & allatam aperiens, &c.*

31. *Rupertus.* Rupertus supradicta verba primùm historicè, tum allegoricè declarans, hũc in modum scribit lib. 1. Commentariorum in Exodum, cap. 9. Scirpus, genus aquosæ genistæ est sine nodo: papyrus, leuis canna, de qua Lucanus sic inquit: *Lucanus lib. 4.*

Cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.

Bitumen contra sentinam aquæ tenacissimum præsidium est. Hoc ergo sategit, quantum potuit, parens Mosis, vt infans scirpeo in cophino suauiter cubaret; & leui papyro conserta cymba, sine pondere supernataret, & bene bituminata, sentinam omnem aquæ excluderet. Porrò mysticè totũ id, administrandæ per Mosem Scripturæ præsagium fuit. Elegans quippe infantulus vili scirpo cõtegitur: quia futurum erat eo scribente, vt elegãtia spiritus, vilitate litteræ tegeretur. Ipse papyrio, scriptoris eiusdem futurum calamum designat, ituri cum impetu fluminis, quod lætificat ciuitatem Dei, contra illa vasa papyri, id est, vasa scriptorũ *Psal. 45.* falsitatis, de quibus per Isaiam, cap. 18. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumen Aethiopiæ, quæ mittit in mare legatos* *Locus Isaiæ cap. 18.* *suos in vasis papyri super aquas*. Nec enim terra illa, scilicet Diabolus, siue Antichristus in terreno corpore futurus, qui propter superbiam dicitur cymbalum alarum, id est, accentus blasphemiarum; aliud mittit, nisi mendacium per legatos suos, id est, Paganos, & Hæreticos, in mare huius seculi: & in vasis papyri, id est, scriptoribus mendacibus & fallacibus, per quos aduersus Deum consurget, & consistet. Contra quos per hunc elegantem infantulum missurus erat Deus elegantiam & efficaciam insuperabilis veritatis. Sic Rupertus.

Sed quæstio existit hoc loco, num pec- 32. cauerint parentes Mosis, exponendo eũ *Quæstio* tam manifesto vitæ discrimini. Duplex *an parẽtes* enim dubitandi ea de re ratio existit. Pri *Mosis pec-* mum enim id videtur arguere sententia *cauerint* illa B. Pauli 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorũ,* *exponendo* *& maximè domesticorum curam non habet,* *eum.* *fidem negauit, & est infideli deterior*. Deinde, Extra. de Infantibus expositis, capite vnico, damnantur impietatis, qui relegato, vt ibi dicitur, pietatis officio, filios suos exponunt: & tam parentes exponẽtes liberos suos, quàm domini seruos, vel ancillulas, grauissimis pœnis decernuntur obnoxij. Atenim contrà res habet: nec solùm non peccarunt parentes eius, verùm etiam & prudenter egerunt. Etenim non poterant aliter conseruare vitam infantis: nam si eum domi retinere voluissent, haud dubiè per sagacissimos exploratores deprehensus puer perijsset, & vna cum puero omnis familia.

Nec

Nec parentes omni præsidio destitutum infantem reliquerunt: immò verò omnia illa, quæ poterat, pietatis officia præstiterunt. Primùm celarunt illum tribus mensibus: & cum diutius celari nõ posset, exposuerunt eum, sed quàm tutissimè potuerunt: nimirum in vase bene munito, & in loco satis tuto; iubẽtes itẽ sororem eius non procul ab eo abscedere, vt illum, si qua iuuandi occasio sese offerret, quoquomodo adiuuaret; Qđ si verum est, quod narrat Iosephus, patrem eius fuisse diuino oraculo edoctũ, Mosem, quo tũc grauida erat eius vxor, nequaquam propter atrox regis edictũ, periturum, quin etiam salutis & libertatis vniuersæ Gentis Hebrææ futurum auctorem; meritò sanè pater Mosis hoc fretus oraculo, puerum fidenter exposuit, diuinæ protectioni eum permittẽs. Hinc solutio duarum superiorum obiectionum, in promptu erit lectori.

SEXTA DISPVTATIO.

De Mosis adoptione, & de ipso nomine Mosis imposito ei à filia regis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 10. Quem illa adoptauit in locũ filij, vocauitq; nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

33. EX istis verbis palam fit, Mosem fuisse adoptatũ in filium à filia regis, & pro tali filio nutritum esse, vulgoque habitum atque honoratum. Idem quoque tradidit B. Stephanus, vt refert S. Lucas Actor. 7. dicens: *Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit sibi eum in filium.* Et Beatus Paulus ad Hebræos 11. *Inde, inquit an Moses grandis factus, negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis.* Sed enim quia difficile videtur creditu, potuisse id fieri assensu regis, qui atrocissimus erat Hebræorum hostis, & à vate quodam Aegyptio præmonitus & prędoctus fuerat, nasciturum eo tẽpore ex Hebręis, qui Aegyptijs ingens afferret exitiũ: idcirco quæritur quemadmodũ talis adoptio in filium, à filia regis fieri potuerit. *Locus Actor. 7. & ad Heb. 11.*

Philo dicit, id factũ per deceptionẽ, errorẽq. regis. Etenim filia regis, cũ careret liberis, quorũ tñ incredibiliter ardebat desiderio, simulasse se grauidam, atque hũc peperisse, idq; persuasisse regi. Hęc sunt autem Philonis verba in primo libro de vita Mosis: Filia regis infantem, vt alienũ, matri eius cõmendauit; Deo prouidente, vt prima educatio contingeret infanti domi apud parentes suos: Post hæc nomen ei datur, sumptum ex ipsa re, quia esset ex aquis sublatus: Nã Aegyptiorũ lingua (Mos) aqua dicitur. Vbi verò maioribus quàm pro ætate incremẽtis auctus, maturè ablactatus est, mater, eadem & nutrix, eum reddidit filiæ regis, eleganti sanè præditum indole. Illa videns eum supra ætatem proficere, ex aspectu renouata, atq; incensa magis beneuolentia, facit suum supposititium: quippe iam ante muliebri arte finxerat se grauidam, vt nutritius putaretur filius, nõ ascititius. Tam facile succedit, quicquid Deo placet, quãtumuis arduum. Sic Philo. *Philo lib. 1. de vita Mosis.*

34. Iosephus autem in lib. 2. Antiquitatum, causam illius adoptionis refert ad incredibilem venustatem, & elegantiã Mosis, qua erat omnib. amabilissimus, vt non mirum fuerit tanta eius elegantia captam regis filiam, habere eum pro filio voluisse, & ipsum regem assensum esse: sed potissimum referendam esse putat Iosephus causam ad omnipotentem Dei voluntatem; qui, quod destinauit fieri, denique facit, etiam per eos, qui alienissimi erant, maximè volentes atq; cupientes id fieri, sciunt enim dictũ est à Salomone; Cor regis esse in manu Dei, & flecti ab eo quocunq; voluerit. Sic autem scribit Iosephus: Admirandã gratiã infanti Deus addidit: nemo enim erat adeò tetricus; vt visa Mosis pulchritudine nõ obstupesceret: ita vt, dum gestaretur, obuios quosq; in se conuerteret, qui relictis serijs negotijs, præcellẽti eius forma contuenda satiari non poterant. Tanta erat puerilis gratia, vt inuiti homines ab eo spectando discederent Quo factum est, vt Thermutis hũc sibi filium adoptauerit, cum alioquin germanis liberis careret: allatumq; patri *Iosephus.* *Prouer. 21.*

tri ostentabat, dicēs, de successore se cogitare: Hunc puerum, inquit, ego educaui non minus indoleʼ, quā pulchritudine diuina excellētem: quē Nilus ipse in sinum meū tradidisse videri potest: quē ego decreui adoptare mihi in filiū, tibi verò in principatus atq; imperii successorem: atq; hæc dicens, patri infantē in manus tradit. At ille cum ad pectus appressisset suum, filię gratificaturus, comiter diadema suū eius capiti imposuit. Moses autem detractū capiti, & prolapsum in terrā, pedibus etiā calcauit: id quod mox ominosum est visum, & regno & Aegyptijs portentosum. Quin etiā ille sacrorum scriba, qui natiuitatē eius infantis Aegypto exitialem fore dixerat, occidere puerum volebat, vociferās: Rex, puer iste, per cuius necem securitatem nobis Deus pollicetur, vaticinium iam confirmabit meū, dum puer etiamnum insultat regno tuo, & diadema cōculcat. Hoc interempto, tā Aegyptijs metum, q̄ Hebręis spem & fiduciā adimes. Thermutis verò, cōfestim cū eripuit, rege quoq; nō reluctante, cui Deus talem mentē animumq; indiderat, Mosis saluti prouidens: itaque educabatur in regia, quàm accuratissimè. Et Hebręi quidē, fęlicitatem suæ gentis sperabant: Aegyptijs contrà suspecta erat eius educatio. Sed quia nemo erat tunc vel è cognatis regijs, vel ex alijs optimatibus, qui etiamsi Moses sublatus esset, magno perè curaturus videretur Aegyptiorum commoda, abstinuerunt ab eius cæde. Hactenus ex Iosepho. Mihi vtraq; ratio & causa tum Philonis, tum Iosephi probatur: sed illa potissimū, quæ id ad voluptatem & prædestinationem Dei refert.

Clemēs Alexandrinus.

Aeschili poeta versus apud Clemētem Alexandrinum.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum memorat Aeschili poëtæ tragici versus, quibus historiam hanc describens, sic loquentem facit ipsum Mosem:

„ *Nomē dedit Mosis mihi quòd in humida*
„ *Ripa repertum, sustulit sinu fouens.*
„ *Infantia tempus mihi at vbi transiit.*
„ *Ad regiam me mater adduxit domum,*
„ *Cum cuncta narrasset prius mihi ordine,*
„ *Genusq́, patriam &c. Deique munera.*
„ *Pueriles atas dum fuit sic educor:*
„ *Victus mihi peramplus atque regia*
„ *Doctrina dantur, ac ei essem filius,*
„ *Aetas sed ingeniumque vbi maturius*
„ *Egressus ades regias, &c.*

Narrat. n. deinceps, quemadmodum occiderit Aegyptiū, & sepelierit in arena.

35. *Cur Deus voluerit Mosem nutriri, & educari, in aula Regia.*

Sed quæreret fortasse quispiam, cur Deus Mosem in aula regia nutriri atq; educari voluerit. Cui respondendū est, id singulari factum esse Dei prouidentia. Primùm, quia nullus alius vel Hebræorum, vel Aegyptiorū, nisi filia Regis ausus esset contra Regis tam atrox in Hebræorum infantes edictū, Mosem suscipere, & seruare & educare. Deinde, quia regali cura, & dignitate educatus, euasit in virum vrbanissimis moribus & elegantissimis præditum, atq; animi magnitudine & liberalitate, alijsq; regijs virtutibus præcellentem: qualem scilicet decebat institui, futurū postea, amplissimę gentis Rectorem atque Imperatorem. Ac demum ita factum est, vt omni disciplina atque eruditione institueretur, vt propter cognitas eius ab Aegyptijs eximias animi corporisque virtutes, & admirabilem doctrinam atque sapientiam, pòst deinde, cum apud ipsos, Dei legatione pro liberatione Hebræorū fungeretur, maiorē haberet auctoritatē, fidem, admirationē, ac venerationē: maximè verò editis tot, tantisque miraculis, quæ videntibus ipsis fecit.

36. *An nomen Mosis fuerit Aegyptiacū an Hebraicū.*

De nomine autem Mosis imposito à filia regis dissentitur, vtrum nomen fuerit Aegyptiacum, an Hebraicum. Tres sanè antiquissimi & celeberrimi scriptores, Philo, Iosephus, & Clemens Alexādrinus, cēsent, fuisse vocem Aegyptiacam: idque admodum fit verisimile: nō enim mulier Aegyptiaca imposuisset nomē infanti, quàm suæ linguæ, id est, Aegyptiacum: sed alienæ, atq; etiā Aegyptijs exosæ, Hebraicam dico linguā.

Philo.

Philonis verba in libro primo de vita Mosis sunt huiusmodi: Post hæc, nomen ei datur sumptum ex ipsa re, quòd esset ex aquis sublatus. Nam Aegyptiorū lingua (Mos) aqua dicitur. Sic Philo; Iosephus verò: Et quia, inquit, proiectus fuerat in profluentem, ab hoc casu nomen est fortitus: aquam n. Aegyptij vocant (Mo) (Ises) verò, seruatus: quare composita voce ex vtrisque, nomēn infanti fuit inditum. Hęc Iosephus.

Ioseph. lib. 2. Antiquitatum.

Clemēs Alexandrinus.

Clemens verò Alexādrinus in primo libro Stromatum hoc modo scribit: Deinde puero

im, onit

imponit nomen regina, Moses; apta ety mologia, eo quod eum ex aqua sustulisset. Aquam enim (Mos) vocant Aegyptij, in qua moriturus fuerat expositus: Mosem autem vocant eũ Aegyptij, qui ex aquis emersus respirauerit. Clarum est ergo, quod prius circumciso puero parentes aliquod aliud nomen imposuerint: vocatus autem fuerat Ioachim. Habuit autem tertium quoque nomen in cœlo, postquam in illud assumptus est, vt dicunt Mystæ, nempe Melchi. Hactenus ex Clemente.

Thostatus. At verò Thostatus arbitratur, nomen illud Mosis fuisse Hebraicum: filiam autem Regis didicisse linguam Hebraicã ex puellis Hebræis, quas in suo famulatu habebat. Idemque contendunt *Eugubin^9.* Eugubinus, *Lippomanus.* Lippomanus, *Oleaster.* Oleaster: deducunt enim vocem Moseh, à verbo hebraico (Massah) quod significat extrahere: hac enim significatione vsus eo verbo est *Locus Psal. 17.* Dauid in libro 2. Reg. cap. 22. & in Psal. 17. illis verbis: *Extraxit me de aquis multis*; vt ꝓpterea fuerit appellatus Moses, *Abẽ Esras.* quod ex aquis extractus esset. Rabbi Aben Esras ait, nomen Mosis Hebraicũ esse, sed translatum ex lingua Aegyptiaca: in qua lingua vocatus fuit primum Monion, idque testatur se in libro quodam Arabico reperisse. Et verò, fieri potuit, vt appellatus fuerit primò Aegyptiaca voce; post factũ sit ei nomen hebraicum, habens tamen similem Etymologiam atque significationem priori voci Aegyptiacæ.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Quibus disciplinis & artibus institutus atque eruditus fuerit Moses in Aegypto.

37. *Caietanus.* RECTE annotauit in hoc loco Caietanus, cum hîc dicit Scriptura, Mosem fuisse adoptatum in filiũ à filia regis, & (vt B. Stephanus inquit, Actor. 7.) pro filio ab ea nutritum, satis ea re significasse, eũ quoque omnium liberalium, optimarumq; artium genere, vt decebat regium filiũ, studiosè, curioseq; fuisse institutũ. Quibus autem doctrinis, quibusuè artibus fuerit in aula regia Moses eruditus, declarauit Philo in 1. lib. de vita Mosis. Fa *Philo.* cit enim tripartitã Mosis institutionem, atq; eruditionem, Chaldaicam, Græcã, & propriè Aegyptiacam: & à Chaldæis didicisse ait syderalem, & astronomicã scientiam, præsertim quæ futurorũ prædictiones continet, à Græcis verò, Philosophiam accepisse. Doctrinam porrò Aegyptiacam, duplicem facit: Vnã quidem, popularem, & apertam, & expositam omnibus; nimirum Geometriam, Arithmeticã, Astrologiã, & Musicam: alteram verò Aegyptiorum doctrinã scribit fuisse secretã, & sacrã, & dictam Hieroglyphicam, maximo apud illos in pretio & honore, per symbola quædã atq; ęnigmata, grauissima quæq; Physiologiæ, & Theologiæ, & Politicæ facultatis mysteria, & dogmata denotantẽ. Verùm præstat ipsum audire Philonẽ, hæc quę nos cursim attigimus, disertè scribẽtem: Nactus igitur educationẽ regiam (inquit Philo) nequaquam infantiũ more delectabatur assẽtationibus, iocisue, aut lusibus, quamuis indulgenter haberetur ab educatoribus: sed iam tũ modestiã, grauitatẽq; præseferens, malebat audire, spectareq; vtili a. Cõfestim itaq; accesserunt aliunde præceptores: quidã vltrò venientes è præfecturis Aegypti proximis: alij magnis pretiis inuitati è Græcia. Eos autem puer intra modicũ tempus superauit, natiua docilitate institutionẽ præcurrens, vt reminisci videretur, non discere: in rebus difficiliorib. de suo cõminiscens aliquid; quippe pręclara ingenia, multa nouant circa scientias. Et quemadmodũ bonæ habitudinis corpora, mẽbris oĩbus agilia, securos pędotribas faciunt, exhibendo illis vel nihil negotij, vel minimùm: itidemq; agricolis generosæ plantæ per se proficientes in bonas arbores: sic anima bene nata, præceptis obuiã sese offerens, à se ipsa magis, quàm à magistris adiuuatur: arreptisq; rudimentis cuiusq; scientiæ, ut equus (iuxta prouerbiũ) fertur in planiciem. Itaque numeros & Geometriã vniuersamq; Musicam, tam practicam tum contemplatiuam accepit ab Aegyptijs doctoribus: & insuper occultã Philosophiã descriptam litteris, vt vocant, Hiero-

Hieroglyphicis, hoc est, notis animalium, quæ ipsi venerantur pro numinibus. Reliquas litterales artes Græci docebāt. Ex propinquis autē regionibus vocati Assyrij, suas litteras, & Chaldæi syderalem scientiā tradebant. Obseruabat autem Moses, quid inter eos conueniebat, & quid differebat: intactusque à contentionibus, veritatem tantùm quærebat: multò secus quàm plerique, qui accepta semel qualiacumque dogmata, obstinatè defendūt, siue proba fuerint, siue improba; more videlicet causidicorum mercenariorum, litibus serēdis, & prolatandis, propter lucrum, gaudētiū, ius verò & æquum negligentium. Hæc Philo.

38. Refellitur Philo, & ostenditur nullas fuisse in Græcia disciplinas & doctrinas tēpore Mosis. Loc° Act.7

Sed enim quod Philo dixit de Græcis Doctoribus & eruditoribus Mosis, falsum esse conuincitur tribus argumētis. Primum enim B. Stephanus Acto.7. hanc ipsam commemorans eruditionē & institutionē Mosis, præcisè dixit, fuisse eum omni sapientia Aegyptiorū erunditum; de doctrina autem Græca vel Chaldaica, qua Philo ait eum fuisse instructum, planè nullum verbum facit; quod sanè, cum ad illustriorem Mosis laudem faceret, minimè tacuisset. Deinde, ante septem illos & primos Græciæ sapientes, qui circa Olympiadem quinquagesimam claruerunt, nulla fuit apud Græcos philosophia, vel grauis doctrina. Ortus verò Mosis, vt supra ostēsum est, plus mille annis ætatem septem illorum sapientum antecessit. Quid plura? primus omnium dicitur Cadmus litteras à Phœnicibus acceptas in Græciam transtulisse, & in vsum Græcorū primò induxisse: Cadmus porrò non paucis annis Mose posterior fuit.

39. Clemens Alexandrinus.

Eadē fermè quæ Philo, de institutione Mosis tradit Clemens Alexandrinus in primo libro Stromatum, indubiè mutuatus ea, paucis adiectis, ex Philone. Cum autem, ait Clemens, ætate iā esset grandior Moses, Arithmeticam & Geometriam, Rithmicam, & Harmonicam, & præterea Medicinam, simulq; Musicā doctus est ab ijs, qui erant insignes apud Aegyptios: & insuper eam, quæ traditur per symbola, seu signa, philosophiam, quā in litteris ostendunt Hieroglyphicis. Alium verò doctrinæ orbem tanquam puerum regium, Græci eum docuere in Aegypto, vt dicit Philo in vita Mosis. Didicit ēt rerum cœlestium scientiam à Chaldæis & Aegyptijs. Vnde in eius rebus gestis dicitur, fuisse doctus in omni sapientia Aegyptiorū. Eupolemus aūt in lib. de Iudææ regibus, dicit, Mosem fuisse sapientē, & grammaticam, atque litteras primū tradidisse Iudæis, à quibus Phœnices acceptas transtulerunt ad Græcos. Hæc Clemens.

40. B. Aug. ait, Mosem nō fuisse inuētorem litterarum Hebraicarū.

At enimuerò primum omnium Mosem dedisse litteras Hebræis, haudquaquam probatur B. Aug. in lib. de ciuit. Dei, 18 cap. 39. super ea re hunc in modū disserens: Non est credendum, quod nonnulli arbitrantur hebræam tantùm linguam, per Heber, à quo Hebræi sunt appellati, fuisse seruatam, atque inde peruenisse ad Abraham; Hebræas aūt litteras à lege cœpisse, quæ data est per Mosem. Sed potius existimare cōuenit, per illam successionem Patrum, Hebræam linguam cum suis litteris esse custoditā. Denique Moses in populo Dei constituit, qui ducēdis litteris præessent, priusquā diuinæ legis litteras vllas nossent. Hos appellat Scriptura *Grammateon Isagogos.*, qui Latinè dici possunt litterarū introductores; eò qđ eas inducant quodammodo in corda discentium, vel in eas potius ipsos, quos docent, inducant. Sic August. Iosephus autem primo lib. Antiquitatum apertè testatur, etiam ante diluuium, vt linguæ Hebraicæ, sic etiam litterarum vsum fuisse apud priscos illos homines: nā de posteris Seth, qui fuere ante diluuium, verba faciens, ita scribit: Syderalem scientiam, & cælestium rerum cognitionem excogitauerunt. Ne aūt inuenta sua ex hominū notitia dilaberentur, & prius perirēt, quā pernoscerentur; sciētes, prædixisse Adamum, duplicem fore vniuersalem rerū interitum, vnum incendio, diluuio alterum: excitatis duabus columnis, vtriq; sua inuenta inscripserunt: vt si lateritiā diluuio deleri contingeret, lapidea superstes, hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Lapidea porrò colūna ab ipsis dicata, nostris etiam temporibus extat in terra Syria. Hęc Iosephus.

Deut. 29. & 31. γραμμάτων εἰσαγόγους. Ante diluuiū fuisse vsum litterarum Hebraicarū. Iosephus.

Vaticiniū Adā de duplici mūdi exitio.

OCTA-

OCTAVA DISPVTATIO.

De sapientia Aegyptiorum, qua eruditus est Moses, qualisnam fuerit, & vnde ab Aegyptijs accepta.

SVPER ILLIS VERBIS B.Stephani.

Actor. 7. Et eruditus est omni sapientia Aegyptiorum:& erat potens in verbis,& in operibus suis.

41. QVONIAM in hoc loco agimus de Mosis institutione, congruè facturi videmur, si etiam hîc sententiam illã B. Stephani, de institutione Mosis in omni sapiẽtia Aegyptiorum, pensitemus, ac diligẽter exponamus. Verùm ante omnia præmonẽdus est Lector, euidenter illa sententia B. Stephani cõfutari, & falsitatis argui, quod prodidit Artapanus peruetustus scriptor, referente Eusebio in libro nono de Præparatione Euangelica, capite vltimo. Tradidit enim Artapanus, inter alia præclara Mosis inuenta, & vtilitates Aegyptijs ab eo allatas, litteras etiam ipsum sacerdotibus Aegyptiorũ tradidisse: atque eo factum esse, vt quasi Deus ab Aegyptijs ille coleretur; & ꝓpter litterarum inuentionem appellatus fuerit ab Aegyptijs Mercurius. Sed hoc falsum esse, arguit sñia B.Stephani dicẽtis, Mosem, cùm puer esset, eruditũ fuisse oĩ sapientia Aegyptiorũ. Ergo ante Mosem Aegyptij, non litteras modò, verum etiã multiplicem sapientiam habuerũt.

Artapanus dicens, Mosem inuentorẽ fuisse apud Aegyptios litterarum, refellitur.

42. Verùm breuiter exponamus, qualis fuerit apud priscos illos Aegyptios, in tempore Mosis, doctrina & sapientia. Sanctus Martyr Iustinus duplicem fuisse scribit apud Aegyptios, id temporis, doctrinam; vnam quidem apertam & vulgarem, & quibuslibet tradi solitam; erat autem hæc Geometria, Arithmetica, Astrologia, & Musica; quibus prætera, secundum Diodorum lib. 2. & Diogenem Laërtium in Procemio, Eusebium lib. 1. de præparatione Euangelica, & Clementem Alexandrinum in quarto libro Stromatum, adijcere oportet & Physiologiam, haud multum dissimilem Peripateticæ; & Theologiam, tũ de natura & varietate Deorum; tum de ritibus, & cæremonijs in Deorum cultu obseruandis. Altera Aegyptiorum doctrina erat secreta & sacra, dictaq; Hieroglyphica, magno apud illos in pretio & honore habita, nec quibuslibet, sed electis tantùm, eximijsq; viris cognoscibilis; per symbola nimirum & ænigmata, Physiologiæ & Theologiæ, nec non & Politicæ facultatis mysteria & documenta insinuans & adumbrans. Adscribam hîc Iustini super ea re verba. Proposita Iustino fuerat ab Orthodoxis, quæstio hæc, quæ inter quæstiones Orthodoxorum numeratur xxv. Si institutus erat Moses in omni sapientia Aegyptiorum, adeò vt factis dictisque potẽs esset, vt tradunt diuinæ litteræ: consequens vtique est, vt Astromantiam, & Geometriam, & Astrologiã, quæ apud Aegyptios errorum documenta tradebant, etiam Moses didicerit. Quomodo igitur ex talibus dictis, & factis, taliũque disciplinarum cognitione & vsu, Mosem celebrari dignum fuit? Ad hanc quæstionem sibi propositam ita respondet Iustinus: Celebrat Mosem diuina Scriptura ob dictorum factorumq; potentiam, non propter dicta & facta per se, erant enim indigna, ob quæ celebraretur Moses. Sed quia propter vtraque percelebris & admirabilis apud Aegyptios erat Moses, videlicet propter orationis disciplinam, & ciuilis vitæ claritatem; cui tamen vtique pietatem prætulerat Moses, atque ob eam causam laudatur & celebrat in sacris literis. Astromantia porrò, Astrologia & Geometria, erant tunc temporis apud Aegyptios disciplinæ forenses, & vulgares, & humiles, & abiectæ habebantur. In pretio autem & honore apud illos erãt disciplinæ, quæ vocantur, Hieroglyphicæ: quæ quidem in penetralibus, abditisque locis & sacris, nec quibuslibet hominum, sed eximijs tantùm electisq; tradebantur. Harum Moses scientiam quidem habebat, vsum verò minimè: vt pote contrarium diuino Hebræorum regimini, propter quod ille cõtempta vniuersa regali in Aegypto potentia, maluit

Qualis & quotuplex fuerit sapiẽtia Aegyptiorum.
Iustinus Martyr.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.
Eusebius.
Clemens Alexand.
Iustinus Martyr.
ad Heb. 11

luit cum Dei populo aduersa pati. Hæc Iustinus. Huiusmodi porrò symbolicã & ænigmaticam Aegyptiorum sapientiam, tres habuisse species, Imitatiuam, Translatiuam, & propriè dictam ænigmaticam, copiosè atque eruditè docet Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum; eorumque velut summam quandã distinctè Sixtus Senẽsis exposuit in lib. 2. Bibliothecæ sanctæ.

Clemens Alexand. *Sixtus Senensis.*

43. Sequitur altera quæstio, vnde istiusmodi sapientiam acceperint Aegyptij; quisue apud eos primus doctor eius, aut etiam inuentor fuerit. Tres auctorum sunt opiniones. Prima, Ethnicorum, & cum primis Iamblici, facientium eius sapientiæ primum doctorem, & inuentorem, Mercurium; Trismegistum, propterea cognominatum, quod idem maximus philosophus fuerit, maximusque rex, & idem sacerdos maximus: sub cuius nomine nunc extãt dialogi duo, Pimander, & Asclepius. Iamblicus quidem certè in libro, quem de mysteriis Aegyptiorum scripsit, hunc Mercuriũ affirmat, non solum philosophiæ, sed totius etiam Aegyptiacæ sapientiæ fuisse auctorem; testesq; Seleucum & Menœcum excitat, veteres scriptores, asserentes, scripsisse eũ de vniuersa Aegyptiorum sapientia libros triginta sex mille, & quingentos viginti quinque. Clemẽs libro sexto Stromatũ, ait sua ætate fuisse libros eius de vniuersa Aegyptiorum philosophia triginta tres: de Medicina libros sex: de Sacerdotibus decem: de Astrologia libros quatuor. Verùm istã opinionem falsam esse demonstrat ratio temporum. Etenim Mercurium istũ vel paulò iuniorem fuisse Mose; vel etiã non paucis annis posteriorem, ex veterum monumentis notum est. Nam quo tempore natus est Moses, eo tempore claruit Atlas ille celebratissimus Astrologus, & Promethei Physici frater, & maternus auus Mercurij, vt docet Eusebius in Chronicis, & S. Augustinus lib. 18 de ciuitate Dei, cap. 8. Huius porrò Mercurij censent nonnulli nepotẽ fuisse alterum Mercuriũ, cognomine Trismegisti nobilitatum, de quo nunc agimus. Cum igitur sapientia Aegyptiaca, qua Moses in prima ætate eruditus est, multò antiquior fuerit ipso Mose; eoq; posterior fuerit iste Trismegistus, palam est, eum auctorem esse non potuisse Aegyptiacæ sapientię, quam Moses didicit.

Quis fuerit sapientiæ Aegyptiacæ primus doctor, aut inuentor. *Prima opinio, qđ auctor Aegyptiacæ sapientiæ fuerit Mercurius Trismegistus, refellitur.* *Mercurij scripta.* *Clemens Alexand.* *Eusebius.* *S. August.*

44. Altera satis peruulgata opinio est, bonas disciplinas atque istam sapientiã didicisse Aegyptios à Patriarcha Abraham eo tempore, quo fame compulsus petijt Aegyptum, atque ibi aliquandiu moratus, bonas disciplinas Aegyptios docuit. Apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euãgelica, cap. 4. Eupolemus antiquus scriptor, testatur, Abraham in vrbe Heliopoli, vnà cum sacerdotibus versatum esse, à quo illi Astrologiam didicerunt. Et Iosephus in primo lib. Antiquitatum tradit, Abraham ob sapientiam fuisse magno in pretio habitum ab Aegyptijs, vt qui eximiam intelligendi, iuxtaque dicendi facultatem præ se ferret; quibus ille & numerorum, & astrorum scientiam benignè impertiuit: nãque antea earum disciplinarum planè rudes illi atque ignari fuerant. Hæ porrò disciplinæ à Chaldæis ad Aegyptios perlatæ, diu multumque ini bi floruerũt: Postea verò ab Aegyptijs transuectæ sunt ad Græcos. Hæc Iosephus. Sed istã opinionem non esse probabilem, dupliciter probatur. Primum enim Abraham breuissimo tempore tunc fuit apud Aegyptios, vt perspicuè ostendit narratio Mosis in cap. 12. Genesis: itaque disciplinas Aegyptijs, in tanta temporis breuitate, tradere non potuit. Verùm hæc nos enucleatius, & latius diximus in tertio tomo Commentariorum nostrorum in Genesim super caput 12. Genesis, in disputatione 6 Deinde, B. Augustinus in lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 40. grauissimo M. Varronis testimonio firmat, Aegyptios primum didicisse literas, magistra Iside, paulò plus duobus annorum millibus ante suam ætatem. Eusebius autem in Chronicis, Inachi regis, cuius filia Isis fuit, regnum inchoat post mortẽ Abrahæ. Nõ igitur Abraham Aegyptijs disciplinas tradidit, q post mortẽ Abrahæ primas literas ab Iside didicerunt. Si aũt, quam dixi, Eusebij Chronologiam esse veram credimus, non erit verum, Isidem fuisse ante ætatem vel Varronis, vel B. Augustini non multo plus duorũ millibus annorũ. Etenim regnante Inacho

Secũda opinio, qđ disciplinas Aegyptij didicerint ab Abraham. *Eupolemus apud Eusebium.* *Iosephus.* *Marc. Varro apud August.* *Eusebius.* *Discutitur Chronologia Eusebij auctoritas de tempore Isidis.*

cho, & viuente eius filia Iside, factum est Ogygis diluuiũ, quod mille & viginti annis præcessit primam Olympiadẽ. Marcus autẽ Varro claruit circa Olympiadem centesimam octogesimam; B. verò Augustinus circa trecentesimam Olympiadem, post annos scilicet quadringentos ab ortu Domini nostri. Quapropter Isis præcessit ætatem Varronis, annis mille & ad minus, octingentis, id est multò minus duob. millib. annorũ, Aetatem verò B. Augustini præcessit annos propè bis mille ducentos: id autem est, multò plùs duobus millib. annorũ.

45. Tertia sententia, prioribus haud paulò probabilior, est huiusmodi: Aegyptios & literas, & doctrinarum elemẽta accepisse ab Iside, vt Varro tradidit: Verùm postea, cum ab alijs, tum præcipuè à Iacob, qui iam senex per decem & septem annos cum Aegyptijs versatus, & apud eos mortuus est, doctrinæ Aegyptiacæ magnam esse factam accessionẽ & ingentia esse allata incrementa, credibile admodum est. Sed maximè Aegyptios docuit multiplicem sapientiam Iosephus: Is enim p octoginta annos, summo cum Imperio, secundùm regẽ, Aegypto pfuit, maxima prudentię & sapiẽtiæ apud Aegyptios in opinione & admiratione, & huic sentẽtiæ videtur suffragari etiam diuina Scriptura; quæ de Ioseph, dũ versatus est in Aegypto, hæc scribit: *Constituit eum*, Rex Aegypti ipsum Ioseph, *Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ; vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*. Nam Aegyptij sapientiam à Iacob, & Ioseph acceptã, per alios Hebreæ gentis viros sapientes, quibus cum amplius ducentis annis conuersati sunt, maiorem in modũ amplificare potuerunt; & amplificarunt sanè, sed admixtis ex sua superstitione, & Dœmonum illusione pluribus, varijsque erroribus, vanissimis profectò & absurdissimis: vt mirum non sit, in doctrinis, & institutis, & legibus Aegyptiorum veterum, multa Hebræorum doctrinæ, legis, & morum simillima, legi apud Herodotum, & Diodorum Siculum, aliosque qui de priscis Aegyptijs scripserunt.

Locus Psal. 104.

NONA DISPVTATIO.

Cur Deus Aegyptiorum disciplinis erudiri Mosem voluerit: & quam hæc historia Mosis habeat allegoricam futurorum significationem.

CVR Deus voluerit Mosem Aegyptiorum sapientiam perdiscere, tres causas satis idoneas & probabiles afferre licet. Ac primò quidem, quò esset Moses apud Aegyptios in maiori pretio & honore: & postea, Dei ad Pharaonem mandata, maiori auctoritate & efficacia exequeretur. Aegyptij nempe eos, qui suæ rudes erãt sapientiæ, despiciebant; in ea verò præstantibus, singularem honorem, maximamque fidem habebant. Quanti verò Mosem facerent Aegyptij, intelligere licet ex illis Scripturæ verbis Exodi 11. *Fuit Moses magnus coram seruis Pharaonis, & omni populo*. Deinde, pertinet ad consummatam, & omnibus numeris absolutam sapientis viri perfectionem & laudem, nosse omnia: non solùm propria & domestica, sed externa & aliena; non solùm vera, sed etiam falsa; non solum bona & vtilia; sed mala & noxia: tum ad malorum prouisionẽ & cautionem, fugamque; tum ad maiorem in bonis confirmationem: eadem enim contrariorum est disciplina, vt videre est in medicina, Ethica, agricultura, militari disciplina, & politica. Salomon, omniũ sapientissimus mortalium, partem quãdam sapientiæ suæ duxit, nosse hominũ stultitias & errores. *Dedi cor meum vt scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque, ac stultitiam*. Et in libro Ecclesiastici, cap. 39. perfectus amator sectatorque sapientiæ describitur hisce verbis: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit: narrationẽ virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit; occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in omnibus tentabit.* 46.

Locus Ecclesiastæ, cap. 1.

Locus Ecclesiastici, cap. 39.

Ad hæc, cognitio disciplinarum & sapientiæ Aegyptiorum duas Mosi, & has quidem 47.

quidem ingētes,& muneri,quod postea obiturus erat,plurimū conducentes vtilitates,attulit. In illa enim Aegyptiorum doctrina, multa erant non solùm falsa, sed vana, absurda, superstitiosa, & impia: quorum falsitas,& vanitas,& impietas,tantò apertius demonstrari, tantoq; validius confutari poterat; quantò melius & penitius esset cognita. Id porrò multum proficere poterat,tum ad conuersionem Aegyptiorū ad veritatis notitiam; tum ad continendos Iudæos in accepta à maioribus suis veritatis doctrina; ne, pro ipsorum natiua ad malū propensione, defluerent ad errores Aegyptiorum. Erant tamen non pauca in illis Aegyptiorum disciplinis & artibus non solùm vera,sed frugifera, & humanæ societati ac vitæ plurimum conducētia,& quæ Mosi, futuro amplissimæ gentis Imperatori & Legislatori, nec non & doctori, atque rectori multiplicem vsum, ingensq; adiumētum afferre possent. His addere oportet, quod tradit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Mosem in quibusdam legibus & præceptis suis tradendis, vsum esse Hieroglyphica Aegyptiorum ratione, per Symbola quædam & ænigmata, salutaria virtutum moraliū, & religionis adūbrando & insinuando documēta. Eleazarus certè Pontifex Iudæorum, Andreæ & Aristæę legatis regis Philadelphiæ ad ipsum,percunctantibus ex eo, non fine admiratione, cur Moses, cæteroqui vir prudentissimus & sapientissimus, interdixisset Iudæis quorundam animalium esum,quibus vulgò cæteræ gentes vescerentur:& ad vsum sacrificiorum quædā animalia admiserit,& reiecerit alia; respondit,istiusmodi præcepta Mosis,esse Symbolica,& ænigmatica, qualia erant Hieroglyphica Aegyptiorum, & famosa illa Pythagoræ Symbola: de quibus pauca quædam à B. Hieronymo in lib. 3. Apologiæ aduersus Ruffinum, strictim memorata, non ab re fuerit, vt hîc adscribam. Aenigmata illa Pythagoræ, (ait Hieronymus) quæ diligētissimè Aristoteles in suis libris persequitur, huiusmodi erant. *Stateram ne transilias*: id est: Ne prętergrediare iustitiam. *Ignem gladio ne fodias*. Iratum videlicet, & tumidum animum, verbis maledicis ne lacessas. *Coronam minimè carpendam*, id est: Leges vrbium conseruandas. *Cor non comedendum*, id est, Mœrorem de animo proijciendum. *Per viam publicam ne ambules*, id est, Ne multorum sequaris errorem. *Hirundinem in domum non esse recipiendam*, id est, garrulos & verbosos homines sub eodem tecto habendos nō esse. *Oneratis superponendum onus; deponentibus autem onus, minimè communicandum*, id est, Ad virtutem cōtendentibus augenda esse præcepta; laborem verò fugientes,& otio deditos esse relinquēdos. Hæc pauca de Symbolis Pythagoræ,referente B. Hieronymo, indicare Lectori, non alienum duxi.

Clemēs Alexandrinus.

Aristæus in historia quam scripsit de Trāslatione LXXII. Interpretum.

Symbolica Pythagoræ documenta ex B. Hieronymo.

48. Cæterùm in hac historia Mosis delitescentem opertamq; allegoricam futurorum significationem aperientes, ostendamus, quid historia ortus, expositionis, & adoptionis Mosis præfigurauerit de Christo. Natus est Moses quo tempore cœpta fuerat, & vehementer flagrabat seruitus & afflictio Hebræorū: Natus inquam tunc est Moses, futurus eius seruitutis depulsor, & gentis suæ liberator. Similiter Christus in mūdum venit factus homo, quo tempore primū gens Hebræa redacta fuerat sub seruitutē regis alienigenæ Herodis; quando nimirū verè completum est illud vaticiniū Iacob: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est*. Verùm tunc præcipuè Christus venit, cum Diabolus oppressum tenebat genus humanum durissima seruitute vitiorum, præsertim autem idololatriæ. Moses tribus mensibus in domo parentum suorum occultatus est. Christus occultatus est in veteri lege, quæ significatur per Mosem, etiam quodammodo tribus mensibus. Dum enim lex Mosis durauit, tripartitum fuit regimen Iudæorum: primò sub iudicibus: tum sub Regibus, denique sub Pontificibus. Christus igitur occultatus est in lege, quæ viguit hisce tribus temporibus. Vel aliter, Christus occultatus est in veteri Testamento, id est, occultè significatus trifariam: primùm in personis & factis; vt in immolatione Isaac, in venditione Ioseph, in pugna Dauid cum gigante Goliath. Deinde in sacramentis & sacrifi-

Genes. 49.

Genes. 22. Infrà 37. 1. Reg. 17.

Exodi 12. & alibi. Infrà 16. Num. 21. Genes. 49. Deut. 18. cijs, alijsque cæremonijs illius legis; vt in agno Paschali; in Manna, in serpente æneo, alijsque, super quibus præclarè disputat Apostolus in epistola ad Hebræos. Ac demum in oraculis & vaticinijs, vt illud Iacob: *Non auferetur sceptrũ de Iuda, & dux de fœmore eius, &c.* Et illud Mosis: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, &c.* & alia plurima vaticinia ad Christum pertinentia, quorum referti sunt Prophetarum libri, præsertim Isaiæ, & Danielis. Proiectus est à parentibus in flumen Moses: & Christum Synagoga in aquas tribulationis, & mortis deiecit. In persona enim Christi dixit David: *Intrauerunt aquæ vsque in animam meam: infixus sum in limo profundi, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* *Locus Psal. 68.* Mosem à parentibus abiectum & expositum mulier infidelis accepit, & pro filio suo educauit: ita populus Gentilis Christum à Iudæis abiectum gaudens & exultans fide accepit, & religione adorauit, & pro Deo suo coluit. Et Moses quidem natus est in domo exigua, & ex parentibus pauperibus & seruientibus: sed magnificè ac splendidè & regaliter nutritus & educatus est à filia regis: Consimili ratione, Ecclesia Christi in ortu suo pusilla, & paupercula fuit: vbi verò Christũ Gentilitas accepit, euasit in amplissimam & honoratissimam, & ditissimam: sicut disertis verbis prædixerat Isaias futurum. *Isa. 49. & 60.* Quod autem Moses adoptatus est à muliere Gentili propter eius elegantiam; & hoc futuri præsagium fuit. Futurum enim erat, inquit Rupertus, vt scholis Gentilium placeret maximè elegãtia & maiestas sanctarum Scripturarum. *Rupertus lib. 4. Commentariorũ in Exodũ, cap. 9.* Verbi gratia, Ptolemæus Philadelphus rex Aegypti, cum omnium Scripturarũ vtilium studio flagraret, leges quoque Dei per Mosem conscriptas, sibi in Græcum sermonem transferri, summa instantia deposcens; accepit ab Eleazaro Iudæorum Pontifice septuaginta duos seniores, à quibus leges Dei Græcè interpretatas relegens, oppidò lætatus est. Nam quod hîc rex egit, simile quodammodo fuit, atque quod soror Mosis Maria procul stans matrem eius vocauit: quæ & nutriuit infantem, & adultum tradidit filiæ Pharaonis. Mater quippe sanctæ Scripturæ lingua hebræa est; ad quam interpretandam, vel transferendam in Grecũ sermonem philosophia persuasit regi Philadelpho. Sic Rupertus.

DECIMA DISPVTATIO.

An Moses iustè occiderit hominem Aegyptium rixantem cum Hebræo.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 11. & 12. In diebus illis, postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, & virum Aegyptiũ percutientem quẽdam de Hebręis fratribus suis. Cumq; circũspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo.

49. POST infantiam Mosis, vsq; ad annum fermè quadragesimum, quem agebat, cum occidit illum Aegyptium, nihil de eo proditum est in sacris litteris: sicut etiam de Christo, post infantiã eius vsque ad annũ trigesimũ, nihil Euangelistæ tradiderunt, nisi remansionẽ eius duodecẽnis in tẽplo. *Luc. 2.* Mãsit itaque Moses in Aegypto per quadraginta annos magno in honore & dignitate: erat enim, vt ait B. Stephanus, vir potens verbis & operibus. Eo autẽ temporis spatio, narrat Iosephus, Mosem iussu regis Aegypti, bellũ gessisse aduersus Aethiopes depopulantes Aegyptũ. *Iosephus lib. 2. Antiquitatum.* Ductoq; per solitudinẽ, admirabili consilio & prouidentia, exercitu, Aethiopes fugatos & profligatos compulit in Saba, eius gentis regiam: quam vrbem postea Cambyses Persarum rex, de nomine sororis suæ, Meroen appellauit. Eam vrbem cum arctissima obsidione Moses premeret, nec tamen (quòd esset inexpugnabilis) capere eam posset, Tharbis, filia regis Aethiopum, Mosis admiratione, & amore capta, vrbem dedit Mosi, ea conditione, vt ipsam vxorem acciperet.

Auctor historia cap. 6. historia sua in Exodum.

ret. Et hanc Mosis vxorem quidam putant (& in his Auctor hist. Scholasticæ) fuisse Aethiopissā illā, propter quā Maria & Aaron murmurauerūt cōtra Mosem, vt scriptum est Nume. 12. sed hoc falsum esse, paulò infrà ostendemus. Hanc quoque expeditionem Mosis aduersus Aethiopes cōmemorat, licet paulùm diuersè, Artapanus apud Eusebium lib 9 de Præparat. Euangelica, cap. vlt. Tradit præterea Auctor historiæ Scholasticæ, (nescio vnde sibi compertum) cum Moses, parta victoria, redire vellet in Aegyptum, nec acquiesceret filiæ regis, quam vxorem duxerat; eum, vt qui peritissimus esset astrorum, duas imagines sculpsisse in gemmis, eius virtutis ac potestatis, vt altera memoriam afferret, altera obliuionem. Cumq; paribus annulis eas inseruisset, alterum annulum, scilicet obliuionis, dedit vxori: alterum ipse sibi reseruauit; vt sicut pari amore, sic paribus annulis insignirētur. Cœpit ergo mulier amoris obliuisci Mosis, & sic ille potuit liberè in Aegyptum regredi. Hęc ille Auctor: quod præterquam quod fabulosum duco, cum sit admodū insigne, & memorabile, mirum id à Philone, & Iosepho, in his, quæ de Mose copiosissimè scripserunt, vel ignoratum fuisse, vel prætermissum.

50. Sed videamus an illa cædes hominis Aegyptij, iniusta fuerit. Et verò fuisse videtur iniusta: tum quòd Moses eo tempore nullam habebat legitimam auctoritatem & potestatē, neque in Hebræos, neque in Aegyptios: tum quod Aegyptius ille propter solam percussionē hominis Hebræi, non merebatur occidi.

Oecumenius.

Oecumenius in Commentarijs suis in epistolam B. Iudæ tradit, Diabolum in altercando cum Michaele Archangelo super corporis Mosis sepultura, dixisse, Mosem dignum nō esse sepultura, quòd iniustè occidisset hominem Aegyptiū.

S. Augustinus putauit aliquando Mosem iniustè occidisse hominē Aegyptiū: sed postea contrariā sententiā probabiliorem duxit.

S. Augustinus putauit aliquando, cędem illam non fuisse iustam: indolem tamen virtutis & magnitudinem animi, & zelū iustitiæ, quem in ea re declarauit Moses, esse laudandum: sicut laudamus terram feracem multarum herbarum, etiā inutilium & noxiarum, ob natiuam eius vbertatem videlicet & fœcunditatem. Nō fuisse autem licitam illius Aegyptij cædem, eo probat argumento Augustinus, quòd nullam tunc haberet Moses legitimam potestatē neq; in Hebræos, neque in Aegyptios, vel à Deo ipsi proximè demādatam, vel humana delatam auctoritate.

August. lib. 22. contra Faustum, cap. 70.

Verba B. Augustini super ea re huiusmodi sunt: Consulta æterna lege, reperio, nō debuisse hominem à Mose, qui nullam ordinatam potestatē gerebat, quamuis iniuriosum & improbū occidi. Veruntamen animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittunt sæpè vitia quædam, quibus indicēt, cui virtuti sint potissimū accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic enim & agricolæ, quam terram viderint, licet inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronuntiant: & vbi filicem aspexerint, licet eradicandā sentiāt, generosis vitibus habilē intelligūt: & quem montē oleastris siluescere aspexerint, oleis esse vtilem, cultura accedēte, non dubitant. Similiter igitur animi motus, quo Moses peregrinum fratrem à ciue improbo iniuriam perpetiētem: non obseruato ordine potestatis, inultū esse non pertulit; nō virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magna fertilitatis signa fundebat.

Locus Matthæi 26.

Consimili etiam ratione Petrus, euaginato gladio, volens defendere Dominū, aurē persecutoris abscidit: quod eius factū Dominus satis minaciter cohibuit, dicens: *Reconde gladium: qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet*. Ille autem vtitur gladio, qui nulla superiori ac legitima potestate vel iubente, vel concedēte, in sanguinem alterius armatur: Iusserat vtique Dominus discipulis suis, gladium ferre, sed non iusserat ferire. *Luc. 22.* Quid ergo incongruū, si Petrus post hoc peccatum, factus est pastor Ecclesiæ; sicut Moses post percussum Aegyptium, factus est rector illius synagogæ? Vterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate, iustitiæ regulā excessit: vterque odio improbitatis alienæ, sed tamen amore, hic fraterno, ille dominico, licet adhuc carnali peccauit. Resecandum quidem hoc vitiū vel eradicandum fuit; sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum erat. Sic ibi Augustinus.

51. *Actor. 7.* At enim in ista sententia haud quaquam permansit Augustinus: sed persuasus verbis B. Stephani nõ obscurè significantis, Mosem conscium potestatis à Deo sibi demandatæ defendendi Hebræos ab iniurijs Aegyptiorũ, occidisse Aegyptium; hac, inquã, B. Stephani auctoritate permotus Augustinus, posthabita priori sententia, arbitratus est, cædẽ illam licitam & iustam fuisse. Sic enim scriptum reliquit in libro Quæstionum suarum in Exodum, in Tractatu secundæ quæstionis: De facto Mosis, cum occidit Aegyptium ad defendẽdos fratres suos, satis disputauimus in illo opere, quod de vita Patriarcharũ, aduersus Faustum scripsimus, vtrum indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiserit, sicut solet vbertas terræ, etiã ante vtilia semina, ob quandam herbarum, quamuis inutilium feracitatem, laudari. An omnino ipsum factum iustificandum sit. Quod ideò non videtur, quia nullam adhuc legitimã potestatem tũc gerebat Moses, nec acceptam diuinitus, nec humana societate ordinatam. Attamen sicut Stephanus dixit in Actibus Apostolorũ, putauit tunc Moses intelligere fratres suos, quod per ipsum Deus daret illis salutem. Videtur itaq; per hoc testimonium, Moses iam diuinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, iustè facinus illud audere potuisse. Hactenus ex Augustino. Et hæc procul dubio est vera sententia, & communis Doctorum.

25. *Cædes Aegyptij quomodo fuerit inculpabilis, quinque opiniones.* Quinque porrò modis cædes illa vindicatur à crimine, & licita, iustaq; fuisse demonstratur. Ac primò quidẽ Hebræi tradunt, Mosem non gladio interemisse hominẽ Aegyptium, sed pronuntiando sanctissimũ Dei nomen Tetragrammaton, eo scilicet modo, quo beatus Petrus solo verbo dedit neci Ananiã & Sapphiram. *Prima opinio Hebræorum.* Nec est nouitium hoc Hebræorum commentũ, sed antiquissimum: id enim commemorat Clemens Alexandrinus, *Actor. 5.* qui ante mille & circiter quadringentos annos fuit. *Clemẽs Alexandrinus.* Scribit enim in primo libro Stromatum, Mystas Hebræorum tradere, Aegyptium illum non gladio, sed verbo interfectum esse à Mose; eo modo, quo B. Lucas narrat Ananiam & Sapphiram solo verbo occisos esse à Petro. Sed enim satis apparet, hoc esse figmentum Hebræorum: Scriptura enim hoc loco dicit, Mosem percussisse Aegyptium, & abscondisse sabulo, id est, arena. Quod si eo modo Aegyptius ille occidisset, nemo aduertisset, fuisse eum à Mose occisum; quod tamen & fuisse ab alijs animaduersum, & delatum ad Regem, testatur Scriptura hoc loco. Quid, quod cũ Scriptura commemorat, fuisse aliquem solo verbo percussum & occisum, id ipsum apertis verbis exponit, vt videre est in illo facto B. Petri Actor. 5. & B. Pauli, *Actorũ. 13.* cũ percussit cæcitate Magum contumaciter prædicationi suæ aduersantẽ. Alij *Secũda opinio.* dicunt, propterea non esse culpandã cædem illã, quod Moses licet priuatus homo esset, singulari tamen instinctu & impulsu Dei eam fecerit. Nimirũ hoc modo vindicatur à crimine factum Samsonis, sibi mortem consciscentis: & Phinees priuatus homo, ob interfectũ Hebræum publicè fornicantẽ, laudatus est, & remuneratus à Deo. *Iudic. 15. Num. 25.*

53. Est præterea opinio quorundam, satis meo iudicio probabilis, quam memorat S. Thomas, & solam approbat Paulus Burgensis super hoc loco, Mosem, *Paul9 Burgensis.* absque singulari inspiratione Dei, & potestate aliqua publica, ex officio & debito caritatis fraternæ, quo tenemur proximum innocentem ab iniuria defendere, *Tertia opinio. S. Thomas.* si possumus, licitè ac laudabiliter occidisse Aegyptium, cum aliter non posset Hebræum ab illius violenta oppressione defendere. Probatur hoc tũ auctoritate B. Ambrosij, tum etiam diuinæ Scripturæ. Ac B. quidem Ambrosius in lib. 1. de Officiis, cap. 36. Qui socium, inquit, nõ *B. Ambrosius.* defendit ab iniuria, cum potest; tam est in vitio, quàm ille, qui facit: hinc tentamenta suæ fortitudinis bellicę orsus est Moses. Et in lib. 1. Hexameron cap. 2. Moses, inquit, prius quàm ad munus liberandi populum vocaretur, naturali æquitatis studio prouocatus, quendã de suis popularibus accipientem iniuriam, vltus est. Idem quoque præcipit diuina Scriptura: *Erue* inquit, *eos, qui ducuntur ad mortem; Et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses: si dixeris, Vires nõ suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit: reddetq; homini iuxta opera sua.* *Locus Prouerbior. c. 24. & Iob 29.*

Ad

Ad eandem sententiam pertinet quod Iob dixit: *Auris audiens beatificabat me; & oculus videns, testimoniũ reddebat mihi; eò quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non esset adiutor. Benedictio perituri veniebat super me: & cor viduæ consolatus sum. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

54. *Quarta opinio Caietani.* Caietanus super hoc loco Exodi, dupliciter enodat hanc quæstionẽ. Primò ait, inexcusabile videri à peccato, factũ illud Mosis, vtpote nulla, vel diuina, vel humana potestate patratũ. Deinde ait, posse id vindicari à crimine, si dicamus, Aegyptium, qui percutiebat Hebræum, fuisse vnum ex illis Præpositis operum quos Pharao præfecerat ad vexandum, & affligendum Hebræos, nẽpe iniquissimè atque crudelissimè: vt scriptum est Exod. 5. Quocirca eiusmodi Præpositos, tanquã publicos hostes, & oppressores Hebræorũ, ius & potestas erat Hebræis occidere, si possent. Caietani verba sunt huiusmodi: Antiqua occurrit quæstio de excusatione facti huius. Apparet enim ex textu, quod inexcusabile sit Nam ex eo quod non defensionis necessitate, sed vltionis causa occidit Aegyptium (vt testatur circũspectio, an aliquis esset testis) officiũ Iudicis vsurpauit Moses: quod tamen legitimum non habebat. Nisi fortè excusetur, tanquam diuina præditus ad id faciendũ auctoritate. Sed contra id militat tanta Mosis in illo facto circumspectio: nam signum id fuit humanæ cautelæ, nõ diuinæ inspirationis. Quod ideò dico, quia si certum esset, Aegyptium illum fuisse vnum de Præpositis Pharaonis ad affligendos filios Israël, potuisset Moses causam agẽs populi sui, occidere Præpositum illum, tãquam publicum hostem: vt hoc facto inchoaretur liberatio Hebræorũ. Atque hac ratione vsus videtur B. Stephanus Actor. 7. dicendo, putasse Mosem, filios Israël intelligere per hoc factum suum, ipsos liberatum iri à seruitute Aegyptiaca per ipsum Mosem, tãquam agentem causam communem, Deo principaliter efficiente. Quod verò Aegyptius ille fuerit Præpositus, innuere videntur verba textus, dicendo: *Et vidit in oneribus eorum: & vidit virum Aegyptium percutientem.* Ex eo enim, quod visio onerum præmittitur, non obscurè significatur, Aegyptium illum percutientem, fuisse exactorem onerum. Hæc Caietanus.

55. *Quinta opinio, quã sequitur Auctor.* Est denique quintus modus vindicãdi cædem illam à peccato omnium maximè probabilis, & diuinæ Scripturæ conuenientissimus, Mosem iustè cædem illam fecisse, auctoritate nimirum diuinitus à Deo accepta. Sciebat hoc Moses vel per singularem quampiam Dei reuelationem, vel id acceperat à patre suo Amram (vt supra retulimus ex Iosepho) qui diuino oraculo doctus fuerat, cum Moses etiam dũ in matris vtero gereretur, destinatum ipsum esse à Deo defensorem, seruatorem, ac liberatorem gentis Hebrææ. Hoc sanè apertissimè indicat B. Stephanus, qui factum hoc Mosis in ea, quam publicè ad Iudæos habuit concione, commemorans, sic ait: *Cum impleretur ei (Mosi) quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israël. Et cum vidisset quendam iniuriam patientem vindicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manũ ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt, &c.* Hanc solutionem quæstionis maximè approbans, & sequens Lyranus, scribit hæc. *Lyranus.* Quæritur hic, quo modo Moses cædem illam fecerit, cum non esset Iudex constitutus illorum hominũ. Item, dato quod esset Iudex, videtur pœnam iniustam intulisse, vtpote pro simplici percussione mortem inferendo: cum tamen sola repercussio deberetur secundũ legem talionis, in qua dicitur: *Dentem pro dente, & vulnus pro vulnere.* *Exodi 21. Matth. 5.* Ad primum dicendũ est: quod Moses ex diuina electione ad liberãdos Hebræos, habebat auctoritatem vindicandi iniurias eis factas: & hoc sciebat ipse per reuelationem diuinam. Et hoc est, quod dicitur Actor. 7. *Existimabat intelligere fratres, quod per manum ipsius Deus daret salutem illis.* Ad secũdum, dicendũ quod interfecit Aegyptium non solũm pro percussione Hebræi, sed etiã pro adulterio commisso fraudulenter cum vxore illius Hebræi: de quo cum ab Hebræo argueretur, ille percutiebat, & affligebat Hebræum; vt tradunt Hebræi. Id autem, superueniens Moses,

audiuit ex ipsis inter se super ea altercantibus. Sic Lyranus. Posset etiam dici, non omnia de illa cæde narrari in Scriptura, quæ contigerunt. Fortasse Aegyptius ille ita grauiter, & instanter percutiebat Hebræum, vt proximè abesset ab occidendo: nec aliter Moses posset eum repellere ab instante cæde, quàm eũ occidendo. Vel Moses, cum Hebreum vellet defendere, Aegyptius violenter in eius necem irruit: quamobrem Moses vim vi repellens, eũ occidit. Hũc modũ excusandi factum Mosis, etiã tenet Thostatus: & ante ipsos tradidit eum modum B. Augustinus in libro Quæstionũ super Exodo, in quæstione 2.

Thostatus. *B. Augustinus.*

56\. *B. Thomas.* B. Thomas priorem sententiã Augustini damnãtis illud factũ, sed magni facientis Mosis indolẽ, ac zelũ commendantis, refert vt probabilem. Inter opiniones autem eorum, qui cædem illam vindicant à crimine, duas tantùm vt probabiles cõmemorat de supradictis, secundã, & tertiam. Disputans enim in Secunda Secundæ quæstione 61. artic. vlt. An iudicium per vsurpationẽ, reddatur peruersum, obijcit ibi exemplum Mosis & Phinees, qui cum nullam haberent iudicandi alios auctoritatem & potestatem, occiderunt homines, nõ modo sine crimine, sed etiam cum laude, sicut scriptum est Numerorũ 25 & Psal. 105. Ad hanc obiectionem respondens, ita scribit: Videtur Moses occidisse Aegyptium tanquam ex inspiratione diuina auctoritatẽ adeptus: dicitur enim Actor. 7. quod existimabat Moses intelligere fratres suos; *Quod Dominus per manus ipsius daret salutem Israël.* Vel potest dici quod Moses occidit Aegyptium, defendendo fratrem suum Hebræum, qui iniuriam ab illo patiebatur, cum moderamine inculpatæ tutelæ: vnde Ambrosius dicit in libro de Officijs, quod qui non repellit iniuriam à socio cum potest, tã est in vitio, quã ille, qui facit: & ad hoc probandũ inducit exemplum Mosis. Vel dici potest, sicut dicit Augustinus in Quæstionibus super Exodum, quod sicut terra, ante vtilia semina, ex herbarũ inutiliũ fertilitate laudatur; sic illud Mosis factum, vitiosum quidem fuit, sed magnæ fertilitatis signum gerebat, in quãtum scilicet erat signum virtutis eius, qua populum suum liberaturus erat. De Phinees autem dicendum est, quod ex inspiratione diuina, zelo Dei commotus, illud fecit, vel quia licet nondum esset summus sacerdos, erat tamen filius summi sacerdotis: & ad eum hoc iudicium pertinebat, sicut & ad alios iudices, quibus hoc erat præceptum. Hactenus ex B. Thoma.

57\. *Allegoria huius historia.* Restat, vt obtectã in hac historia, & inuolutã, quæ ad Christum pertinet, allegoriam explicemus, atque enodemus. Moses relicta aula regia, in qua maximis erat in delicijs, & amplissimis honoribus, venit visere fratres suos durissima seruitute oppressos. Christus exiuit à Patre, & descendit de cœlo, & in terris visus est, & cum hominibus conuersatus, vt saluum genus humanum faceret, quod perierat. Moses videns Hebræum percuti ab Aegyptio, liberauit eũ, percusso, & occiso Aegyptio. Christus humanum genus tyrannica Diaboli potestate oppressum liberauit, percusso & occiso Diabolo, id est, fracta eius potentia, destructoq; imperio, quod in homines habebat. Quod ipse prædixerat futurum, cùm dixit: *Princeps huius mundi eijcietur foras.* Et per parabolam dicebat: *Cum fortis armatus custodit atrium suũ, in pace sunt omnia quæ possidet: si autẽ fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Aegyptius ille occisus, absconditus est in sabulo, id est, arena. Diabolus absconditus latet in arena.

Baruch. 3. *Ioan. 12.*

Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba. sed quid arena significat? equidem puto significare bona temporalia. Dominus dixit, stultum ædificare domũ suam super arenam, id est, vota, spes, & curas, omnemq; suam felicitatem collocare in bonis temporalibus, quæ, instar arenæ, fluida, & instabilia sunt. Sapientem verò dixit ædificare domũ suã supra firmam petram; quod proposita sibi tantùm habeat æterna, & cœlestia bona. Latet autem Diabolus absconditus in bonis temporalibus, quia per immoderatam istiusmodi bonorum cupiditatem & consectationem, insidiosè ac fallaciter homines corrũpit & perdit. Moses duos Hebræos inter se rixantes conciliare & concordare voluit: quod alter illorum

Virgilius Ecloga. 4. *Matth. 7.* *Ibidem.*

illorum ægrè ferens dixit ei: *Quis te constituit iudicem super nos?* Christus voluit populum Gentilem discordantem a Iudaico, per fidem & gratiam suam conciliare, vtrumque parietem in vno angulo coniungens, & vnum ouile faciens. Sed istam concordiam noluit, & repudiauit, & auersatus est Hebræus. Et vt ille Hebræus noluit agnoscere Mosem iudicem, quinimò per eum accusatus est apud Pharaonem: Iudaicus itidē populus noluit accipere Christū, iudicem & regem suum; quinetiam accusauit eum apud præsidem Gentilem, quod se Iudæorum principem & regem facere voluisset.

Ephes. 2. *Ioan. 10.* *Ioan. 19.*

VNDECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 14. & 15. Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud? Audiuitq; Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem; qui fugiens de cōspectu eius, moratus est in terra Madian.

58. NON leuis existit quæstio, quo modo hîc dicatur Moses, timens regē, fugisse ex Aegypto: cum B. Paulus ad Hebræos 11. planè contrarium dicere videatur, ita scribens: *Fide reliquit Aegyptum* (Moses) *non veritus regis animositatem* (græcè θυμὸν, *id est, iracūdiam & ferociam*) *maiores diuitias æstimās thesauro Aegyptiorum, improperium Christi.* Moses ipse fatetur hoc loco se timuisse: & Paulus scribit eum non timuisse: quæ videntur inter se contraria. Tota difficultas videtur esse posita in recta expositione, germanoq; intellectu verborū Pauli. Quocirca ego breuiter hîc referā cōplures Doctorū expositiones, variè interpretantiū illa Pauli verba. Theodoretus ait, Paulū in illis verbis posuisse effectū pro causa, id est, discessum Mosis ex Aegypto, qui cū timore fuit, pro causa eius discessus, quæ fuit cædes Aegyptij; quā Moses intrepidè atque animosè fecit. Verba Theodoreti sunt huiusmodi: Aegyptum quidē timens reliquit: audacter autem Aegyptium confodit. Fugā ergo posuit pro causa fugæ Sic ille. Verùm dura est interpretatio hæc Theodoreti. Oecumenius, & Theophylactus duas ponunt expositiones illorū verborum; quarū prior est Chrysostomi super illū Pauli locū: altera propria est ipsorū. Sic autem scribit Oecumenius: Moses per fidē egressus est ex Ægypto, ne Deū tentaret, nō tamen veritus ferociam regis. Atqui in Exodo habetur quod timuerit. Verùm nihil in hoc est cōtrarietatis. Neq; enim adeò timuit, quin iterū rediret in Aegyptū, & patrocinium suæ gentis susciperet. Verè autem timentis fuisset, nō amplius reuerti in Aegyptū, & defensionem suæ gentis formidare. Quod ergo ait: *Non veritus ferociā regis.* Intellige ad secundò redeūdum. Primò autē timuit regem, sed nolens se in manifestū cōijcere periculū, id enim fuisset tentantis Deū, aufugit. Et hæc est Chrysostomi interpretatio. Subdit post hæc Oecumenius alteram interpretationem huiusmodi: Aut dicēdū est, inquit, quod Moses nō timuerit, vt adeò accresceret regis ferocia, vt eū insequeretur fugientem, & cōprehensurus esset. Vnde non longè abiit, sed ad vicinā Madianitarum regionē secessit. Sic ille. Sed proculdubio Scriptura hoc loco nō obscurè significat, Mosem verè timuisse; & timuisse regē Aegypti, qui quærebat eū occidere. Vnde infrà cap. 4. animans Deus Mosem ad reuertendū in Aegyptum, dixit: *Vade, & reuertere in Aegyptū: mortui sunt omnes qui quærebant animam tuam.*

Locus Pauli ex c. 11. epist. ad Hebræos. *Prima expositio Theodoreti.* *Secūda expositio Chrysostomi.* *Tertia expositio Oecumenij & Theophylacti.*

59. B. Thomas super eo loco Pauli, hanc ipsam tractans difficultatē, duo esse ait in timore distinguenda; quorū vnū est vituperabile, metus, videlicet, causa, aut malū facere, aut bonū omittere; & hic nō fuit in Mose. Alterū est, salua fide, & sine detrimento proximi, fugere ad tempus, instans periculū, & hoc laudabile est, & à Domino nostro & verbis commendatū, & præcepto præscriptū, exemploq; suo cōfirmatum: atque hac ratione fugit Moses regem, & reliquit Aegyptum. Verba B. Thomæ sunt hæc: Dicendū est, quod in timore duo sunt cōsideranda: & vnū est vituperabile, si propter

Quarta expositio D. Thomæ.

timorem aut fiat quod nõ est faciendũ; aut quod est faciendum non fiat: & sic nõ timuit Moses, quippe qui propter timorem non omisit iuuare fratres suos. Alterũ est laudabile, si quis salua fide refugiat periculum instans. Sicut Dominus præcipit discipulis suis: *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Si quis enim salua honestate sua posset vitare periculum, & nõ vitaret, stultus esset, & tentaret Deum. Sic Iesus cessit volẽtibus ipsum lapidare: & Moses cõfidens diuino auxilio, ad tempus, fugit propter timorem regis. Hæc S. Thomas. Cuius equidem laudo expositionem.

Locus Matth. 10.

Ioan. 8.

Auctoris sententia. Sed illa mihi propositæ quæstionis planior & probabilior videtur explicatio: Bis Moses reliquit Aegyptũ: primò, cum ob cędem Aegyptij à se factam fugit in terrã Madian: & tunc verè timuit regem, vt apertè docet Scriptura in hoc loco. Iterum autẽ discessit ex Aegypto, cum inde vniuersum populum Hebræũ eduxit, in quo tempore non solùm non timuit regem, quamuis sibi obstinatissimè repugnantem, & ferocissimè comminantem, sed incredibili animi constantia, omnis periculi securus, regẽ contẽpsit: munus sibi à Deo iniunctum liberandi populum, intrepidè atque animosè perficiendo: nec postea timuit regẽ, cum validissimo exercitu insequentem, licet antè mari Rubro, ponè, exercitu Aegyptiorum circumuallatus, & circũclusus teneretur. De hoc igitur secundo discessu Mosis ex Ægypto, loquitur Paulus, cùm ait: *Fide Moses reliquit Aegyptum, non veritus animositatem regis.* & hanc interpretationem habet Glossa interlinearis, quam Lyranus & Thostatus sequuntur: quæ mihi etiam maximè probatur.

Lyranus. *Thostatus.*

60. Sed quid est illud quod adiungit Paulus: *Maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi?* Quodnam est illud improperiũ Christi, quod Moses, secundum Paulum præoptauit, & prætulit thesauris Aegyptiorũ? Quinque sunt istorum Pauli verborum expositiones. Prima est Caietani, improperium Christi appellari improperia, quæ tunc patiebatur Hebræus populus; quæ vocantur Christi, quòd ex illo populo nasciturus erat Christus, eiq; genti propriè sæpius fuerat promissus. Secunda expositio Lyrani, improperium Christi vocari, quod Moses, sustinuit in fide Christi futuri. Moses enim fide præuidens Christum passurum esse grauissima improperia, eius animatus atque incitatus exemplo, & ipse improperia nõ modò patienter tulit, sed etiam pretiosiora duxit thesauris Aegyptiorum. Tertia expositio, improperium quod pertulit Moses, dicitur improperium Christi per Antonomasiam, quoniam ipse omnium mortalium maxima sustinuit improperia, & idcirco fuit tanquam exemplum omnibus Sanctis talia patiendi. Quarta expositio, improperium Christi vocatur, quia Moses tale improperium sustinuit, quale Christus maximè laudauit, & magnificauit, & pretiosissimum esse dixit, vtpote habens copiosam in cœlis mercedem, dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et iterum: *Beati cũ maledixerint vobis homines, &c. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Tantam igitur mercedem opprobriorum Moses animo spectans, certaque iam spe præsumens alacriter sustinuit opprobria: Vnde subdit ibi Paulus: *Aspiciebat enim in remunerationem.* Quinta expositio Chrysostomi, Glossę interlinearis, Oecumenii, & Theophylacti, quæ mihi præ cæteris placet, improperium quod Moses tulit, vocari improperium Christi, quoniam fuit simile eius, quod Christus pertulit, & quasi figura illius. Moses etenim reliquit aulam regiam, in qua summo erat in honore, & particeps esse voluit laborum, & ærumnarum populi sui, nullumq; periculum recusauit, vt liberaret populum suum: tum etiam multa pertulit, tũ ab Aegyptijs, tum etiam à suis Hebræis: his autem rebus præfigurauit ea, quæ passurus erat Christus, descendens de cœlo, & factus homo mortalis & passibilis, multaq; passus ab Hebræis & Gentilibus. S. Thomas ex supra dictis quinque expositionibus, duas tantùm commemorat, & approbat, secundam & quintam.

Locus Pauli ad Hebræos 11.

Prima expositio Caietani.

Secunda expositio Lyrani.

Tertia expositio.

Quarta expositio.

Matth. 5. *Ibidem.*

Quinta expositio Chrysostomi.

Huius historiæ de cæde Aegyptij à Mose facta, expressiorem, plenioremque narrationem tradũt Philo & Iosephus, haud quaquam omittendam hoc loco. 61.

Philo.

Ille

Ille in primo libro de vita Mosis ita scribit: Erant inter præfectos laboribus Hebræorum, quidam efferati rabie, nihil differentes à venenatis carniuorisq; bestijs, ferro adamanteq; duriores. Ex his vnum immanissimum, quia nihil his remittebat, sed magis etiam exacerbabatur precibus:& nisi celeriter iussa fierēt, verberabat miseros Hebreos, & cruciabat, Moses interemit, Fas esse ratus: & re uera fas erat occidere eum, qui viuebat in perniciem hominum. Hoc auditum ægrè tulit Rex, vt indignissimū facinus, nō tam propter ipsam cædem, sed quod nepos ab ipso dissentiret, non eosdē habens pro inimicis & hostibus: sed amās quos ipse odisset, & sibi caris infensus. Hanc occasionem nacti purpurati, & suspectum habentes iuuenem, quem norant aliquando pœnas exacturum præsentis crudelitatis, patulas regis aures impleuerunt plurimis calumnijs, hinc inde insusurrantes: Te ipsum, rex, mox aggredietur: nihil mediocre sapit: semper magnum aliquid animo meditatur, & molitur: ante tempus ad regnū aspirat, alijs pollicetur, alios territat: indemnatos interficit: quò quisque est tui amantior, eò magis eū insectatur. Quid cunctaris? An vt quæ conatur, efficiat? Proderit insidiatori hæc tua dilatio. Moses, cui hæc ignara non erant, secessit in finitimam Arabiam, vbi tutius degere poterat. Sic Philo.

62. Iosephus tres causas exponit cur Aegyptij vellent Mosem occidere: primā, inuidiam felicitatis eius, ob insignem victoriam de Aethiopibus partam: alteram, metum eius, ne rebus secundis elatus, res nouas moliretur in Aegypto: tertiam, prædictiones vatum Aegypti, denuntiantium, nisi maturè tolleretur è medio, repente fore Aegyptijs exitio. Sic autem scribit Iosephus: Aegyptij accepta salute, odium pro gratia Mosi reposuerunt, & maioribus studijs insidias contra eum machinabantur. suspicatiq; ne rebus feliciter gestis elatus, res nouas in Aegypto moliretur, apud regem cędis eum accusauerunt. Rex porrò iam ipsum habere suspectum cœperat: partim inuidia motus, ob bellum fortiter, & prudenter administratum: partim etiam ob metū alicuius cladis, sollicitantibus eum, atque irritantibus indesinenter scribis & sacrificis. Itaq; Moses minimo minus aberat à pernicie; opprimendus sine dubio, nisi rem olfaciens, in ipso temporis articulo, se clam subduxisset. Et cum uias omnes obseruari intelligeret, per solitudines fugam arripuit; quia euasurum ipsum minimè suspicabantur. Quamuis autem nusquam inueniret alimenta, inediam tamen patientia superabat; & ad vrbem Madienam perueniens, in Rubri maris littore sitam, denominatam ab uno ex Abrahami, & Geturæ filijs, sedens ad quendam puteum, lassitudinem ex laborioso itinere contractam recreabat. Sic Iosephus.

Iosephus.

63. Nonnihil etiam de terra Madian, ad quam fugit Moses, in præsentia dicendum est. Iosephus in verbis proximè ante positis, ait, Madian fuisse vrbem in littore maris Rubri sitam, à Madian filio Abrahæ ex Getura vxore appellatam. S. Hieronymus in libro de locis Hebraicis, duas facit vrbes Madian: alteram trans Arabiam, ad meridiem in deserto Saracenorum, contra orientē maris Rubri, alteram iuxta Arnonem & Areopolim; cuius vrbis suo tempore ruinæ tantum demōstrabantur. Philo in libro primo de vita Mosis, & Artapanus apud Eusebium libro nono de Præparatione Euangelica, capite vltimo, eam regionem appellant Arabiam. Alij dicunt, fuisse olim dictam Aethiopiam quòd in lib. Num. c. 12. vxor Mosis, quæ erat Madianitis, appelletur Aethiopissa. Illud certè licet ex sacra Scriptura colligere, eam regionem fuisse propinquam mōti Sinai, interiectamq; inter Aegyptum, & terram Chanaan. Etenim infrà c. 3. Exodi dicitur Moses pascens greges soceri sui Madianitæ, duxisse illum ad montem Sinai: non longè igitur ab eo distabat. Et c. 18. Exodi narratur; cùm Moses vnà cū populo Hebræo substitisset ad montem Sinai, venisse eò socerum eius ex regione Madianitica, secum ducentem filios, & vxorem Mosis: ex quo apparet regionem Madianiticam propinquam fuisse monti Sinai, & pertinuisse ad Arabiam, in qua videlicet Paulus ad Galat. 4. locat montem Sinai. Madian igitur, regalis erat vrbs, eiusque nominis regio, habens ingentem camelorum, ouium, capra-

De terra Madian.

S. Hieronymus.

Philo.

Artapanus apud Eusebium.

caprarumque multitudinem, atque hisce opibus victitans. Huius regionis mulieres pellexerunt Hebræos ad fornicationem & idololatriam; quamobrem Madianitæ, Dei iussu, omnes vnà cum quinque suis regibus, præter virgines, internecione deleti sunt, combustis eorum vrbibus & pagis, & castellis omnibus. Postea verò tempore Iudicum, cum Madianitę subegissent sibi Hebręos, centum triginta quinque millia eorum ab Hebræis duce Gedeone, memorabili victoria, cæsa sunt. Et in hac regione Moses apud Iethro socerum suum per quadraginta annos moratus est.

Locus Numer.25.& Deut.31. Iudic.7.

DVODECIMA DISPVTATIO.

De socero Mosis, cui nomen Raguel & Iethro, &c.

SVPER ILLIS VERBIS.

Vers.16. & 17. Erant sacerdoti Madian septem filiæ, quę venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patres sui. Superuenere pastores & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis adaquauit oues earum. Quæ cum reuertissent ad Raguelem patrem suum, &c.

64. De socero Mosis, super verbis supradictis, tres quæstiones explicandæ sunt. Prima quęstio est de nomine eius: nam Scriptura hebraica, & Paraphrasis Chaldaica, & Latina translatio vocat eũ hoc loco Raguelem. At verò LXX. Interpretes in hoc capite appellant Iethro. Iosephus lib.2 Antiquitatum ait, proprio nomine vocatum esse Raguelem, cognomento autem Iethro. S. Hieronymus in libro contra Heluidium, scribit, eum fuisse binominem, appellatumq; Raguelem & Iethro: esse namque morem Scripturæ vocare eundem diuersis nominibus. Idem enim dicitur in libro Iudicum Gedeon, & Hierobaal: Et in libris Regum Ozias idem dicitur & Azarias: & in Euangelio idem vocatur Petrus, & Simon: idemq; Iudas Zelotes, & Thaddæus: Auctor historiæ Scholasticæ c. 7. libri sui super Exodum, scribit, eum fuisse trinominẽ; nam proprio nomine dicebatur Raguel; agnomine Iethro; cognomine autem Cinæus. Hebræi, quos Lyranus & Thostatus sequuntur, fuisse eum tradunt quatrinominem: nã in hoc capite vocatur Raguel: in cap.3.4.& 18. dicitur Iethro: in libro Numerorum capit.10. appellatur Hobab: in libro Iudicum cap.4. appellatur Cinæus. Audi Lyranum: Socer Mosis pluribus nominibus appellatus est, Raguel, Iethro, Hobab, & Cinæus. Et dicunt Hebræi appellatũ esse Iethro, quæ vox significat, adijciens, vel, addens; quia ipse addidit legi vnum caput; de ordinatione populi per tribunos, centuriones, quinquagenos, & decanos, vt habetur infra cap.18. Nominatus item est Hobab, id autem significat, diligens & amans; quia dilexit legem Dei, & conuersus est ad Iudaismum, vt significatur infrà ca.18. At ego socerum Mosis fuisse eum, qui in libro Numerorum appellatur Hobab, nequaquam assentior Hebræis: quin etiam miror, Lyranum & Thostatum in eorum discessisse sententiam, quam in promptu est ex ipsa Scriptura refellere. Infra enim Exodi 18. narratur, cum Moses eduxisset ex Aegypto Hebræis, substitisset ad montem Sinai, venisse eò socerum eius cum vxore & filijs eius: & postea, dimissum à Mose, redijsse in regionem suam. At Hobab fuit cum Mose, quoad is mansit ad montem Sinai: quin etiam inde discedentem eum cum populo, rogatu eius, comitatus est, vt traditur in libro Numerorum, cap. 10. vbi etiam nominatur filius Raguelis: erat autem Raguel socer Mosis, vt dicitur in hoc secundo capite. Non igitur Hobab erat socer Mosis, sed filius soceri, & frater vxoris eius. Non me fugit, S. Hieronymum in libro de locis Hebraicis, adhærentem vtiq; illi opinioni Hebræorum, vbi agit de Madian, vocasse Hobab socerum Mosis, sed enim illius libri de locis Hebraicis, non tam auctor fuit sanctus Hieronymus, quàm interpres: Librum enim ab Eusebio gręcè compositum in Latinum ipse conuertit ser-

Iosephus. S. Hieronymus. Auctor histor. Scholastica. Hebræi. Lyranus. Thostatus. Auctoris opinio. Locus Numer.c.10.

tit sermonem, vt testatur ipse in præfatione eius libri.

65. *Secunda quæstio, an socer Mosis fuerit sacerdos propriè dictus. Philo. Iosephus.*

Altera quæstio est, an ille Raguel socer Mosis, fuerit verè sacerdos. LXX Interpretes, & Latinus interpres, vocant sacerdotem hoc loco: Itidem appellant Philo lib. 1. de vita Mosis, & Iosephus lib. 2. Antiquitatum. At verò Chaldaica paraphrasis vocat eũ principem Madian, & apud Eusebium lib. 9. de Præparat. Euangel. cap. vltimo, vetus scriptor Artapanus, appellat eum Regẽ Arabiæ. Hæc diuersitas appellationis ex ambiguitate vocis hebreæ (Cohen) extitit. Ea quippe vox duplici significatione vsurpata reperitur in Scriptura. Et frequentissimè quidem significatur ea voce sacerdos propriè dictus; cuius significationis exempla, plurima sunt in sacris litteris, & passim obuia. Interdum quoque significat magistratum & primarium virum. Cuius significationis luculentum habemus exemplum in 2. libro Regum, cap. 8. cuius extrema verba sunt hæc: *Filij Dauid erãt (Chohanim,) id est principes.* *Locus 2. Reg. c. 8.* Septuaginta eam vocem Græcè interpretantes ibi vocarunt eos; αὐλάρχαι, id est, principes aulæ. Latinus interpres ibi vertit, sacerdotes, sine dubio abusus vocabulo sacerdotis: siquidem apud Iudæos ex sola tribu Leui, & ex stirpe Aaron sacerdotes esse poterant; filij autem Dauid erant de tribu Iuda, ex qua nullus est vnquam (vt disputat B. Paulus ad Hebræos 7.) sacerdotio functus. Latinus porrò Interpres in primo libro Paralipomenon, capite 18 eandem vocem Hebræam expressius reddidit, sic vertens: *Filij Dauid erant primi ad manum regis*, id est, in ministerijs & muneribus regalibus ipsi principatum tenebant; vel assistebant regi ad latus eius, siue lateri eius adhærentes. Posset igitur existimari, similiter in hoc secundo capite Exodi, Latinum interpretem posuisse vocabulum sacerdotis pro principe, vt idem sit sacerdos Madian, quod princeps Madian. Verùm quia LXX. Interpretes, qui semper vocabulo sacerdotis propriè vsi sunt, vocarunt in hoc loco sacerdotem, Mosis socerum, & itidem appellarunt Philo, & Iosephus; similius vero fit, eum fuisse sacerdotem propriè dictum: Nisi fortè fuerit idem sacerdos atq; princeps eius Gẽtis, sicut in more fuit antiquitus apud illas Gẽtes: Nam & Melchisedech sacerdos erat, simulque Rex Chananæorum; & apud Iudæos post captiuitatem Babylonicam, ijdem fuere Pontifices, atque principes, & reges in populo.

66. *Tertia quæstio, Vtrum Iethro fuerit sacerdos veri Dei, an Idolorũ. Aben Esdra.*

Tertia quæstio, An ille socer Mosis fuerit sacerdos Idolorum, an veri Dei. Super qua re lis est inter duos insignes Hebræorum Rabbinos. Nam Aben Esdras fuisse illum veri Dei sacerdotẽ, probat ex capite 18. Exodi, vbi sic est: *Lætatus est Iethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli; eò quod eruisset eum de manu Aegyptiorum, & ait: Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis. Obtulit ergo Iethro holocausta & hostias Domino.* His verbis apertè demonstratur, Iethro fuisse adorator & cultor veri Dei. Dauid autem Kimhi contra sentit, affirmans fuisse eum prius sacerdotem Idolorum: sed postea cũ venisset ad Mosem in montem Sinai, auditis prodigijs in Aegypto factis pro liberatione Hebræorum, conuersum esse ad verum Deum. *Dauid Kimhi.* Et hæc mihi ad veritatẽ propensior videtur sententia. Nam & Iethro sacerdos fuit Madianitarum, qui verum Deum non colebant: Et in illo ipso capite 18. Exodi perspicuè indicatur, tunc primũ fuisse conuersum Iethro ad veri Dei cognitionem & cultum. Post verba enim paulò ante posita subdit Iethro: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos, eò quod superbè egerint contra illos. Obtulit ergo Iethro holocausta & hostias Domino: veneruntq́; Aaron & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Deo. Nunc, inquit, cognoui, quia magnus Deus super omnes Deos,* quasi antea non cognouisset.

DECI-

DECIMATERTIA disputatio.

De vxore & filijs Mosis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 22. Accepit Sephorā filiam eius, vxorem: quæ peperit ei filium, quem vocauit Gersam, dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus patris mei adiutor meus, eripuit me de manu Pharaonis.

67. *Eusebius.* De isto coniugio Mosis pauca hæc refert Eusebius in libro nono de Præparatione Euangelica, capite vltimo, ab Ethnicis & antiquis scriptoribus tradita memoriæ. Demetrius historicus, (inquit Eusebius) dicit Mosem ex Aegypto in Madian profugisse, atque ibi Iothoris filiam, Sephoram nomine, in vxorem duxisse: quam, coniectura ex nominibus capta, ex Abraham genus traxisse affirmat. Abraham enim ex Getura genuit Gessam, ex quo natus est Adam, à quo Raguel, pater Iothoris, cuius filiam Sephorā Moses vxorem accepit. Generationes quoque ait ita conuenire, vt verisimile sit, Sephoram, & Mosem ex Abraham descendentes, eisdem temporibus fuisse: Mosem quidem septimum ab Abraham ab vno filiorum Abrahæ nominatum esse. Eodemq; in loco Eusebij traditur, Mosem fuisse statura longum, flauo, prolixioreque capillo & barba, ac denique statura, & facie permagnæ dignitatis. *Qualis habitus corporis Mosis.*

68. *Quæstio, an Sephora, vxor Mosis, sit ea, quæ in libro Num. c. 12. vocatur Aethiopissa.* Sed quia ex hoc loco Exodi constat, Sephoram vxorem Mosis fuisse Madianitam; in libro autem Numerorum, cap. 12. vxor Mosis appellatur Aethiopissa, sic enim ibi scriptum est: *Locuta est Maria & Aaron contra Mosem, propter vxorem eius Aethiopissam,* haud quaquam leuem habet quæstionem, vtrum eadem fuerit mulier, duplici nomine appellata; an diuersa. Si enim eadem, cur quæ erat Madianita, vocatur Aethiopissa, cum diuersas fuisse constet gentes Madianitarum, atque Aethiopum? Sin autem diuersæ mulieres fuerunt, & Moses plures habuit vxores, quæritur, an simul eas habuerit, an vnam post aliam. Caietanus explanans locum illum libri Numerorum, ait, incertum esse, vtrum fuerit vna atque eadem, an diuersæ. Multi putant fuisse diuersas: & illam quidem Aethiopissam fuisse filiam regis Aethiopū, quam (vt refert Iosephus lib. 2. Antiquitatum) vxorem Moses duxit in illa nobili expeditione, quam fecit aduersus Aethiopes. Verùm neque Iosephus scribit fuisse cum Mose redeūte in Aegyptum: & Auctor historiæ Scholasticæ affirmat, eam remansisse in Aethiopia, captam vtiq; obliuione amoris Mosis: & totam istam historiam, merum esse figmentum Iosephi, vel aliorum Iudæorum, à quibus is accepisse, non temerè creditur. Nam quale obsecro est, vt rem adeò insignem ac memorabilem, ignorauerit Philo, qui tres libros de vita Mosis cōscripsit? cum is paulò senior fuerit ipso Iosepho: imperante enim Caligula, Philo maximè floruit, quo tempore natus est Iosephus, vt ex verbis eius vltimi libri Antiquitatum colligi potest. Vel igitur tempore Philonis figmentum istud nondum fuerat generatum: vel si iam natum fuerat, id Philo vt fabulosum, & aspernabile contempsit. *Caietan.* *Discutitur historia Iosephi de filia regis Aethiopū ducta in vxorem à Mose.*

Est igitur communis opinio Hebræorum iuxtà & Christianorum, fuisse eandem vxorem Sephoram. Cum enim Moses maneret ad montem Sinai cū populo Hebræo, venit eò socer eius Iethro, ducens vxorem Sephoram. & filios Mosis. Quod autem de vxore Aethiopissa dicitur, id haud multò plus vno anno post id temporis accidit. Cumque Moses, vbi aggressus est negotium liberationis Hebræorum ex Aegypto, remiserit vxorem & filios ad socerum suum quò expeditior scilicet foret ad munus suum ritè obeundum, quī fiet credibile, postquam eduxit Hebræos ex Aegypto, dum in deserto peregrinaretur, multò nimirum quàm antea impeditior, eum denuò aliam vxorem duxisse? Nec illud obscurum est indicium, aut leue argumētum, non aliam Mosi fuisse vxorem, nisi Sephoram; 69.

phoram; quod filij Mosis non alij numerantur in Scriptura, nisi quos è Sephora susceperat: siquidem in priore libro Paralipomenon, c. 23 (in illis autem libris alibi derelicta supplentur) in memorando filios Mosis, non alij commemorantur quàm Gersam, & Eliezer, quos vtique de Sephora genuerat.

70. Quod autem paulò supra dixi, historiam illam Iosephi de filia regis Aethiopum ducta in vxorẽ à Mose, videri fabulosam, confirmare praeterea Theodoreti auctoritate possum; qui in libro suarum Quaestionum super lib. Nume. quaest. 22.

Theodor. ponit haec verba: *Quanam intelligenda est mulier Aethiopissa, quã accepit vxorẽ Moses?* cui quaestioni ad hunc modũ respondet: Iosephus quidem ait, Mosem, cũ in regia educatus versaretur, in bello cõtra Aethiopes ab Aegyptijs suscepto, creatum esse ducem: partaq; victoria, regis

Apollinar. illius filiam duxisse vxorẽ: Apollinaris autem fabulam finxit hac Iosephi longè fabulosiorem. Ait enim, post Sephoram, voluisse Mosem ducere aliam vxorẽ Aethiopissam, vt esset figura Christi Domini, qui post Israeliticam, gentium Ecclesiam sibi desponsauit. Atqui Sephora, etiam erat alienigena. Non est autem diuini Spiritus, fabulas fingere, sed id contrarij spiritus proprium est. Tantã quippe habuit curã honestatis atq; ingenuitatis Moses post vocationẽ suam, vt ingressurus Aegyptum, propriam vxorem domi reliquerit. Siquidem postquam ex Aegypto egressus est, accessit ad eum socer eius, adducens vxorem vnà cum liberis. Sic Theodoretus.

71. *Locus libri Numerorũ ca. 12. fusè tractatus.* At enim si eadẽ fuit mulier, Sephora videlicet, cum illa fuerit Madianita, cur in libro Numerorũ appellata est Aethiopissa? Quidam putant sic esse appellatam per ludibrium & contemptum, propter deformitatem & turpitudinem morum; quemadmodum & hodie vocari aliquis solet per contemptũ, Maurus, vel Turca, vel Aethiops: atq; id vsitatũ esse in Scriptura, posset colligi ex illis verbis Domini, quae sunt apud Prophetam Amos, c. 9. *Nunquid non, vt filij Aethiopum, vos estis mihi, filij Israël?* Alij existimarunt fuisse nominatam Aethiopissam, per antiphrasim quod esset corpore & animo, moribusque pulcherrima, & amabilissima: ad hãc certè sententiam Paraphrasis Chaldaica in illo loco Numerorum pro (Aethiopissa) habet (pulchram) & Auctor Paraphrasis Hierosolymitanae, sic expressit illum locum: *Quemadmodum Aethiops differt cute & colore ab omnibus aliis hominibus; ita etiam Zippora vxor Mosis, forma, pulchritudine, & bonis operibus mirabiliter superabat reliquas omnes mulieres.* *Paraphrasis Chaldaica, & Hierosolymitana.*

Quidam Hebraeorum censent, propterea dictã fuisse Aethiopissam, quod Aethiopia Orientalis vicina esset terrae Madianitarum: ob idque ob propinquitatem regionum, Mariam & Aaron maluisse appellare eã Aethiopissam, quàm Madianitam, contemptus videlicet, & contumeliae causa. Hanc opinionẽ adiuuat quod scribit Theodoretus loco suprapposito, hunc in modum: Sephoram appellauit Aethiopissam: siquidẽ Saba, gens est Aethiopica. In Euangelio enim appellatur regina Aethiopum, quae in libro 3 Regum, vocatur regina Saba. Porrò Saba, gens Homoritarum appellatur, quibus vicini sunt Madianitae. Sic Theodoretus. S. August. in Quaestionibus suis super librum Numerorum in quaest. 20. soluens hanc quaestionẽ, ait, Madianitas fuisse antiquitus dictos Aethiopes: idq; probat ex quodam loco Scripturae, qui est in lib. 2. Paralip. c. 14 Haec sunt verba Augustini: De vxore Mosis Aethiopissa quaeri solet, vtrum ipsa erat filia Iethro, an alterã duxerit, vel superduxerit. Sed ipsam fuisse credibile est. De Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in libris Paralipom. Aethiopes dici, quando contra eos pugnauit Iosaphat. Etenim in his locis dicũtur eos persecuti Hebraei, in quibus Madianitae habitabant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos nemo ferè appellat Aethiopes, sicut solent locorum, & gentium nomina plerunque vetustate mutari. Haec Augustinus. 72. *Theodor.* *Luca 11.* *S. August.*

Nostra sentẽtia, duabus superioribus satis est affinis. Nos duplicem facimus Aethiopiam, alteram quidem Orientalem, & Occidentalem alteram: quam distinctionem ab Homero primum traditam, & probatam ab Herodoto, amplexi sunt Strabo, & Plinius. Occidẽtalis Aethiopia longè remota est ab Aegypto, & Palestina, & ad torridã Zonã pertinens: Oriẽtalis propiqua Aegypto est, & mare 73. *Auctoris opinio. Duplex Aethiopia.*

rubrum

& rubrum versus porrecta. Hec posterioribus tẽporibus dicta est Arabia, hebraicè Chus; quod nomen LXX. Interpretes, & noster interpres Latinus ferè Aethiopiam, & Chusym, Aethiopes interpretati sunt: pro quo alij, vsitatiore, notiorique vocabulo Arabiam, & Arabes verterũt. Hanc porrò Aethiopiam Orientalẽ, siue Arabiam coluêre antiquitus variæ gentes. Ismaelitæ nimirũ, Madianitæ, & Amalechitæ: quæ tum propter vnam generis originem, & stirpem ex Abrahã; tum propter vicinitatem habitationis, vnitatemq; regionis, promiscuè nõnunquam aliæ pro alijs, quasi eędem gentes nominantur in Scriptura; omnesq; in commune, á multis auctoribus vocãtur Arabes. Hinc igitur apparet, cur Sephora, quæ erat Madianitis, appellata fuerit Aethiopissa, siue Arabissa. Verùm quę nunc carptim diximus, cursimq; transiuimus, ea latius & accuratius tractauimus in Commentarijs nostris super libro Genesis: primum quidem in 2. tom. lib. 15. in prima disputatione: Deinde in 3 tom. super caput 25. Genesis, in disputat. 3 Ad hæc in 4. tom. super cap. 37. in disputat 6.

74. Eandem porrò gentem, vocabulo Madianitarum atq; Aethiopum significari & appellari in sacra Scriptura, manifestũ fit ex verbis illis Prophetæ Habacuc, quæ sunt in eius Cantico: *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian:* quæ primò vocauerat tentoria Aethiopiæ; eadem mox appellauit pelles terræ Madian, eandem rem videlicet diuersis vocabulis declarans. Quod firmari potest etiam S. Hieron auctoritate, verba ista hunc in modũ explanantis. Aethiopes tetri & amantes tenebras, & ab omni luce alieni, qui draconis carne vescuntur, de quo scriptum est: *Dedisti eum escam populis Aethiopum.* Dæmones intelliguntur. Horum aũt fit tabernaculum, quicunq; in hoc sæculo propter honores & diuitias laborat: quod significãter verbo iniquitatis ostenditur: omnis enim diues, aut iniquus, aut hæres iniqui est. Vides homines mare transire: ante potentum excubare fores: pati ea, quæ seruorum conditio non patitur; vt diuitias congregent, & aliquam adipiscãtur dignitatem. Quod vbi cõsecuti fuerint, tradũt se luxuriæ, & voluptatibus, & omni iniquitati: vt quod auaritia congregauit, luxuria consumet. Isti ergo pro laboribus suis efficiuntur hospitiũ Dæmonũ: & qui tẽplũ Dei esse debebãt, fiunt tabernaculum Aethiopũ. Cùm aũt subditur: *Turbabuntur pelles terræ Madian*; eosdem intellige Aethiopes, & incolas terræ Madian. Postquã enim ditati fuerint, & per fas ac nefas ad altissimũ gradũ conscenderint; tunc conscientia peccatorũ suorum, semper mortẽ, semper iudiciũ formidabunt: & ad leuem febriculã, quasi latrones in carcere, ita de æternis supplicijs suspirabunt. Madian verò in lingua nostra sonat (ex iudicio) id est, in eodem nationem: & ostenditur, quod metu iudicij, æternarumque pœnarum semper in formidine sint: & cruciatus quos sentiunt se mereri, pauore quotidiano sustineant. Hactenus ex B Hieronymo.

Locus Habacuc, c.3.

S.Hieron.

Locus Psalmi 73.

75. Super duobus porrò filijs ex Sephora genitis, Gersam & Eliezer, duo item habeo monere Lectorẽ. Primùm sciat, istos filios non fuisse genitos statim post initum coniugium, licet narratio Scripturæ videatur id significare: sed generationem eorum multò pòst q̃ Moses venerat in terrã Madian, esse factam: & paulò ante regressum Mosis in Aegyptum, eos fuisse natos. Etenim vt traditur Actorum 7. Quadraginta annorum erat Moses, cum propter cædem Aegyptij, fugit in terram Madian: & ibi quadraginta annis moratus est, quoad iussu Dei, redijt in Aegyptũ: quo tempore fuisse istos filios admodum paruulos, duplex est argumentum. Infrà enim c. 4. dicitur Moses, istos filios. q pedibus videlicet iter facere non possent, imposuisse asino; & quod alter illorum, non esset circumcisus, occidere Mosem voluit Angelus Dei: recens igitur natus fuerat. Nullo eñ modo putãdum est, Mosem circumcisionẽ eius per 40 annos distulisse: quippe Deus præceperat seuerissimè infantẽ circũcidi octauo die Gen. 17. Sciat præterea Lector, verba quæ hîc ponuntur de generatione secũdi filij, appellati Eliezer, & de nominis eius Etymologia, ea verba nõ esse in Scriptura hebraica; esse tamẽ in translatione LXX Interpretũ, vnde sũpsit ea interpres Latinus. Sunt tñ ipsius Scripturę, nõ quidẽ in hoc loco, sed infrà in c. 18. vbi eadẽ planè verba reperies, quæ hîc ponuntur.

Filij Mosis quando nati.

BENEDI-

BENEDICTI PERERII IN CAPVT TERTIVM EXODI,

DISPVTATIONES TREDECIM.

Apparitio Dei in rubo: & electio Moſis in ducem & liberatorem populi Hebræi.

CAPVT TERTIVM EXODI.

MOyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui Sacer- *Verſu*
dotis Madian: cumq; minaſſet gregem ad interio- 1.
ra deſerti, venit ad montem Dei Horeb.* Appa- 2.
ruitque ei Dominus in flamma ignis de medio ru-
bi: & videbat quod rubus arderet, & non combu-
reretur.* Dixit ergo Moyſes: Vadam,& videbo viſionem hanc 3.
magnam, quare non comburatur rubus.* Cernens autem Do- 4.
minus quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio ru-
bi, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit: Adſum:* At ille: 5.
Ne appropies, inquit, huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis:
locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Et ait: Ego ſum Deus 6.
patris tui; Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcon-
dit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra
Deum.* Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ae- 7.
gypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui
præſunt operibus:* & ſciens dolorem eius, deſcendi vt liberem 8.
eos de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terram
bonam, & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca
Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, Phærezæi, & Heuæi, & Ie-
buſæi.* Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me, vidique afflictio 9.
nem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur.* Sed veni, & mit- 10.
tam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſrael de
Aegypto.* Dixitque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, vt vadam 11.
ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Aegypto?* Qui dixit 12.
ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum, quod miſerim te:
Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo
ſuper montem iſtum.* Ait Moyſes ad Deum: Ecce, ego vadam 13.
ad filios

ad filios Iſrael, & dicam eis: Deus patrum veſtrorum miſit me ad
vos. Si dixerint mihi: Quod eſt nomen eius? quid dicam eis?
14. * Dixit Deus ad Moyſem: Ego ſum qui ſum. Sic dices filijs Iſrael:
15. Qui eſt, miſit me ad vos. * Dixitque iterum Deus ad Moyſem:
Hæc dices filijs Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum: Deus
Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: hoc no-
men mihi eſt in æternũ: & hoc memoriale meũ in generationẽ
16 & generationem. * Vade, & congrega ſeniores Iſrael, & dices
ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus
Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, dicens: Viſitans viſitaui
17. vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Aegypto: * Et dixi
vt educam vos de afflictione Aegypti in terram Chananæi, &
Hethæi, & Amorrhæi, & Phærezæi, & Heuæi, & Iebuſæi, ad
18. terram fluentem lacte & melle. * Et audient vocem tuam: ingre-
dierisque tu & ſeniores Iſrael ad regẽ Aegypti, & dices ad eum:
Dominus Deus Hebręorum vocauit nos: ibimus viam trium
dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro.
19. * Sed ego ſcio quod non dimittet vos rex Aegypti vt eatis, niſi
20. per manum validam. * Extendam enim manum meam, & percu-
tiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus ſum
in medio eorum: poſthæc dimittet vos. Daboque gratiam po-
pulo huic coram Aegyptijs: & cum egrediemini, non exibitis
vacui, ſed poſtulabit mulier à vicina ſua, & ab hoſpita ſua, vaſa
argentea & aurea, ac veſtes: ponetiſque eas ſuper filios & filias
veſtras, & ſpoliabitis Aegyptum.

PRIMA DISPVTATIO.

De tempore, in quo facta eſt illa Dei apparitio in rubo.

1. OMnium Dei apparitionũ, quę ſanctis viris factę memorantur in veteri Teſtamento, tres fuiſſe videntur maximè inſignes ac memorabiles. Prima fuit apparitio Dei ſuper ſcalam, quam vidit Iacob in ſomno, Geneſ. 28 Altera fuit hæc apparitio Dei in rubo, vſquequaq; inflammato, ſed prorſus incombuſto. Tertia fuit, in qua viſus eſt Danieli Deus, quaſi antiquus dierum, ſedens in throno, quæ deſcribitur Daniel. 7. Verùm ſuper hac apparitione Dei in rubo, ante alia quæ tractãda ſunt, indicare conuenit tempus huius apparitionis: Circa quod tres quæſtiones occurrunt. Prima quæſtio eſt; Quando facta ſit hæc apparitio, & quoto ætatis Moſis anno. Reſpondeo, factam eſſe poſt quadraginta annos, quibus Moſes moratus fuerat in terra Madian; & octogeſimo ætatis eius anno: erat autem quadraginta annorum, cum fugiens regem Aegypti, petijt terram Madian. Hæc licet colligere ex verbis B. Stephani, quæ refert Lucas Actor. 7. Nam primò ſic ait: *Cùm impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor eius viſitare fratres eius filios Iſrael: & cum videret quendam iniuriam patientem, vindicauit illum, percuſſo Aegyptio.* Et quibuſdam interpoſitis adiungit: *Fugit Moſes, & fuit aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos. & expletis annis quadraginta, apparuit illi in deſerto mõtis Sinai Angelus in igne flamma rubi.* Si Moſes quadraginta annorũ erat, cum fugit in terram Madian: & poſt id

Prima quæſtio, quoto ætatis Moſis anno facta ſit hæc apparitio.

temporis,

temporis, quadraginta annis expletis, apparuit ei Angelus in flamma rubi: ergo illa apparitio contigit ei iam octogenario. Id ipsum confirmatur eo argumẽto; quod statim post hanc apparitionẽ missus est in Aegyptum ad liberandum populum, quo tempore fuisse eum octoginta annorum, traditur infra Exodi 7. Vniuersa porrò ætas Mosis, fuit centum viginti annorum, in tres admodũ insignes quadragenas partita. In prima quadragena mirabiliter ab interitu seruatus est, & à filia regis adoptatus, & omni sapientia Aegyptiorũ eruditus, & cõtẽptis bonis Aegypti, pro liberatione suæ gẽtis, Aegyptũ hominem occidere non timuit. In altera quadragena fugiẽs in terrã Madian, pastoralẽ vitam egit: in omni philosophia animum exercẽs, & libros aliquot ad eruditionem, & cõsolationem Hebræorum scribens; deniq; admirabili hac Dei apparitione dignatus est. In tertia quadragena, maximis editis prodigijs, eduxit populũ ex Aegypto, & per 40. annos rexit in diserto in mira temporum & rerum varietate. Illud verò dignum obseruatu, Mosem tot annos versatum esse in pascẽdo grege, quot annis postea in administrãdo principatu regendoq; populo versatus est; quasi pastoralis illa exercitatio, præparatio quædam fuerit ad munus regendi & gubernandi populi ritè obeundum.

Tripartita ætas Mosis.

2. *Secunda q̃stio, quid egerit Moses in terra Madian per 40. annos. Philo lib. 1. de vita Mosis.*

Altera quæstio est, Quid egerit Moses in illo spatio quadraginta annorũ, quod exegit in terra Madiã? Tacet hoc Scriptura, solum dicens, fuisse eum pastorem ouium. Philo ait, eo tẽpore exercuisse se in philosophia, tam practica, quàm speculatiua. Moses, inquit, interea exercebat se in virtutis stadio sub ratione magistra, parans se ad optima vitę genera, actiuum, & contemplatiuum: simulque euoluens philosophiæ dogmata, atque etiam expeditè dijudicans, & recondens in memoriam, vt post, in suum vsum posset ea depromere: veram laudem videlicet quærens, non inanem opinionem hominum; quippe qui nihil nisi rectam rationem spectaret, fontem, originemque virtutum omnium. Quin etiam pastoralis ista exercitatio, magna fuit ei præparatio ad principatum: Est enim ars pastoralis, quasi præludium ad regnum, hoc est, ad regimen hominum, gregis mãsuetissimi. Quemadmodum bellicosa ingenia præexercent se in venationibus, experientes in feris, quod postea in militia, & bello perfecturi sunt: brutis præbentibus materiam exercitij, tam belli, quàm pacis tempore. Et verò, præfectura mansueti pecoris, habet quiddam simile cum regno in subditos: ideoque reges cognominantur pastores populorum non contumeliæ, sed honoris gratia. Immo, quantum ego intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, sed veritatem vestigans, (rideat qui volet) solus potest esse rex vsquequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam: & curando minora animalia, didicit quo modo præesse debeat præstantioribus: impossibile est enim, vt magna prius, quàm parua perficiantur. Factus est igitur Moses omnium suæ ætatis pastorũ optimus, & vtilitatis pecorum prouidentissimus: domi nullum fugit laborẽ, sed vltrò & alacriter vtilitati eorum cõsuluit. Quocirca adeò gregum copiam auxit, vt inuidiosus esset apud pastores, nihil simile videntes in suis gregibus: qui præclarè secum agi putabant, si nihil detrimenti acciperent: mirantes illius numerũ indies crescere, nec tantũ singulas oues pulchrè pinguescere, verum fœcunditate maiorem in modum multiplicari. Hactenus ex Philone. Creditur autem tunc scripsisse Mosem librum Genesis, & item librum Iob: vt Hebræos asperrima seruitute afflictatos, dupliciter consolaretur, & confirmaret: tum exẽplo patientiæ Iob, & cõsecutæ consolationis & felicitatis eius; tum exemplis maiorum suorum Abraham, Isaac, & Iacob; reuocandisque in memoriam promissis Dei deliberandis ipsis à seruitute, & introducẽdis in terram Chanaan ipsis promissam.

Pastoralis ars præludium regalis gubernationis, vt in Mose ac Dauide licet cernere.

3. *Tertia quæstio, cur tã serò Deus apparuerit Mosi.*

Tertia quæstio, cur Deus tam serò apparuerit Mosi, nempe iam octogenario? Respondere possum, excellentes Dei apparitiones, atque eximias rerum diuinarum reuelationes non contingere seruis Dei, nisi serò admodum, & diu multumque in studio virtutis, & perfectioris disciplinæ exercitatis. Quę autem præcedere debeat in seruis Dei,

priusquam ad sublimẽ hunc perfectionis gradum perueniant, ea fuere adumbrata, & præfigurata in Mose. Principio, Moses dereliquit aulam regiam, magis eligens affligi cum populo Dei, vt ait Paulus, quam temporalem peccati habere iucunditatem, maioresque diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi. Similiter renunciatio rerum secularium, primus est gradus ad perfectionem virtutis. Tum Moses occidit Aegyptium, & vitia, atque improbæ cupiditates extinguendæ sunt. Adhæc, Moses fugit in terram Madian, quæ vox significat Iudicium: contemplatio iudiciorum Dei erga seruos suos, & erga peccatores, tam in hac vita, quàm in futura, implet animum piorum hominum sancto quodam timore Dei, & despicientia rerum omnium humanarum, & temporalium; incenditque studio perfectè colendi virtutes, & seruiendi Deo. Deinde, Moses vxorẽ duxit Sephorã filiã Iethro: significat autem Sephora auem, & Iethro significat excellens: quibus rebus signatur vita contemplatiua, quæ est tanquã filia excellentis, id est, Dei, ei nimirum gratissima, & singulare, eximiumque eius donum; per quam mens, quasi auis, euolat ad superna, velut duabus elata alis; altera, meditatione rerum diuinarum; altera flagranti earundem amore, & desiderio. Præterea, Moses ex Sephora genuit duos filios Gersan; quod interpretatur aduena; & Eliezer, quod significat, Adiutorium Dei; contemplatio enim Dei, ac rerum diuinarum, duplicem hanc cognitionem generat in animo nostro; tum quod simus aduenæ & peregrini, nec habeamus hic ciuitatem permanentem, sed esse nobis mundum hunc quasi diuersorium, vel potius exilium; tum etiam omnem spem & fiduciam esse fallacẽ, præter eam vnam, quæ in Deo collocatur. *Leuaui oculos meos ad montes*, ait Dauid, *vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram*. Et alibi: *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in eo spem meã.* Ad extrêmum, Moses pasce bat oues in solitudine, & Dauid aiebat: *Elongaui fugiens, & mansi in solitudine*. Et Dominus per Oseam: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Via perfectionis virtutis & vitæ spiritualis, est quasi solitudo: pauci eam nouerunt: pauciores ingrediuntur eam: paucissimi vsque ad finem in ea pertendunt. Tres autem greges pascendi sunt: vnus est spiritualis, Intellectus, Voluntatis, & Memoriæ; omniumque cogitationum & affectionum animi: Alter est animalis, cõtinens oẽs sensus & appetitiones animæ. Tertius est corporalis, id est, omnia corporis nostri membra: de quibus Paulus præcepit: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*. Ita verò pascendi sunt hi tres greges, vt corpus, animam, & spiritum ab omni vitiorum, & errorum inquinamento pura & incorrupta seruemus.

ad Heb. 11

Sex res faciũt seruos Dei capaces diuinarum visitationum & reuelationum.

Psal. 120.

Psal. 72.

Psal. 54.

Osee 2.

ad Rom. 6.

4\. Sanctus Gregorius, cur Deus tam serò apparuerit Mosi, causam refert ad maximam animi quietem & tranquillitatem, quã tunc fruebatur Moses, vitam agens solitariam, vacuam à rerum vrbanarum, & ciuilium negotiorum tumultu; sibique tantum attendens; totoque studio, & intentione animi vacans contemplationi rerum cœlestium: non enim eximiæ Dei visitationes & reuelationes contingere solent, nisi ijs, qui ab omni rerum externarum perturbatione remoti & liberi sunt. Gregorij super ea re orationem, plenam grauium & vtilium sententiarum, his maximè, qui perfectiorem viuendi disciplinam profitentur & colunt, lubet hic adscribere. Sic autem scribit lib 23. Moralium, cap. 20. vel secundum aliam editionem, 12. Cum ab externis actionibus mens sopitur, tunc plenius mandatorum Dei pondus agnoscitur. Tunc verba Dei mens viuacius penetrat, cum ad se admittere curarum secularium tumultum recusat. Neque enim perfectè homo sufficit ad vtraq; diuisus: sed dũ sic interius erudiri appetit, vt tñ exterius implicetur: vnde exterius auditum aperit, inde interius obsurdescit. Moses admixtus Aegyptijs, quasi vigilabat; sed extincto Aegyptio, postquã in desertum fugit, dum illic quadraginta annis

Quib⁹ gratia contemplationis, & diuinæ visitationis contingat.

Pulcherrima disputatio S. Greg.

nis degit, quasi ab inquietis desideriorum terrenorum tumultibus obdormiuit, & ideo diuinam vocem percipere meruit: quia per supernam gratiam, quantò magis ab exterioribus appetendis torpuit, tantò verius ad cognoscenda interiora vigilauit. Vnde & sancti viri, qui exterioribus ministerijs deseruire, officij necessitate coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt; ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, & legem quasi in monte percipiunt: dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur. Vnde Moses, crebrò de rebus dubijs ad tabernaculum ibat: ibi secretò Deū consulens, & quid certi decerneret, agnoscens. Relictis quippe turbis ad tabernaculum redire, est, postpositis exteriorum tumultibus, secretum mentis intrare: Ibi enim Dominus consulitur; & quod foris agendum est publicè, intus silenter auditur. Hoc quotidie boni Doctores faciunt, cum se res dubias decernere non posse cognoscunt: ad secretum mentis, velut ad quoddam tabernaculum reuertuntur: diuinaque lege perspecta, quasi coram posita arca, Dominum consulunt. Et quod prius tacentes, intus audiunt, hoc foris postmodum agentes cognoscunt. Vt enim exterioribus officijs inoffensè deseruiant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant: & sic vocem Dei quasi per somnium audiunt, dum in meditatione mentis, à carnalibus motibus abstrahuntur. Hinc est quod sponsa vocem sponsi quasi per somnium audiuit; quæ dicebat: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, quasi hoc diceret; dum exteriores sensus ab huius vitę solicitudinibus sopio, vacante mente, viuacius interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat: quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo. Hactenus ex Gregorio.

Locus Cantic. 5.

SECVNDA DISPVTATIO.

De loco, in quo apparitio Dei in rubo facta est.

SVPER ILLIS VERBIS.

Moses autem pascebat oues Iethro soceri sui, sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. *Versu 1.*

5. PARAPHRASIS Chaldaica hunc locum ita reddidit: *Moses pascebat oues Iethro soceri sui, principis Madian: & duxit oues per bona pascua deserti; venitque ad montem: vbi reuelauit se super eo gloria Domini, nempe ad Horeb*. Iosephus hanc historiam commemorat his verbis lib. 2. Antiquitatū. Moses apud Iethro (quod Raguelis cognomen erat) socerum suum pascens pecora; aliquando egit pastum greges in montem, qui dicitur Sinai, omniū in ea regione celsissimum, & pascuis valde commodum: abundabat enim herba: eò quod, vulgato rumore, numen illic habitare, pastoribus ad id vsque temporis inaccessus, ob religionem loci, fuerat. In eo monte mirabile vidit prodigium: ignis enim rubi fruticem depascēs visus, nec frondes, nec flores, nec ramos, quidquā læsit: cum tamen inde maxima & flagrantissima flamma emicuisset. Sic Iosephus. Philo locum illum appellat nemus: Scriptura hoc loco vocat montem Horeb, siue Choreb: & fieri potest, vt proxima eius montis, vbi rubus erat, in quo facta est Dei apparitio, fuerint nemorosa, creditur enim ad radices eius fuisse rubū, & inibi Deum apparuisse.

Paraphrasis Chaldaica.

Iosephus.

6. Verùm quæritur de isto monte, an fuerit idem, an diuersus monti Sinai. Quidam putant vnum esse montem; & orientalem eius partem esse vocatam Sinai, occidētalem verò Horeb. Beatus Hieronymus eundem prorsus esse montem tradit, duplici nomine appellatum in Scriptura, nunc Sinai nunc Horeb. Nonnulli arbitrantur, distinctos fuisse

An mons Sinai & Horeb vnus fuerit mōs, an diuersi montes.

montes, sed radicibus inter se cohærentes atque coniunctos, & Sinai, altiorem multò esse, quàm Horeb. Nec desunt, qui dicant, Horeb esse velut iugū quoddam eminens, super impositum monti Sinai. Ponam hîc verba B. Hieronymi ex libro de locis Hebraicis transcripta; Choreb, inquit, mons Dei in regione Madian, iuxta montem Sinai, supra Arabiam in deserto: cui iungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Hæc Hieronymus de sententia Eusebij, cuius librum illum Latinè interpretatus est. Sed proximè subdit ex suo sensu: Mihi autem videtur, qđ duplici nomine idem mons nūc Sinai, nūc Choreb vocetur. Sic Hieronymus.

S. Hierony.

Caietanus porrò super ista quæstione pauca hæc scribit, explanans hunc locū: Mōs Sinai, inq̃t, appellatur mōs Heloim, eò quod ibi Deus Legislator apparuit. Sūmi enim Iudicis est, (qđ significat nomen Heloim) legē dare: & à nomine postea imposito, prænominauit illum Moses. Et quoniam non in quamcunq; partem montis Sinai sed in illā, quæ appellatur Choreb, venit Moses; ideò ad significandum in specie partē montis Sinai, quæ pars habet formam cuiusdam parui montis, apposuit, ad Choreb: hæc Caietanus. Ex verbis Iosephi paulò supra positis satis apparet, eum non distinxisse montem Sinai à monte Horeb.

Caietanus.

7. Cæterum mons iste Horeb septem rebus celebris admodum, & memorabilis fuit. Ibi enim hæc Dei admirabilis apparitio facta est: ibi Moses virga percutiens petram, largissimam aquarum copiam emanare fecit: Ibi Moses elatis in sublime manibus orās, meruit, vt Iosue debellaret & profligaret Amalechitas: In eum montem, maxima cum maiestate & magnificentia descendit Deus, daturus legem populo Hebræo: Ibi Moses quadraginta diebus, fine vllo cibo potuq; mansit cum Deo: Ibi primum idololatriæ crimen, maximeq; execrandū admiserunt Hebræi, vitulum pro Deo adorantes, ob idq; Moses & tabulas legis confregit, & ingentē populi cædē fieri iussit. Ibi deniq; Helias, post quadraginta dierum iter, & ieiunium, admirandam illam Dei visionem habuit, quæ narratur in 3. Regum, cap. 19.

Septem res montē Horeb valde celebrē & memorabilem fecerunt. *Nume. 21.* *Exod. 17.* *Infra 19.* *& 20.* *Infra 24.* *Infra 32.*

8. Sed cur Scriptura appellat Horeb montem Dei? An per anticipationem, quoniam ibi Deus postea sæpius apparuit, sicut putat Caietanus? An propter antiquam illarum gentium opinionē, quòd in eo monte diuinum quoddam numē habitaret, vt tradit Iosephus? An more Scripturæ ita dictus est; quæ præstantissima quæque, & in quolibet genere eximia, adiuncto nomine Dei appellare solet? sicut dicitur ciuitas Dei, & bellū Dei, & cedrus Dei. Paraphrasis Chaldaica primā interpretationem secuta est, dicens: *Ad montem, in quo se reuelauit gloria Dei.* Sed cur in eum locum Moses gregem egit? An quòd optimis pascuis abundaret, vt tradit Philo & Iosephus? An curiositate quadam ductus, vt antiquam eius loci religionem exploraret? An quò maiorē secessum faceret ab hominum habitatione, vt liberiori animo vacare contemplationi rerū diuinarum posset? An potius, tacito instinctu, incitatuq; Dei, qui in eo monte se ipsum Mosi, admirabili visione, manifestare volebat?

Cur Horeb vocetur mons Dei: & cur eo venerit Moses. *Iosephus lib. 2. Antiquitatum.*

TERTIA DISPVTATIO.

De rubo ardēte & incombusto, in quo Deus apparuit Mosi.

QVO modo Deus apparuerit in rubo, variè memorat Scriptura diuersis in locis. Hic dicitur apparuisse *in flāma ignis de medio rubi:* In Deuteron. c. 33. apparuisse *in rubo.* Apud Marcū, cap. 12 *super rubo.* Apud Lucā, c 20. *secus rubum.* B. Steph. Actor. 7. dicit apparuisse eum *in igne flāma rubi.* Hanc historiā de rubo ardente & incombusto, præclarissima oratione describit Philo, hunc ad modū: Accidit, vt dū Moses sectatur loca herbida & riguа, lætaq; pascuis, in quodā nemore videret visionem horribilem. Rubus ibi erat, frutex spinosus & inualidus: is, nemine ignē admouente, subitò incensus est, correptusque totus à radicibus, vsq; ad cacumen, flamma in morem fontis scatente: manebatq; integer & illæsus, 6.

Pulchra descriptio illius rubi apud Philonē, lib. 1. de vita Mosis.

quasi

quasi non esset incendii materia, sed ipse ab igne aleretur. E medio promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis: diuinum planè simulachrum, luce fulgens clarissima, vt suspicari posset Dei esse imaginem. Vocemus eam Angelum: quandoquidem futura prænuntiauit, tantò clarius, quantò magnificentior erat visio. Significabat porrò ardens rubus, oppressos iniu-ria Hebrẹos; vrens verò ignis, oppresso-res Aegyptios. Quod autem non exure-batur materia, portendebat non perituros qui affligebantur inimicorum violentia; sed conatum illorum fore irritum, illos verò euasuros incolumes. Enimuerò rubus, frutex debilis & sentico sus est, & se tangentes vulnerat. Ille verò rubus, ignis voraci natura non absumebatur, quin etiam conseruabatur, qualis antea fuerat permanens; adeoque nihil amittens, vt nitesceret etiam magis. Hæc omnia designabant exhortationem quandam, tantumnon sic inclamantem pressis calamitate: Nolite succũbere; hæc vestra infirmitas, est potentia, quæ punget, & verberabit plurimos. Qui delere cupiunt vos, inuiti seruabunt: tot mala illæsi euadetis: & cum maximè vastari videbimini, tunc maximè enitescet gloria vestra. Vos quoque crudeles, & igni voraci similes, innocentium oppressores, ne nimium cõfidite vestris viribus: cogitate inuictissimas, quas putatis, opes vestras, aliquando deletum iri. Ecce flamma, suapte natura, vrens, vt lignum vritur; lignum verò cremabile, vrit euidenter in modum ignis. Hactenus ex Philone.

vi
v-
s,

Sed quid arboris vel fruticis est rubus? est frutex notissimus passim in dumis proueniens, florem habens candidum, & fructum moris non absimilem. De rubi natura, & proprietatibus, & varietate, multiplicique vsu in medicina cõsulendus est Plin. lib. 16. c. 37. & lib. 17. c. 13. & lib. 24. c. 13 & 14. Hebraicè vocatur, Sene; Græcè *βάτος*. Hebrẹi ita definiũt rubũ; fruticẽ sterilẽ & senticosum, quem auis, absq; deplumatione, intrare nõ põt. A rubo (qui hebraicè dicitur Sene) nomẽ accepit mons Sinai: siue quod ibi ingens esset ruborũ copia; siue ab illo rubo, Dei apparitione mirandum in

Gt

modum nobilitato, & celebrato.

Verùm quærat quispiam, cur Deus apparere voluerit in rubo. Duplex reddi potest ratio, vna secũdũ litteralem, & historicum intellectum: altera secundũ mysticum. Ratio historica videtur ea esse, quã exposuit Philo verbis supra positis: præfigurabat enim rubus cõditionem Hebræorum, in qua tunc erant. Siquidem rubus est frutex inualidus, aspectu vilis, tactu horridus, & se tangentes vulnerans. Sic erat populus Hebræus; q ob seruitutem quã Aegyptijs seruiebat, videbatur inualidus atq; ærumnosus, vilisq; & abiectus: is tamen denique grauissimas inflixit plagas Aegyptijs eũ vexantibus. Ratio mystica, huiusmodi est. Rubus, frutex vilis & asper, significat virum humilem & mortificatũ carne, anima, & spiritu; in quo Deus habitat: & cui se suaq; arcana manifestat. Et sicut rubus adhibetur ad sepiendum vineam: sic virtus humilitatis & mortificationis est tãquã validissima sepes vineę & vitæ spiritualis. Rubus ille inflammabatur ab igne, sed nihil ab eo lędebatur: similiter quantæuis tribulationes virum humilem & mortificatum non lædunt; quin etiam illustrant magis & roborãt. Et quemadmodum nemo est qui audeat contrectare manibus rubum: ita Diabolus hominem verè humilem & mortificatum formidat, ac refugit.

11. *Quid præfigurauerit ille rubus.*

Virtus humilitatis & mortificationis.

Aliam quandam Theodoretus affert causam apparitionis Dei in rubo à quibusdam traditam: Nonnulli dicunt, Deum in rubo, & non in alia planta apparuisse, ne quis posset ex rubo Deum effingere, ac effigiare. Erat enim verisimile, Iudæos hoc ausuros esse, si in alia planta apparuisset. Sic ille. Quoniã igitur nec rubus, nec flamma ignis certam quampiam imaginem & figuram referunt rei adorandæ, idcirco in talibus rebus, ad arcendã procul à Iudæis idololatriæ occasionem apparuit Deus. Similiter in monte Sinai, nõ per formam quãpiam visibilem, sed per vocem tantum audibilem, manifestauit se Hebræis, ne Iudæi similem facerent imaginem, quã, vt Deum adorarent. Qua de re commonens Hebræos Moses, sic ad eos locutus est: *Non vidistis aliquam similitudinẽ in die, qua locutus est vobis Dominus*

12. *Theodor. in q. 6. in Exodum.*

Locus Deuteron. 4.

in Horeb, de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, vel similitudinem iumentorum, quæ sunt super terram, vel auium sub cœlo volantium, vel reptiliũ, quæ mouentur in terra, vel piscium, qui sub terra morantur in aquis: ne fortè eleuatis oculis ad cœlum, videas solem & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas: quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Non rectè autem apud Eusebium lib. 9 de præparat. Euang. cap. vlt. Artapanus refert historiam huius apparitionis, ita scribens: Moses liberationẽ populi sui quotidie petebat à Deo. Contigit autem, vt quodam die repentè coram eo ignis è terra, vbi nulla erat incẽdio apta materia, erumperet: missaque cœlitus voce dictum est ei, liberandos esse, ipso duce, Iudæos, & in antiquam patriam deducendos. Sic ille. In hac porrò apparitione Dei duplex euidens fuit diuinæ inibi præsentiæ indicium; alterum, miraculum rubi ardentis & incombusti: alterum, vox Dei apertè loquentis Mosi.

Artapanus apud Eusebium.

QVARTA DISPVTATIO.

De flamma ignis in qua Deus apparuit Moysi.

13. DICITVR Deus apparuisse Mosi in flãma ignis, vel in igne flammæ; nam vtroque modo legitur in Scriptura: quo significatur, ignem istum fuisse flammeum. Plato namque triplicem in Timæo facit ignem: vnus est crassus & impurus, alienæque immixtus materiæ; multũ vrens, & parum lucens; huiusmodi est ignitũ lignum, & carbo, & ferrũ. Alter ignis, est subtilior & purior, multum & lucẽs, & vrens, vti est flamma. Tertius ignis, est mundissimus & subtilissimus; non vrens, multũque lucens, maximeq; salubris & vitalis corporibus: huiusmodi est lux cœlestium corporũ, vt solis, aliorumque sy̆derum. His addere oportet quartum ignem, elementarem dico, qui est corpus simplex, calidus & siccus, cui sub cœlo lunæ, locum assignant Peripatetici, per se nec lucens, nec vrens. Ignis autẽ, in quo Deus apparuit Mosi, erat flammeus & lucens, & vim vrendi habens, sed tunc diuinitus suspensam, vt mox dicemus. Erat autẽ verus ignis, & nõ tantũ species & similitudo ignis: Scriptura q̃ppe simpliciter vocat ignẽ, & tanquam ingens miraculum narrat, ignem illum cũ esset in rubo, non adussisse eum: at si non verus, sed simulatus ignis erat, non poterat comburere rubum: Et sanè Moses errore opinionis fuisset deceptus: nam putans illum esse verum ignem, demirabatur quod rubũ non adureret, quæ admiratio, vana prorsus fuisset.

Triplex ignis ex sententia Platonis: quib. addendus est quartus ex Aristotelis doctrina.

Ignem illũ rubi fuisse verũ ignẽ.

Cæterùm quæri potest, à quo ignis ille fuerit productus. Quidam putãt fuisse productum ab eo Angelo, qui è rubo loquebatur Mosi. Nam si homines multifariam, & magna facilitate possunt ignem efficere, quantò magis Angelus. Sed isti opinioni obstat, quod Angelus non potest producere ignem, nisi naturaliter se habentem, id est, qui naturaliter existat, & conseruetur, & operetur. Cuius rei hæc est ratio: tum quòd Angelus, cum naturam atque potestatem finitam, & determinatam habeat, nõ potest naturalem rerum conditionem, & ordinem à Deo inditum commutare: tũ quia Angelus, cum sit incorporeus, immediatè non producit ignem, sed applicãdo, vt dicitur, actiua passiuis: ille autẽ ignis quædam habebat præter ordinem naturalem: nam cum esset flamma, quæ naturaliter solet supera loca capessere, quasi detentus, manebat in loco inferiori: & sine alimento & pabulo perdurabat: & cùm esset implicitus, & circumfusus rubo, materiæ nimirum cremabili, nullo modo eum vrebat, aut lędebat. Nõnulli opinantur, ignem illum fuisse illuc detrusum ex proprio loco ignis elementaris finitimo Lunæ cœlo Hoc si concedimus, necesse fuit, vt ignis contra naturalem propensionem suam ad superiora loca, ob natiuam leuitatem, descenderet ad ima loca terræ: & qui per se non lucet in sphæra propria, ita densari vt lucesceret: & per mediam regionem aëris frigidissimam, atq; igni maximè cõtrariam illæsum transire. Sed profectò longè 14.

Quomodo fuerit productus ille ignis.

In quo erat subiectiuè illa flãma.

longè probabilius est, ignẽ illum fuisse a Deo productũ vel ex aëre, vel ex alia quapiam materia propinqua rubo, eiq; applicatum. Non enim ignis ille subiectiuè erat in rubo: fuisset enim rubus ignitus: quod fieri nõ poterat sine corruptione rubi: nõ enim potuisset ignescere rubus, nisi substantia eius in ignem conuersa, ignique alimentum subministrante. Erat igitur ignis ille subiectiuè in ea materia, ex qua est generatus, & vsquequaque contiguus rubo; atque ita per eius ramos aliasque partes sparsus atq; cohærens, vt non posset humano aspectu discerni ignis ille, tanquam quid separatum à rubo.

Sed enim quæstionem simulque admirationem habet, quomodo ignis ille non vreret, nec læderet quicquam rubum. Verùm in promptu est responsio: quia Deus suspendebat concursum suũ cum igne ad vrẽdum. Etenim duo sunt Theologiæ placita apud Theologos certa & indubitata: Vnum est, nullam rem creatam operari posse absq; actuali Dei concursu cum illa re: Alterum est, Deum, quæ sunt extra ipsum, ea liberè operari, hoc est, posse operari, & non operari, & quando vult, & vbi vult, & quomodo, quantumq; vult, operari. His positis, perspicua est solutio quæstionis. Nam quia Deus concurrebat cum illo igne ad lucẽdum, ideò lucebat: quia verò cum eo non concurrebat ad vrendum, ideò non vrebat. Consimili etiam ratione tres illi iuuenes Hebræi in ardẽtissimæ fornacis Babylonicæ flammas coniecti, per eas, ab igne prorsus illæsi atque intacti ambulabant. Exemplum huius rei habes in securi: quæ licet habeat vim secandi, & proximè admoueatur corpori secabili, nisi tamen moueatur ab artifice, nequaquam secabit. Hãc Dei omnipotentiam, duas ignis virtutes naturaliter indiuisas atque inseparabiles, alteram lucendi & alteram vrendi, mirabiliter dissociantis atque disiungentis, pulchrè declarat sanctus Basilius exemplo ignis inferni, vrentis & non lucentis. Explanans enim versiculum illum Psalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis:* Intercidit, inquit, flammam ignis Deus, secundum historiam trium puerorum apud Babylonẽ, quando fornax suprà cubitos quadraginta nouem, effusa, eos qui circumstabant, combussit omnes. E diuerso autem eadem flamma, Dei præcepto intercisa, recepit in se spirantem auram, refrigerationem pueris illis tribuentẽ, tãquam sub vnius alicuius arboris peramabili vmbra, tranquillo, ac quieto in statu cõstitutis. Multò sanè admirabilius est, naturã ignis intercidi, quàm mare rubrũ in partes diuidi. Attamen Domini vox naturales ignis virtutes sibi cohærentes & vnitas intercidit. Quanquam igitur indiuisibilis & insecabilis videatur humanis sensibus ignis, veruntamen ad pceptum Domini interciditur & diuiditur. Existimo autem, quod ignis qui ad supplicium, Diabolo & Angelis eius paratus est, Domini voce intercidatur. Etenim duo sunt in igne potissima, vrẽdi vis, atque illuminandi: vis prior ignis, acerrima quidem ad pœnas infligẽdas, reposita est ijs, qui vstione sunt digni: altera verò illuminandi virtus, velut parti tè, accidet ijs qui claritate perfruituri sunt gaudij perennis. Vox itaque Domini intercidit flammam ignis: nam & obscurus est ignis supplicij; & comburendi caret virtute lux illa refocillationis, & gaudij Sanctorum. Hæc Basilius.

Ignis virtutes separantur ab inuicem duae eius virtutes, vrendi & lucendi. Locus Psal. 28.

QVINTA DISPVTATIO.

Quid portenderet ac præsignaret, admiranda illa visio rubi ardentis, & non consumpti.

PRIMARIA eius visionis significatio secundum litteralem & historicum intellectum, videtur ea fuisse, quã Philo exposuit his verbis, quæ supra in tertia disputatione commemorauimus. Significabat, inquit, ardens rubus oppressos iniuria Hebræos: ignis verò rubum comprehendens, oppressores Aegyptios: quod rubus non exurebatur, portendebat non perituros, qui affligebantur inimicorum violentia; sed conatum eorum fore irritum, illosque euasuros incolumes. Rubus item frutex debilis est & senticosus, & vel solo conta-

16. *Naturalis significatio illius visionis ex Philone & Theodoreto.*

ctu vulnerans: ille autem rubus, ignis voraci natura non absumebatur. Quæ res præsignabat præsentem infirmitatē Hebræorum, magnam in potentiam cō uersum iri, & quod ipsi per graues & multas plagas, quasi per spinas rubi, vulneraturi essent vehementer Aegyptios à quibus ipsi tunc vexabantur. Sic Philo. Similia scribit Theodoretus. Ponit enim hanc quæstionem numero sextam Quæstionum eius in Exodum: Quid sibi vult ardere rubum, & non exuri? Respondet, illud Dei virtutem atq; humanitatem prædicasse, quod ignis inextinguibilis rubum aridum non consumeret. Ego verò arbitror etiam alia significare, nempe Hebræorū populum Aegyptiorum iniurijs appetitum, non fore subiugandum, sed aduersarijs superiorem futurum. Hæc Theodoretus.

17. *Prima expositio illius visionis allegorica de Christi Ecclesia, B. Hieronymi.* Præter hanc litteralem eius visionis interpretationem, sunt aliæ complures mysticæ, hoc est, partim allegoricæ, & partim tropologicæ. Prima est B. Hieronymi, qui in epistola 127. ad Fabiolam, de quadraginta duabus mansionibus, in Tractatu octauæ mãsionis, ait, flammã, istam inhærentem rubo, nec ei quicquã detrimenti afferentem, figuram fuisse Ecclesiæ Christi, quæ flammis persecutionum non consumitur, nec deficit, sed viret magis & viget, & crescit, & splendescit. In Christi enim Ecclesia verè completum est quod per Isaiam dixit Deus: *Locus Isaiæ c. 43.* *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flãma non ardebit in te.* *Secũda expositio.* Secunda: significabat illa visio conditionem & proprietatem legis Mosaicæ: nam sicut ignis ille illuminabat rubum, sed rubi spinas nō *Rom. 7.* absumebat: ita lex Mosaica demonstrabat quidem peccata, peccatorum tamen spinas nō auferebat. Et Hebræi quidem acceperunt legem à Deo, sed peccata sua non deseruerunt. Legem illam *Locus Deuteron. 33.* Moses ipse vocauit igneam, Deuteronomii 33. illis verbis: *In dextera eius ignea lex.* Et Dauid Psal. 31. videtur peccata comparare spinis, dicens: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* *Tertia expositio de Christo.* Tertia: erat figura Christi: rubus enim spinosus & asper, & humilis ac vilis aspectu, figurabat Christi humanitatem, quã sponte multis laboribus & ærumnis subiectam, paupertatis, atque humilitatis specie despicabilem nostræ salutis causa susceperat. Et sicut ille ignis, licet maximè coniunctus esset rubo, eum tamen non absumebat: ita Diuinitas, quamuis esset personaliter vnita humanitati, non tamen absorbebat mortalitatem & infirmitatem carnis. Vtramq; hanc interpretationem strictim attigit B. Gregor. in lib. 28. Moralium, in principio eius libri, ita scribens: Per succensum rubum, Mosem alloquens Deus, quid aliud ostēdit, nisi quod eius populi ductor fieret, qui & legis flammam perciperet, & tamen peccati spinã nequaquam vitaret? vel significauit, quod ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas susciperet: & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa Diuinitatis flamma seruaret.

Quarta. Repræsentabat illa visio magnum illud miraculum, quod aliquãdo faciendum erat in B. semper Virgine; cuius virginalem pudicitiam, matris fęcunditas non sustulit: hoc sanè mysterium, illuminata à Deo sancta Ecclesia intelligens & prædicans, in quadã Antiphona canit: Rubum, quem viderat Moses incombustum, conseruatã agnouimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix. Nec non Theodoretus indicauit hanc expositionem: loco enim suprapositio ait: Item visio illa significabat vnigenitum Dei filium humanitatem nostram assumentem, & virginalem vterum inhabitantem; immaculatam seruaturum matris virginitatem. B. Bernardus in sermone de B. Virgine Maria ait, visionem illius rubi fuisse figuram eius, quod de B. Maria scriptum est Apocalyp. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, &c.* Quomodo, inquit, in tam vehementi feruore tam fragilis natura subsistebat? Meritò quidem admiraris Moses sancte, & curiosius desideras intueri, *Vadã, inquit, & videbo visionem hanc magnam.* Magna planè visio, rubus ardens sine cōbustione: magnum signum, mulier illæsa manens amicta sole: non est rubi natura, opertum vndique flammis, manere nihilominus incombustum; non mulie-

18. Quarta expositio de B. Virgine Maria.

Theodoret.

Quinta expositio etiã de B. Maria.

mulieris potentia, vt sustineat solis amictum. Non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem; sublimior quædam
Luc. 1. necessaria est. *Spiritus*, inquit, *superueniet in te.* & tanquam responderet illa, quoniam spiritus est Deus, & Deus no-
Ioan. 4. ster ignis consumens est. *Et Virtus*, ait,
Deuter. 4. nō mea, nō tua, sed *Altissimi obūbrabit tibi*: Nihil itaque mirum, si sub tali umbra culo, talis etiam à muliere sustineatur amictus. Hactenus ex Bernardo.

19. Sexta. In homine iustificato, manet
Sexta expositio de homine iustificato. quidem flamma concupiscentiæ, sed nō ad consumptionem, & dominationem eius, verùm ad exercitium virtutis. Manet in eo fomes peccati, sed non regnat in eò peccatum. Ergo vir iustus circumdatus est igne, sed ab eo non vritur. Se-
Septima expositio de viro vsquequaque perfecto. ptima. Visio illa figura fuit hominis perfecti, in quo est flamma sapientiæ & charitatis, simulque est vilitas & asperitas rubi: id autem est humilitas conuersationis, & asperitas mortificationis: neque sublimitas sapiētiæ, & gratiæ apud Deū, tollit humilitatem conuersationis apud homines, & asperitatem mortificationis
Octaua expositio de Mose, qualis esse deberet Rector populi. in seipso. Octaua. Quoniam in hac prima Dei apparitione designatus est Moses liberator, & dux & rector Hebræorum, idcirco per eam significatum est, illius rubi similem ipsum esse debere. Etenim ignis significabat sapientiā, qua populum docere & regere debebat; & item charitatem & misericordiā, qua populi necessitatibus consulere, infirmitatibus condolere, vitia tolerare oporteret: rubus autem asper & spinosus, significabat, simul cum flamma sapientiæ & charitatis, coniunctas esse debere spinas iustitiæ, & seueritatis; castigando & puniendo diuinæ legis præuaricatores.

20. Nona. Cum vellet Deus primùm ma-
Nona expositio de conditione diuina natura & humana. nifestare se Mosi, apparuit ei in igne, & rubo; vt per has duas res, & proprietates diuinæ naturæ, & conditionem humanæ naturæ ei declararet: quarum rerum perfecta cognitio, est consummata sapientia. Meritò itaque sanctus ille vir, frequenter orationem illam ad Deum vsurpabat, Domine, nouerim te, & nouerim me. Rubus frutex vilis, & inualidus, & boni fructus expers, & spinosus, denotat conditionem humanæ naturæ; quæ, propter peccatum, vilis facta est, & vt Scriptura ait, comparata iumentis *Psal. 48.* insipientibus. Est item infirma ad bene agendum, & plurimis ærumnis ac miserijs tanquam spinis obsita. Ignis porrò, inter omnes res sēsibiles, maximè repræsentat diuinæ naturæ proprietates ac perfectiones: quapropter frequentissimè nomē & similitudo ignis vsurpatur ad explicandas res diuinas. Sensibiles enim proprietates ignis, mirificè referunt inuisibiles diuinæ naturæ proprietates. Su-
per qua re diuinè disserentis B. Dionysij *B. Dionysii expositio proprietatum ignis.* orationem, ex cap. 15. libri de cœlesti Hierarchia huc transcribam. Cuius hæc sunt verba: Sanctissimi qui de Deo locuti sunt viri, summam illam, & nullis obnoxiam figuris substātiam, variè in igne describunt: quippe qui diuinæ proprietatis, si dicere liceat, in rebus visibilibus, plurimas seruat imagines. Nempe, ignis sensibilis in omnibus (vt ita dixerim) est, & per omnia, sine vlla sui admixtione proficiscitur, & ab omnibus excipitur: cùm lucidissimus sit, ipse tamen non admota materia, in qua suam vim suumq; ostendat officium omnibus in seipso occultus & incognitus manet. Ipse omnia superat: ea, quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet sibi appropinquantibus, sui consortium tradit. Renouat omnia calore vitali: fulgoribus apertis illuminat: teneri, misceríque non potest: discernendi vim habet, superiora semper petit, & in acumen tendit: agilis, celer, sublimis, nullaque vi, vt inferiora capessat, adigi potest. Semper mobilis, eodemq; ipso motu vigens alia mouet, & complectitur omnia, cum tamen adstringi ipse nō possit. Cumque ipse alio non egeat, sibi ipsi tamen clam incrementa suppeditat: atque in qualibet suscipiente materia, suæ maiestatis potentiam indicat: efficax, potens, omnibusque inuisibiliter præsens. Si negligatur, non esse videtur: attritu autē velut irritatione quadam, naturaliter, ac propriè continuò lucentem excitatur in flammam: cumque affatim omnibus participationem sui locupletissimam præbeat, nunquam tamen ipse minuitur. Complures item alias ignis proprietates inuenies diuinæ actioni (quantū humanis imaginibus fas est)

est) prope accedentes. Hoc itaq; non ignorantes viri diuina sapientia repleti, cœlestes substantias ex igne maximè effingunt, vt illarum diuinam speciem ad Dei imitationem tendere, pro viribus indicent. Hactenus ex B. Dionysio.

SEXTA DISPVTATIO.

Quis fuerit is, qui in rubo apparuit Mosi, Angelusne, an ipse Deus.

21. RATIONEM ea de re dubitandi affert tum ipsa Scriptura, vel potius varia Scripturæ interpretatio: tum variæ super ea re auctorum sententiæ. Hebraica Scriptura ostendit fuisse Angelum: sic enim habet: *Apparuit ei Angelus.* Et itidem habet Paraphrasis Chaldaica, & translatio LXX. At Latinus interpres significat fuisse Deum, vertens: *Apparuit ei Dominus.* Nomen enim Domini precisè & absolutè positum, soli Deo videtur in Scriptura tribui. Inter Patres quoque ac Doctores Ecclesię non conuenit, alijs fuisse Dei filium affirmantibus, alijs verò vnum aliquem de numero Angelorum. Quæritur itaque, putandumne sit, eum, qui apparuit Mosi, verè fuisse Deum, an potius vnũ ex Angelis, nomine Dei loquentem.

22. *S. August.* S. Augustinus ponit hanc quæstionẽ, nec eam tamen soluit. Nam in quæst. 3. in Exodum, tractans illa verba huius capitis: *Clamauit ad eum Dominus de rubo:* sic ait; Dominusne in Angelo, an Dominus ipse, qui & magni consili Angelus dictus est, & intelligitur Christus? supra enim dixit: *Apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis in rubo.* *Isa. 9.* Sic ibi Augustinus. Idem super hac ipsa re fusius disputans in libro 2. de Trinitate, cap. 12. ad hunc modum scribit: In hoc loco Exodi, ille, qui apparuit Mosi, primò Angelus Domini dictus est; deinde appellatur Deus. Nunquid ergo Angelus, est Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, vt ibi dicitur? Potest ergo rectè intelligi & ipse Saluator. Sed cur prius Angelus Domini dictus est, cũ de rubo in flamma ignis apparuit? Vtrum quia vnus ex multis Angelis erat, sed per dispensationem, personam Domini sui gerebat? An assumptum erat aliquid creaturæ, quod ad præsens negotiũ visibiliter appareret, & inde voces sensibiliter ederentur, quibus præsentia Domini per subiectam creaturam corporeis etiam sensibus hominis, sicut oportebat, exhiberetur? si enim vnus ex Angelis erat, quis facilè affirmare possit, vtrum ei Filij persona nuncianda fuerit imposita, an Spiritus sancti, an Dei Patris, an ipsius omnino Trinitatis, quæ est vnus & solus Deus, vt diceret: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob? Si autem in vsum rei præsentis assumpta creatura est, quæ & humanis oculis appareret, & auribus insonaret, & appellaretur Angelus Domini, & Angelus, & Deus; non potest hic Deus Pater intelligi, sed aut Filius, aut Spiritus sanctus: quanquam Spiritum sanctum alicubi Angelum esse dictum, non recolo, sed ex opere tamen posset intelligi: dictum enim de illo est: *Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Et vtique Angelus græcè, latinè nuntius interpretatur. De Domino autem Iesu Christo euidentissimè legimus apud Prophetam, quod magni consilij Angelus dictus sit: cum tamen & Spiritus sanctus, & Dei Filius sit Deus & Dominus Angelorum. Hæc in eo loco Augustinus. Nihil igitur super hac quæstione in alterutram partem decreuit Augustinus, sed rem in dubio atque incerto reliquit, quasi ratus vtramuis eius partem esse probabilem. *Locus Ioannis 16.* *Isa. 9.*

23. *Theodoretus.* At verò Theodoretus in quinta earũ quæstionum, quas scripsit in librum Exodi, censet, eũ, qui in rubo apparuit Mosi, & qui secundum translationem septuaginta, quam ipse sequitur, vocatur Angelus, fuisse vnigenitum Dei Filiũ. Nam eum fuisse Deum, ex eo apparet euidenter, quod ipsemet dixit Mosi: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et item: *Ego sum qui sum*, quod solus Deus verè dicere potuit: fuit igitur ille, Deus. Sed quæ persona Deitatis? Non sanè Pater: non enim appellaretur Angelus, hoc est, nuntius & legatus ab aliquo missus ad nunciandũ aliquid. Deus autem Pater à nullo potest mitti, cum sit ipse principium Deitatis,

tatis, à nullo habens originem, sed à seipso subsistens. Nec ille fuit Spiritus sanctus: quippe qui nusquam in Scriptura appellatus sit Angelus. Restat itaq; illum fuisse Filium Dei, qui apud Isaiam cap. 9. secundum Græcam translationẽ, nominatur Magni consilij Angelus: & apud Malachiam cap 3. nominatur Angelus Testamenti, desideratus Hebræis. B. item Dionysius in cap. 4. de cœlesti Hierarchia hoc ipsum confirmat ita scribens: Ipse quoque Iesus cum ob nimiã charitatem suam, salutique nostræ nimium necessariam, ad suæ pietatis opus implendum, in ordine venisset nunciantis; magni consilij Angelus est prædicatus. Nam profectò, sic ipsemet suo ministerio conuenienter loquens, dixit discipulis. *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Sic ille.

B. Dionysius.

24 Sed ponamus hîc verba Theodoreti: ea verò sunt huiusmodi: Huius loci lectio declarat: quis sit, qui visus est. *Apparuit*, inquit, *ipsi Angelus Domini in flamma ignis rubi.* Et post pauca: *Et dixit illi: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et iterum: *Ego sum qui sum*, vniuersus iste locus demonstrat Deum esse, qui apparuit. Vocauit autem illum Angelum, vt cognoscamus quod is, qui visus est, non est Deus Pater: cuius enim Angelus esset Pater? sed quod fuerit vnigenitus Filius, qui magni consilij est Angelus: quippe qui discipulis suis dixit: *Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quemadmodum autem Angelum vocauit, non quidem ministrorum quempiam, sed personam vnigeniti demonstrare volens: sic iterum ipsius tum naturam, tum potentiam prædicat, narrans dixisse ipsum: *Ego sum qui sum.* Et: *Ego Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob: hoc mihi nomen æternum, & monimentum generationum.* Hæc verò & substantiam diuinam prædicant, & æternitatem demonstrant. Sic Theodoretus. In hac etiam sententia fuisse putandum est complures veterum Patrum, & cumprimis nobilium Ecclesiæ Doctorum, qui censuerunt, in omnibus Dei apparitionibus factis in veteri Testamento, apparuisse Deum, non quidem Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium. Ita enim tradit Iustinus Martyr in eo sermone, quem habuit cũ Tryphone; & Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, & in libro contra Praxeã. Hilarius item lib. 4. & 12. de Trinitate: Ambrosius similiter libro 1. de Fide: nec non & Chrysostomus super caput septimum Actorum Apostolicorum.

Ioan. 15.

Iustinus Martyr. Tertullia. Hilarius. Ambrosi. Chrysostomus.

25 At mihi maximè probatur (sicut etiã Theologis scholasticis probata est) illa sententia B. Dionysij, omnes Dei apparitiones ante Christi aduẽtum, quibusli bet personis, quocunque modo, & quocunque in loco, aut tempore factas, fuisse eas immediatè per sanctos Angelos factas, eorumque ministerio oblatas hominibus. Ponam hic consideranda Lectori verba Dionysij, quæ sunt in 4. capite libri eius de cœlesti Hierarchia: Idcirco, inquit, cœlestes spiritus præ omnibus Angelicum cognomen meruerũt, quod cum in eos primò diuinæ claritatis fulgor emanet, ipsi postmodũ in nos enunciationes illas sublimiores desuper traijciant. Sic enim & lex, vt Scriptura diuina testatur, per Angelos indulta est; & inclytos illos patres nostros, qui ante legem, quique fuere post legem, Angeli ad Deum subuexerunt; siue quid agendum esset admonentes, atque ab errore sacrilego, vitaque profana, ad rectum veritatis iter traducentes: siue sacra quæuis instituta, seu cœlestium Sacramentorum occultas visiones, siue diuinas aliquas prædictiones docendo, pandentes. Et paucis interpositis, adiungit hæc: Huiusmodi diuinæ visiones celeberrimi illi patres nostri, ministerio cœlestium virtutum ediscebant. Hæc Dionysius, qui non solum hoc tradit de apparitionibus factis in veteri Testamento; verumetiã in Nouo: in quo itidem diuina mysteria per Angelos reuelata sunt hominibus, vt Zachariæ, beatissimæ Mariæ, et spõso eius Ioseph, & pastoribus. Certè, qui Mosi apparuit in rubo, eum fuisse Angelũ, apertè testatur B. Stephanus Actor. 7. appellans eum precisè Angelum: quo modo non vocatur in Scriptura Filius Dei, verùm semper cum adiunctione aliqua, vt, Magni consilij Angelus, & Angelus Testamenti. Quod autem appellatur Deus, & dicit; *Ego sum qui sum*, id non officit huic senẽtiæ. Licet enim is, qui apparuit in rubo, secundũ personã, fuerit Angelus;

Auctoris sententia, & hanc apparitionem Dei, & alias omnes veteris Testamẽti immediatè p Angelos esse factas. Dionysius.

Actor. 7.

Luc. 1. Ibidem. Infra 2.

Isa. 9. Malach. 3.

lus; repræsentabat tamen maiestatem, & auctoritatem Dei, & non suo nomine, sed nomine Dei loquebatur. Quoniam igitur, etsi personaliter fuit Angelus, repræsentatiuè tamen erat Deus, eiusque verbis vtebatur; idcirco rectè appellatur Deus Abraham, vereque dixit: *Ego sum qui sum.*

26. *S. Hieronymus.* Ad confirmandum hoc, valet quod scribit B. Hieronymus super tertium caput epistolæ ad Galatas, ad hunc modũ: Quod ait Paulus, legem fuisse ordinatã per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri Testamento, vbi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelum quidem verè fuisse, vnum de ministris plurimis Dei, eum qui visus sit; sed in illo Mediatorem locutum esse, qui dixit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Nec mirum si Deus loquatur in Angelis, cum etiam per Angelos, qui in hominibus sunt, loquatur Deus in Prophetis, dicente Zacharia: *Et ait Angelus qui loquebatur in me:* ac deinceps inferẽte, *Hæc dicit Dominus omnipotens.* Hæc Hieronymus. *Zachar. 1.* Idem, sed explicatius, tradit Gregorius in præfatione sua in librũ Iob, ita scribens: *S. Gregori⁹.* Angelus, qui Mosi apparuit, modò Angelus, modò Deus memoratur. Angelus videlicet propter hoc quod exterius loquendo seruiebat: Dominus autem dicitur, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ei ministrabat. Hoc fieri quotidie cernimus in Ecclesia. Nam stans in medio populi lector clamat: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Et quod Deus ipse sit, verè profectò non dicit; nec tamen per hoc quod dicit, veritatis regulam deserit: quia cui ministerium legen do exhibet, eius dominium voce præten dit. Hæc Gregorius.

27. *Locus Deuterono. c. 33 Obiectio.* Sed illud fortasse obijci posset, Mosem in Deuteronomio precatum esse tribui Ioseph benedictionem eius, qui sibi apparuerat in rubo. Sic enim ait: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph.* Non est putandũ, optasse Mosem, & precatum esse benedictionem Angeli, sed Dei, qui solus ita benedicit, vt benedicendo etiã benefaciat, & bonis suis repleat eũ, cui benedicit. Verùm facilis est solutio; & quidẽ duplex. Arbitramur enim, eũ, qui apparuit Mosi, principaliter fuisse Deũ: nã etsi non immediatè, sed per Angelũ apparuit, qui formauit verba illa quæ dicta sũt Mosi; Deus tamẽ per ea verba nõ Angelum illũ, sed seipsum manifestare voluit Mosi: & verba illa nõ Angelũ repræsentabant, sed Deum. Rectè igitur Moses precatus est benedictionẽ eius qui sibi apparuit, nempe Dei, qui tunc sibi principaliter apparuerat. Quanquã non temerè dici potest, etiã illius Angeli precatũ esse benedictionẽ. Si enim benedictio sanctorũ virorũ religiosè expetitur, quãtò magis Angeli? Iacob certè duobus suis nepotibus Ephraim, & Manasse, benedictionem non Dei solùm, verum etiam Angeli precatus est, dicens: *Deus qui pascit me ab adolescentia mea, & Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* *Genes. 48.* Quin etiam gratiam, & pacẽ ab Angelo, precatus est ijs, ad quos scribebat B. Iohannes dicens: *Apocal. c. 1.* *Gratia vobis & pax ab eo Qui est, & Qui erat, & Qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.*

Si quis porrò de me quærat, quẽ ego putem fuisse eum Angelum, qui in rubo locutus est Mosi: 28. *Quis Angelorũ fuerit, q appa-ruit Mosi.* equidem respondere m, mihi verisimile admodũ fieri, eum fuisse Archangelũ Michaelem, qui & in rubo apparuit Mosi, & postea in monte Sinai; *Exodi 19.* idemq; apparuit Iosue, cũ introducturus erat Hebræũ populũ in terrã promissionis. *Iosue 5.* Ad id opinandũ hac ducor ratione. Apparitiones illæ factæ Mosi, & Iosue, non priuatim ad illas tantum personas pertinebant, sed ad publicam curam, & gubernationem, salutemq; Hebræi populi, cui summo cum imperio præsidebant illi. Consentaneum igitur fuit, eas apparitiones fieri per eum Angelum, qui præsidebat Hebræo populo, præcipuã eius curã à Deo sibi demandatam gerens: talem autem fuisse constat Michaelem, vt quem Scriptura prędicat custodem & defensorem, & protectorem Hebræi populi. Nimirum is vocatur princeps Hebræi populi, Danielis 10. & c. 12. *Daniel. 10 & 12.* dicitur esse magnus princeps, & stare pro filijs populi Hebræi: vbi illud (stare) secundũ phrasim Hebraicã, significat pugnare, vel propugnare pro populo Hebræo: Et in libro Iosue c. 5. ipsemet

vocat se principem exercitus Domini. Si plura super hac re, de qua nunc disputauimus, nosse cupit Lector, adeat tom. 4. Commentariorum nostrorum in Genesim: in quo super capite 32. reperiet amplissimam de hac re disputationem, quæ est in numero disputationum in illud caput prima.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Cur Moses à Deo iussus fuerit soluere calceamenta sua, propter sanctitatem loci in quo erat.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 3. Ne appropies, inquit, huc: solue calceamenta de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est.

29. THEODORETVS aliquot eius rei exponit rationes. Ponit enim hanc quæstionem, quę est septima quęstionum eius in Exodum: *Theodoret.* Quare iussus est Moses calceamentũ soluere? Cui hoc modo respondet. Dicunt nonnulli ea re significasse Deũ, vt solicitudines seculares abijceret, huic mortali vitæ adhærentes. Nã pelles vnde cõficiuntur calceamenta, mortuorũ animaliũ sunt. Alij verò dicũt, id fuisse imperatũ Mosi, vt nuditate pedũ suorũ sanctificaret terrã illam. Quod mihi non probatur. Moses enim tunc necdũ Põtifex, neque Propheta creatus fuerat: & Deus locũ illum per suã præsentiã iam sanctificauerat, ideoq; terrã illã sanctã esse dixerat. Non igitur Moses nuditate pedum suorum sanctificaturus erat locum illum. Duo igitur arbitror per hoc significari: primũ quidẽ, vt religiosiorem hac ratione Mosem redderet: deinde verò, vt prædoceret eum, qua ratione oporteret sacerdotes in tabernaculo deseruire: nudis enim pedibus, illi sacrificia diuina peragebant. Hæc Theodoretus.

Sed nos propositæ quæstionis rationes & causas tã litterales, quã mysticas, diligẽtius inquiramus, & subtilius excutiamus. Prima ratio est planè litteralis. *Prima ratio.* Quod tũc Deus imperauit Mosi de soluendo calceamentum, idem post quadraginta annos facere iussit Iosue in ipso ingressu in terram promissionis. Quoniam autem Moses tunc audacter, curiosèq; ac parum religiosè, ad scrutandum illius apparitionis miraculum, & mysterium propius vellet accedere, prohibitus est vlterius progredi, iussusq; calceamentum exuere; vt vel ex eo intelligeret excellentiam diuinæ Maiestatis, quę ibi præsentiam suam declarabat, & cum ea contendens atque comparans humilitatem, & vilitatem suæ conditionis, ingẽti submissione animi, & reuerentia, ac religione ad percipiendum oraculum accederet. Si autem Moses & Iosue, tales & tanti viri, hac cęremonia externa ad maiorem erga Deum venerationem & religionem excitandi & promouendi fuerunt; quis non Hæreticorum nostri temporis rideat amentiam, atq; impietatem execretur? qui omnes externas cæremonias Ecclesiasticas, à sanctissimis Patribus traditas, & ab ipsis vsque religionis nostræ cunabulis vsq; adhuc cõseruatas, & ad eruditionẽ & promotionem pietatis Christianæ plurimum cõducentes, impudenter irrident, impiè repudiãt, & profligare, atq; è medio tollere conantur? B. Ambro. lib. 7. Cõmentariorum super Lucã, in caput eius 10. *B. Ambro.* annotauit, calceamenta fieri ex pellibus *Secũda ratio.* animaliũ mortuorũ; depositionẽ igitur calceamentorũ significasse Mosi, vt deposito mortis metu, fidenter aggrederetur ad munus liberãdi populi Hebræi, quod ei tunc Deus volebat iniungere. Aggressus quidẽ fuerat Moses ante an- *Exodi 2.* nos quadraginta defendere Hebręos ab iniuriis Aegyptiorũ, ob idq; Aegyptiũ occiderat: verùm mortis timore, non solùm incepto destitit, sed quamprimum fugit ex Aegypto in terram Madian.

Deinde depositio calceamentorum 31. significabat, futuro duci & doctori po- *Tertia ratio.* puli Dei, omnes negociationes atq; solicitudines & curas seculares, à tali officio alienas, etsi mortali vitæ adhærẽtes, esse prorsus abijciendas. Consimili profectò cæremonia Christus Dominus la- *Ioan. 13.* uando pedes discipulorum suorũ, præparauit eos ad dignam & fructuosam

Eucha-

Eucharistiæ perceptionem, denotando ea re purificationem affectuum interiorum, & secularium cupiditatum, atque curarum abiectionem. Ad hæc, significabatur, non esse accedendum ad contemplationem diuinorum mysteriorum cum calceamentis: Id autem est, cum illis regulis & axiomatibus Philosophorum, quibus res creatæ examinari ab illis, & æstimari solent. Rectè enim monet nos Sapiens, Ecclesiastici 3. *In pluribus operibus Dei ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis: plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi*. Et in libro Prouerbiorum verè scriptum est: *Scrutator Maiestatis, opprimetur à gloria*. B. Cyprianus in libro 2. aduersus Iudæos numero 19. & Ambrosius in libro de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 4. putant idcirco Mosem esse iussum deponere calceamenta, ne quia futurus erat populi Dei liberator & legislator, & gubernator, ad Ecclesiam Dei, quæ per rubum significabatur, quasi sponsus eius accederet, sed Christo, vero eius sponso cedens, calceamentum deponeret. Mos enim fuit apud Iudæos, vt si quis sine liberis moreretur, qui ei propinquior erat cognatione, duceret eius vxorem. Si nollet, & ius suum concederet alteri, debebat calceamentum sibi detrahere, in signum, & testimonium eiusmodi cessionis, vt declaratur Deuteronomij 25. & Ruth 4. Postremò Dominus iussit Hebræos calceatos comedere agnum Paschalem, Exodi 12. ad repræsentandam videlicet festinationem discessus eorum ex Aegypto: è contrario igitur deponere calceamenta, significat quietem & commorationem. Quapropter Moses iussus est ponere calceamenta, vt animo quieto & tranquillo accederet ad oraculum Dei accipiendum; & ad verba Dei non festinanter, sed attentè considerandа & pensitanda.

Quarta ratio. — *Locus Ecclesiast. 3. & Prouer. 25.* — *Quinta ratio.* — *B. Cyprian.* — *S. Ambro.* — *Sexta ratio*

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat respicere Moyses contra Deum. *Versu 6.*

SVPER hisce verbis tres quæstiones in præsenti disputatione sunt explicandæ: quarum prima, hæc est: cur Deus præcipuè appellet se Deum Abraham, Isaac & Iacob? Nam si propter singularem eorum sanctitatē, cur non similiter dictus est Deus Abel, Mosis & Noë? Respondemus, plures afferi posse satis idoneas eius rei causas. Principio, illis tribus Patriarchis propriè Deus promiserat possessionem terræ Chanaan, eorum posteris tradendā: in quam terram tunc volebat introducere populum Hebræum, Aegyptiaca seruitute per Mosem liberandum. Deinde, quia tres illi fuerunt præcipui auctores & conditores Hebræi populi: & in ipsis ac per ipsos Dei populus segregatus est ab infidelibus. Tum quia, tribus illis Deus sæpenumero, & admodum familiariter apparuerat, & consilia sua his patefecerat, multaque ac singularia in eos beneficia liberalissimè contulerat; non solum ipsis benefaciendo, verùm etiam se posteris eorum benignè facturum promittendo. Adhæc, propter eximias & per insignes illorum triū virorum virtutes: in quolibet enim eorum virtutes quædam singulariter enituerunt. In Abraham quidem, fides & obedientia: in Isaac, puritas animi & innocentia: in Iacob, admirabilis patientia, & constantia. Atque has ob causas Hebræi tres istos omnium maximè venerabantur, & colebant: cumque vel placare Deum, vel exorare eum aliquid volebant, horum memoriā, auctoritatem, & merita Deo proponebant: idq; propter vaticinium Iacob, quod paulò ante 32.

Cur Deus præcipue dictus sit Deus Abraham, Isaac, et Iacob, sex rationes.

ante suam mortem edidit, Genes. 48. dicens: *Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrũ meorum, Abraham & Isaac.* Apud Danielem quidem c. 3. quilibet istorum trium proprio insignitur et ornatur epitheto. Azarias enim, vnus è tribus iuuenibus Hebræis, à Nabuchodonosor in ardentem coniectis fornacẽ, sic orauit Deum: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum & Israel*
Matth. 8. *sanctum tuum.* Christus quoq; Dominus in Euãgelio fore dixit, vt multi ex Oriẽte & Occidente venientes, recumbant in regno Dei cum Abraham, Isaac & Iacob. Postremò, in his tribus multa elucent, quæ ad Messiam pertinent. Siquidem Abraham promissum est in semine eius (hoc est, in Christo) benedicẽdas esse omnes gentes. Et Isaac mirabiliter ge
Genes. 21. nitus est ex parente sterili, sicut Christus ex virgine: & obediẽs patri suo portauit humeris suis ligna, quibus ipse sacrifica-
Infrà 22. retur in monte. Iacob item missus est in
Infrà 27. alienam & longinquam terram, vt inde vxorem duceret: duas autem vxores duxit, multis & magnis laboribus ac sudo-
Infrà 29. ribus suis sibi comparatas. Idemq; morti proximus, nobilissimum illud edidit oraculum de tempore aduentus Messiæ:
Infrà 49. *Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mitten*
Genes. 17. *dus est: & ipse erit expectatio Gentium.* De-
Infrà 21. nique nomen Abrahæ, significans patrẽ
Infrà 27. multarum gentium, et nomen Isaac significans risum, siue gaudium, nomenque Iacob significans supplantatorem, & nomen Israël significans fortem cum Deo; hæc, inquã, nomina verissimè, atq; aptissimè quadrant in Christũ Dominum.

33. Altera quæstio est, cur in supradictis
Cur ter in verbis, ter nomen Dei repetitur, nimirũ
illis verbis in appellatione cuiuslibet illorũ trium
repetitũ sit patrum: dicitur enim: *Deus Abraham,*
nomẽ Dei. *Deus Isaac, & Deus Iacob.* An quia nomẽ Dei significat prouisorem, & benefactorem, & protectorem? Deus autem singularem quandam & propriam erga quemlibet illorum trium prouidentiã, curam, & benignitatem suam ostẽderat, propria cuiq; eorum, & eximia tribuẽdo beneficia? An, vt ea ratione adumbratẽ demonstraretur mysterium sanctissimæ Trinitatis: nam vnum nomen Dei ter in tribus illis personis repetitum, insinuabat Dei Essentiam tribus personis diuinis communicatam? Et Abraham qui *Hebr. 11.*
dem rep æsentabat Deum Patrem quòd primus fuerit pater fidei appellatus; & filium suum vnigenitũ paratus & prom *Genes. 22.*
ptus fuerit immolare. Isaac verò, ligna gestans humeris suis, quibus immolaretur, typum gessit Christi, qui factus Pa- *Philip. 2.*
tri obediens vsque ad mortem crucis, suis ipse crucẽ gestauit humeris, in qua pro salute mundi est immolatus. Iacob porrò procedẽs ab Abraham per Isaac, significabat Spiritum sanctum ex Patre per Filium & ex Filio procedentem.

Tertia quæstio est, cur Moses, ista ver- 34.
ba Deum loquentem cum audisset, conti *Cur Moses,*
nuò absconderit faciem suam. Sic enim *loquente*
ait Scriptura: *Abscondit Moyses faciem Deo, abscon*
suam; non enim audebat respicere contra dit faciem
Deum. Respondeo, multas ob causas so *suam.*
litos esse homines faciem suam aut etiã seipsos abscondere. Primum, timoris causa: Adam enim, vt legitur Genes. 3. *Quinque*
conscius peccati sui, audiens Dei vocẽ, *causæ, ob*
abscondit se. Huc spectat illud: *Dicent quas facies*
montibus: Cadite super nos; & collibus, ope- abscõditur.
rite nos. Tum pudoris ac verecundię cau- *Luca 23.*
sa: quomodo Rebecca, vbi à longè vidit *Esaia 2.*
Isaac sponsum suum, continuò vultum *Apocal. 6.*
operuit. Deinde, præ singulari quadam *Genes. 24.*
obseruantia & reuerentia: quemadmodum in 3 libro Regum, cap 19 legimus, cum Deus se manifestasset Eliç, ipsum cõtinuò vultum suum operuisse. Præterea, solet abscondi facies ob nimium fulgorem, & aspicientium oculis intolerandum: hanc enim ob causam Moses, cum ex diutino consortio cum Deo, radiantem ac præfulgentem ferret faciẽ, quam Hebræi intueri non audebant; ipse operiebat velamine faciem suam, cũ ad eos loqui volebat, vt scriptum est in 34. cap. Exodi. Ad extremum, abscondere faciẽ suam ab aliquo, est deserere illũ, nõ velle benefacere illi: cuius rei extat luculentum exemplum in 31. cap. Deuteron. *Et irascetur, inquit, furor meus Locus Deu*
contra eum in die illo, & derelinquam eum, teronomy
& abscondam faciem meam ab eo: & erit in 31. & Isa-
deuorationem: & inuenient eum omnia ma- ia 64.
la & afflictiones, ita vt dicat in illo die: ve
rè, quia non est Deus mecum, inuenerunt me
hæc mala. Ego autem abscondam, & celabo
faciem

faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, & secutus est Deos alienos: & Apud Isaiā: *Abscondisti faciē tuā à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.*

35. Moses itaq; partim ob illud prodigiū igne flagrātis rubi, nō tamē cōbusti, partim ob Dei vocē ex ipso tubo editā, ingenti pauore correptus, summaq; afflatus, & affectus reuerētia præsentis numinis, cōtinuò faciē suā abscondit. Nec illud nō est obseruatione dignū, quod Moses vbi audiuit Deū dicentē sibi: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob,* statim vultū operuit: nihil est enim quod magis nos pudore afficere possit, quàm si insigniū sanctitate virorū, qui in vita spirituali quasi Maiores, & Patres nostri haberi debēt, eximias virtutes, & præclara facta intueamur, & cū animo nostro reputemus: atq; vitā, & mores, & opera nostra cū illis comparemus. Illud præterea notabile quoddā habet documentū, quod Moses in loco illo, quē Dominus vocauit Terrā sanctā, nudis fuit pedibus & facie abscōdita. Viri namq; Ecclesiastici, qui in Ecclesia Christi, quę verè Terra sancta est, cū aliqua potestate, aut munere, aut ministerio versantur, nudis debēt esse pedibus, & operto vultu; id autē est, affectus animi nudos purosq; ab immoderatis rerū terrenarū cupiditatibus & curis habere: at verò erga Sacramēta Ecclesiæ, & Dei cultū & verbū Dei, quarū rerū ipsi sunt administratores, operto debent esse vultu, id est, procul abiecta omni curiositate, vanitate, et temeritate, summa cū reuerētia & religione, diuina tractare; & à rebus mundanis vultū abscondere; nec ea videre, nec se ab alijs videri & coli & honorari prę ceteris velle.

Documēta moralia.

NONA DISPVTATIO.

Super eiusdem sententiæ citatione, qua vsus est Saluator noster, ad probandum resurrectionem mortuorum contra Sadducæos.

36. DOMINVS noster Matth. 22. Marci 12. & Luc. 20. ex hisce verbis Dei: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob,* redarguit Sadducæos negantes futuram mortuorū resurrectionē: sic enim dixit eis, vt refert Matthæus, cap. 22. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et audientes turbæ, mirabantur super doctrina eius. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, etc.* Hinc patet, Sadducæos hoc testimonio Scripturæ à Christo conuictos obmutuisse. Eandem Domini sententiam ita refert Lucas: *Quia verò resurgunt mortui, & Moses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim viuūt ei. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interrogare.* Ergo Domini argumētatio ex hoc loco Exodi deprompta, Pharisæis et Scribis, nempe doctissimis Iudæorū, summa & optima est visa. Super hac porrò Domini cōtra Sadducæos, ex hac sententia Exodi, argumētatione, duplex quæstio existit: altera, si talis argumētatio est omnino valida & necessaria, in quo potissimū eius vis & robur sit positū: Altera quæstio est, cur ad probandū resurrectionē mortuorum, hoc Exodi loco potius vti voluerit Dominus, quàm alijs Scripturæ locis ad id persuadendū apertioribus, magisque accommodatis.

Locus Math. 22. Marci 12. & Luc. 20.

S. Hieronymus in Cōmentarijs suis super caput 22. Matthæi, argumentationem illā Domini ex hoc loco Exodi cōtra Sadducæos tractans & perpendens, duas superiores quæstiones breuissimè soluit. Nā priori respōdet, ex hoc loco Exodi euidēter cōcludi animas hominū viuere post interitū corporis: & quia Sadducęi propterea negabāt resurrectionē mortuorū, quòd putarēt animas hominū vnà cū corporibus interire: idcirco probādo cōtra eos immortalitatē animorū, pariter etiā probatur resurrectio mortuorū. Posteriori autē quæstioni respōdet, Sadducæos, nullos Scripturæ libros recepisse, nisi quinq; solos Mosis libros: quocirca præter rē fuisset, alia Scripturæ testimonia cōtra ipsos afferre. Verba S. Hieronymi sunt huiusmodi: Ad cōprobandā resurrectionis veritatē, multis 37.

alijs

alijs manifestioribus exẽplis vti potuit Dominus, è quibus est illud Isa. 26. *Excitabuntur mortui, & resurgent qui in sepulchris sunt*. Et Daniel. 12 *Multi dormientium de terra puluere consurgent, alij in vitam, & alij in opprobrium, & confusionem æternam*. Quæritur itaq; cur voluerit Dñs hoc proferre testimonium, quod videtur ambiguum, & non satis ad resurrectionis pertinens veritatẽ: & quasi eo probato, probasset quod volebat, statim intulit: *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*. Cuius rei mysterium etiam circumstãtes turbæ cognoscentes, admiratæ sunt de doctrina, & respõsis ipsius. Supra diximus, Sadducæos, nec Angelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confitentes, animarum quoq; interitũ prædicasse. Hi quinq; tantùm libros Mosis recipiebant, Prophetarum vaticinia respuentes. Stultum ergo fuisset, inde proferre testimonia, vbi auctoritatẽ non sequebantur. Porrò ad æternitatem animarũ probandam, de Mose ponit exemplum: *Ego sum Deus Abrahã, et Deus Isaac, & Deus Iacob*: statimq; infert: *Non est mortuorum Deus, sed viuentium*: vt cum probauerit animas permanere post mortem (nec enim poterat fieri, vt eorum esset Deus, qui nequaquàm subsisterent) consequenter introduceretur & resurrectio corporum, quæ cum animabus bona maláue gesserunt. Hunc locũ plenius in extrema parte primæ epistolæ ad Corinthios Paulus Apostolus exequitur. Hactenus ex Sancto Hieronymo.

38. *Auctoris explicatio superiorum quæstionũ.* Sed nos superiores duas quæstiones paulò fusius & distinctius, atq; enucleatius tractemus. Ac prioris quidem in eo vertitur difficultas, quòd ex hoc loco Exodi non videtur aliud posse concludi, nisi Abraham, Isaac, & Iacob, tunc viuere secundum animas suas; quod autem iterum vnà cum corporibus illi resurrecturi essent, non videtur ex eo loco posse concludi. Multi enim Philosophorum censuerunt, animos hominum esse immortales: nec tamen futuram putarunt resurrectionem hominum; talem præsertim, qualem sacra doctrina & fides Catholica tradit. Ego triplicem, præcipuè *Triplex responsum ad superiorem quæstionẽ.* spectandam cõsiderandamq; rationem, nodum hunc exoluendi apud auctores reperio. Primùm enim respondetur, ex hoc loco Exodi tantum immediatè atq; euidenter ostendi, animas hominũ viuere post mortem. Non enim dixit Deus: *Primum responsum.* Ego fui Deus Abrahã, & Isaac, & Iacob; quasi qui olim quidem fuissent, tunc aũt non essent: sed dixit: *Ego sum Deus Abraham & Isaac, & Iacob*, haud dubiè significans, tunc etiam viuere ipsos & existere. Nomen item Dei significat prouisorem & gubernatorem; non potest autem esse prouisor & gubernator mortuorũ, prout mortui sunt: quo circa adiecit Christus Dominus illud: *Non est autem Deus mortuorum, sed viuorum*. Adijce, q̃ esse Deum alicuius, est ab eo tãquam Deum cognosci, coli & prædicari; quod ab eo, qui nullo modo est, haud quaquam fieri potest. Probatur igitur ex hoc loco Exodi immediatè, directeque, atque euidenter animas hominum, interitu corporũ non perire, sed morti superesse. Resurrectio autem mortuorum, inde probatur non simpliciter & absolutè, sed (vt in scholis loquuntur) ad hominem, id est, contra Sadducæos, qui propterea possibilem negabant resurrectionẽ, quod putarent animas hominum esse mortales, non secus quàm brutorũ: imo nec Angelos, nec spiritus vllos esse dicebãt. De illis enim ita scriptum est Actor. 23. *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum: Pharisæi autem vtraque confitentur*, super qua re vide plura apud Iosephum lib. 2. de bello Iudaico, cap. 7. *Locus Act. cap. 23.* Si ergo Sadducæi propter falsam opinionem, quam de mortalitate animorum habebant, negabant resurrectionem; *Iosephus.* probata immortalitate animorum, necessariò etiam contra ipsos probabatur hominum resurrectio. Et huiusmodi quidem responsum tradit Beatus Hieronymus, vt ex verbis eius supra positis perspicuum est.

39. Idem quoque sentit & tradit Caietanus in expositione supradicti loci Math. 22. nam tractans illa verba Christi: *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*. Non dixit Christus (ait Caietanus) *Non est Dominus mortuorum*: *Caietanus.* quia verè est Dominus & viuẽtiũ, & mortuorũ: sed dixit; *Non est Deus mortuorum*: quia esse Deum aliquorum, est coli, haberi, æstimarique Deum ab illis. Constat autem, mortuorum, quatenus mortui sunt, nullum esse

F Deum:

Deum: quia sunt sine sensu, & sine intellectu, & sine æstimatione. Rectè igitur Dominus ex auctoritate illa Exodi conuicit Sadducæos, quod illorum Patriarcharum spiritus viuerent tunc, cum Deus ea verba Mosi locutus est, appellans eorum animas, nominibus ipsorum, more videlicet Scripturæ, per synecdochē, partem pro toto ponendo: præcipuè, quia anima est quodammodo totū, quod est homo; vt pote non solū præcipua essentiæ pars, sed ratio omnis vitæ & operum hominis. Verùm occurrit dubitatio: ex illa enim auctoritate Exodi licet conuincantur Sadducæi, animas hominum viuere post mortem eorum: non tamen apparet, quomodo hinc habeatur resurrectio mortuorum, ad quam tamen comprobandam Dominus Scripturam illam Exodi adduxit, dicens: *De resurrectione autem mortuorum non legistis*, *&c.* Ad hoc respondetur primo, illam auctoritatem afferri ad hominem, videlicet cōtra Sadducæos: quia radix negandi resurrectionem erat, quod illi putarent interire animas simul cum corpore: vnde euellendo hanc radicem, conuincit ipsos de resurrectione. Secundò respondetur, quòd licet immortalitas animæ, nō conuincat Philosophos, quod futura sit resurrectio mortuorum; conuincit tamen cultores Dei expectantes cœlestis patriæ beatitudinem perfectam: quia non haberent perfectam beatitudinem animæ, nisi animæ vnitæ corporibus bearentur: maneret enim pars separata semper à suo toto; vnde in Apocalypsi, acceptis singulis stolis, clamāt expectādo corpora sua. Et propter hanc rationem Scriptura ista continet non solùm animas mortuorum viuentes, sed animas colentes Deum, dicendo: *Ego sum Deus Abrahā, Deus Isaac, & Deus Iacob, &c.* vt ex ipso cultu, resurrectionis fides, quæ ex vita animarū initium habet, compleatur. Hæc Caietan.

Apocaly. 6.

40. *Secundum responsum.* Altera quæstionem explicandi ratio, huiusmodi est. Licet argumentatio Christi Domini immediatè tantùm concludat immortalitatem animorum; naturali tamen & necessaria consequentia, non solùm contra Sadducæos, verùm etiam simpliciter & absolutè demonstrat futuram aliquando mortuorum resurrectionem. Etenim cum anima rationalis, sit pars essentialis hominis, & naturalis forma corporis; coniunctio eius cum corpore, est planè naturalis; dissociatio autem eius, & separatio à corpore, est violenta, & præter naturam; quamobrem, omnium terribilium maximè terribile esse mortem, scitè dictum est ab Aristotele. Atqui status & dispositio rei præter naturam, & violenta, non potest auctore Aristotele, esse perpetua: necesse igitur est, animos hominum aliquando iterum iungi & consociari cum corporibus suis, Beatus Tho. in lib. 4. contra Gentes, cap. 79. ait, hanc rationem esse euidentem ad probandum futuram aliquando resurrectionem corporū nostrorum. Deinde coniunctio animę cum corpore, pertinet ad completam & consummatam animæ felicitatem: quocirca anima seiugata à corpore, semper naturali appetitu cupit denuò iungi cum corpore suo. Idcirco B. Ioannes in Apocal. c. 6. vidit animas Sanctorum stolis albis beatitudinis indutas, ardenter expetere ac postulare à Deo gloriā corporis, quæ ipsis deerat. Talis porrò appetitus animæ, cum sit naturalis, & pertineat ad cōpletam eius perfectionē & felicitatem, non potest esse inanis, nec frustrari: explebitur igitur aliquādo, animis iterum cum suis corporibus copulatis, quod fiet in Resurrectione mortuorum.

Aristo. lib. 4. Ethic.

41. Adhæc, homo, vt homo est, ex corpore atque animo constitutus, habet vltimum aliquem finem, & supremum bonum, & beatitudinem suā; qui sit etiam principalis finis, & perfectio partium eius; neq; enim hominem, cum sit longè præstantior alijs omnibus rebus naturalibus, in hoc deterioris esse conditionis conuenit. Istiusmodi porrò finis vltimus hominis, non potest acquiri in hac vita, esset enim temporaneus, ob idque non posset esse vltimus finis animæ rationalis, quæ principalis est hominis pars, & est immortalis: necessum igitur est, hominem vt homo est, post hanc vitam habere finem vltimum, & consummatam beatitudinem: cuius participatio non solùm in anima fit, verùm etiam in corpus redundet. Hoc præterea deposcit ratio diuinæ prouidentiæ, atque æquitas diuinæ iustitiæ; vt pro bene vel male factis, quæ homines vnà cum corpore patrarunt,

trarunt, reddantur itidem illis à Deo simul cum corpore vel præmia vel supplicia. Nam si animus societate ac ministerio corporis ad bene vel male agendum vsus est; rectum & consentaneum profectò est, vt simul etiã corpus ipsum vel gloriæ, vel pœnæ socium ac participeps habeat. Iam verò quàm sit animorum immortalitati necessariò cohærens & consequens corporum resurrectio, satis declarauit Auctor posterioris libri Machabæorum. Nam cum in eius libri capite 12. narrasset, Iudam misisse Hierosolymam duodecim millia drachmarum argenti, vt sacrificium Deo fieret pro Iudæis, qui occubuerant in bello, subdit hæc verba: *Benè & religiosè cogitans de resurrectione: nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* At enim, diceret quispiam, cur superfluum & vanum? nonne talis oratio & sacrificium profuisset animabus mortuorum, etiamsi mortui non resurgerent? Videlicet tanta est connexio & consequentia inter animorum immortalitatem atque corporum resurrectionem, vt vno sublato, alterum quoque tollatur: & vno posito, alterum etiam poni necesse sit. Atque hoc etiam quasi per nebulã aspexisse philosophi videntur. Qui enim apertè fecerunt animos hominum immortales, quandam etiam induxerunt velut vmbram resurrectionis, remigrationem nempe animorum ad corpora, quæ fuit Pythagoricorum & Platonicorum opinio: tanquam fieri non posse arbitrantes, vt post mortem hominis, anima semper esset separata à corpore. Ob hanc item causam, & propter hunc tacitum resurrectionis sensum animis hominum naturaliter inditum, apud omnes gentes, omniq́ue æuo, præsertim autem apud homines cultioris ingenij & vitæ, magisq́ue secundum rationem viuentes, tantum viguit studium & cura sepulturæ corporis. Hæc sanè fides & spes resurrectionis, tam solicitos fecit & anxios de sepultura corporum suorum priscos illos Patriarchas Abrahamum, Iacob, & Ioseph.

Locus 2. libri Machabæorũ c. 12.

42. Tertius modus eandẽ expediendi difficultatem sic se habet: Christus Dominus ex illis verbis Exodi, immediatè probauit resurrectionem mortuorum, & non tãtùm immortalitatem animorum. Cum enim Deus dixerit, se Deum esse Abraham, Isaac & Iacob; hæc verò nomina non significent tantùm animas, sed totos homines, & coniunctum ipsum ex corpore & anima; necesse est dicere, illos Patriarchas, licet alijs hominibus essent mortui, Deo tamen viuere, & quodammodo dormire; propter definitum scilicet consilium & propositum eius, breui excitandi eos à morte, tanquam à somno. Ad hanc enim sententiam Christus Dominus dixit, filiam Archisynagogi, quæ fuerat mortua, non fuisse mortuam, sed dormire. Quocirca Dominus adiunxit (vt refert Lucas cap 20.) postquam dixerat: *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*, adiunxit, inquam, illud, *omnes enim viuunt illi*. Viuunt igitur illi Patriarchæ ipsi Deo, & apud Deũ habentur quasi dormientes: ex quo sequitur, eos aliquando excitatum iri a morte tanquam à somno. Ad hunc intellectum interpretatus videtur eum locum Irenæus libro 4. ca. 11. ita scribens: Si Deus mortuorum non est, sed viuorum: hic autem dormientium patrum Deus dictus est, indubitatè viuunt Deo, & non perierunt, cum sint filij resurrectionis. Sic ille. Eodem item sensu locum eundem, intellexit sanctus Chrysostomus super 22. caput Matthæi, his verbis scribens: Quemadmodum Adam, quamuis viueret, posteaquam de vetito ligno comedit, sententia tamen à Deo prolata, iam mortuus erat: sic profectò illi Patriarchę tametsi mortui erant, diuina tamen pollicitatione resurrectionis viuebant. Hæc Chrysostomus: cuius sententiæ adstipulatores sunt Theophylactus & Euthymius. Verùm super priori quęstione hactenus satis disputatum est.

Tertium responsum.

S. Irenæus.

S. Chrysost. Theophyl. Euthym. Genes. 2.

43. Altera quæstio erat, cur Dominus hoc loco Exodi ad probandum resurrectionem vsus fuerit potius, quàm alijs Scripturæ locis, ad id ostendendum apertioribus, & validioribus ad persuadendum. Nam vt alios omittam locos à B. Hieronymo citatos, & à nobis suprà memoratos, Iob certè clarissimum futuræ mortuorum resurrectioni testimonium perhibuit. Audi Beatum Hieronymum de S. Iob his verbis in Prologo Galeato scriben-

Cur Dominus ad probandũ Resurrectionẽ hoc Exodi loco potius quàm alijs Scripturæ locis vti voluerit.

scribentem: Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone cōplectitur? Et (vt de cæteris sileam) resurrectionem corporum sic prophet it, vt nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit: Scio, inquit, *quod Redēptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea; & in carne mea videbo Deū meū; quē visurus sum ego ipse, & oculi mei cōspecturi sunt, & nō alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Huius quæstionis duplex est responsum: alterum à Beato Hieronymo traditum; Sadducæos, solos quinque libros Mosis pro canonicis & sacris recepisse: quapropter testimonia aliorum librorū nihil ad eos euincendos valuissent. Alterum responsum, est huiusmodi. Sadducæi conati sunt auctoritate Mosis fidem resurrectionis illudere ac destruere, vt referunt Matthæus & Lucas suprà citatis locis: conueniens igitur fuit, eiusdem Mosis auctoritate & testimonio, inscitiæ ipsos arguere, & fidem resurrectionis confirmare. Sed enim cum etiam alibi in libris Mosis appelletur Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, cur potius ex hoc loco Exodi eam sententiam protulit Dominus? An quia tunc primùm legitur Deus appellasse se Deum Abraham, Isaac, & Iacob? nec solum appellasse, sed adiunxisse; *Hoc nomen mihi est in æternum & hoc memoriale meum in generationem & generationem?* An quia tunc primum Deus apparuit Mosi, eumque misit ad liberandum populum Hebræum, in quo verè declarauit se esse Deum illorum Patriarcharum, & seruasse fœdus, quod cum illis pepigerat pro ipsorum posteritate? An potius, quod eiusmodi appellationem, perquam insignem ac memorabilem fecit, prodigium illud rubi ardentis & non combusti, in quo Deus illam sententiam pronuntiauit?

Locus Iob cap. 19.

DECIMA DISPVTATIO.

De amplitudine terræ promissionis, & numero gentium, quæ ante Hebræos illam terram habitabant.

SVPER ILLIS VERBIS.

Descendi vt liberem eum (populum Hebræum) & educam de terra illa, in terram bonam & spatiosam, in terram quę fluit lacte & melle; ad loca Chananæi, & Hethęi, & Amorrhęi, & Phærezæi, & Heuęi, & Iebusęi. *Versu 8.*

44. QVæritur, quomodo terra promissionis dicatur spatiosa, cum fuerit perangusta. Et certè Hieron. in epistola 129. quam scripsit ad Dardanum, exiguis admodum regionibus atq; finibus circumscripsit terrā promissionis, assignans ei centum sexaginta milliaria lōgitudinis, qua videlicet à Dā ad vsq; Bersabee porrecta erat: Latitudinis verò, qua ab Ioppe maritima vrbe, vsque ad Bethleem, non extendebatur amplius q̃ ad quadraginta sex milliaria; vlteriora em̃, inculta, & inhabitata erāt: ex quo apparet, terram illam minorem fuisse regno Neapolitano. Verba S. Hieron. sunt huiusmodi: Respōdeant mihi, qui hanc terram (quæ nunc nobis Christi passione & resurrectione, terra repromissionis effecta est,) possessam putant à populo Iudæorum, postquam reuersus est ex Aegypto, quantam possederit; vtique à Dan vsque Bersabee, quæ vix centum sexaginta milliarium in longum spatio tenditur. Neque enim Dauid & Salomon potentissimos reges, exceptis ijs, quos post victoriā in amicitiam receperunt, plus tenuisse Scriptura testatur. Et hoc dico, vt taceam quinque Palæstinæ ciuitates, Gazā, Ascalonē, Geth, Accaron, & Azotum; Idumæos quoq; à meridiana plaga vix septuaginta quinq; millibus ab Hierosolyma separatos: Arabas itē & Agarenos, quos vocamus nunc Saracenos, in vicinia vrbis Hierusalē. Pudet dicere latitudinē terræ promissionis; ne Ethnicis occasionē blasphemādi dedisse videamur: Ab Ioppe vsque ad viculum nostrum Bethlehem, quadraginta sex millia sūt; cui succedit vastissima solitudo,

De amplitudine terræ promissionis.

S. Hieronymus.

litudo, plena ferocium bestiarum. Hæc Sanctus Hieronymus.

45. *Hecatæus apud Iosephum.* Hecatæus autem Abderita, vt refert Iosephus priore libro contra Apionem, vir philosophus, & circa actiones industrius, cum Alexandro Magno nutritus, & cum Ptolemæo Lagi cõmoratus, non obiter, sed integrum de ipsis Iudæis conscripsit librum. Idemque vir & magnitudinem prouinciæ, quam incolunt Iudæi, pulchritudinemq; narrauit, his verbis: Penè decies trecenta millia iugera terrarum optimarum, vberrimæ prouinciæ possidere noscuntur: Iudæa namque huius est amplitudinis. Sic ille. Est autem iugerum, spatium terræ, quantum vno die arari potest vno iugo boũ: &, longitudo eius, est ducentorum quadraginta pedum; latitudo, centum viginti. Quomodo igitur terra Chanaan hîc vocatur spatiosa? Nempe, non absolutè, sed comparatione terræ Gessen, quam tunc in Aegypto habitabant Hebræi: cui comparata terra Chanaan, erat amplissima, & spatiosissima. Hoc autem ex supradictis Scripturæ verbis intelligere licet, cùm ait: *Vt educam de terra illa in terram spatiosam*: ergo respectu illius terræ, quã tunc incolebant Hebræi, terra promissionis, in quam transferre eos volebat Dominus, appellatur spatiosa. Terram autem promissionis fuisse amplè capacem gentis Hebrææ, & quantum ad victum, & quantum ad habitationem, clarissimo est indicio, quòd ante ipsos, eam terram commodissimè coluerunt septem gentes, multò numerosiores, quàm erat gens Hebræa, vt scriptum est in Deuteronomio. Nec postquam Hebræi eam tenuerunt, etiam cùm maximè sunt multiplicati, de angustijs eius terræ sunt cõquesti; aut de prolatandis finibus ditionis, quærendisq; nouis sedibus, vel habitationis, vel victus causa vnquam egerunt. Quanquam si aliquando ita essent propagati, vt eos terra illa commodè nõ posset capere vel alere, promiserat Deus eis, amplificaturum se ditionem eorum vsque ad Euphratem, vt legitur Gen. 15. dummodo illi in cultu Dei, & legis eius obseruantia permanerẽt. Quod Dei promissum quadamtenus, temporibus Dauidis & Salomonis completum est: quibus regibus, omnis Syria, aliæque regiones vsq; ad Euphratẽ sub tributo seruierunt: vt proditum est 2. Reg. c. 8. & in 3. Regum, c. 4. Verùm super ea re nos copiosè disseruimus in tertio tomo in Genesim super c. 15. in disputatione 10.

De Gentium porrò, qui ante Iudæos, terram illã inhabitarunt, numero, variè admodum in sacris literis proditum est. 46. In hoc enim loco Exodi sex tantùm numerantur gentes, & item infrà c. 23. totidem, ijsdemq; nominibus recensentur. Sed fuisse septem, memoratis hoc loco addendo Gergezæos, patet tum ex c. 7. Deuteronomij; tum ex concione Beati Pauli, quam refert Lucas Actor. 13. & ex libro Iosue, cap. 3. Quin etiam translatio LXX. interpretum in hoc loco Exodi, licet Scriptura Hebraica, & Paraphrasis Chaldaica, editioque Latina sex tantum gentes memorent, septem recenset, exprimendo Gergezæos; quos Hebræi dicunt propterea hîc esse prætermissos, quòd isti minimè aliorum omnium restiterint Hebræis, facillimè eis cedentes. Aliquando verò scriptura gentes illas trium duntaxat numero & appellatione designat, vt Exodi 23. nomine Heuæorum, Chananæorum, & Hethæorum; quod isti essent numerosissimi, atq; potentissimi. Interdum quinque recenset, Chananæos, Hethæos, Amorrhæos, Heuæos, & Iebusæos; vt Exo. 13. & 33. Nõnunquam nomine vnius gentis Amorrhæorum, vt Gen. 15. vel Hethæorum, vt Iosue 1. comprehendit omnes illas gentes. In libro autem Genes. ca. 15. recensentur decem gentes: nam prædictis septem adduntur Cinæi, Cenezæi, Cemorrhæi, & Raphaim. Ex quo apparet, gẽtes illas nũc pluribus, nunc paucioribus nominibus appellari, pro vt earum aliquæ vel potentia, vel dignitate, vel multitudine magis minusue præstabant: sed vt plurimùm, censebantur septẽ. Idem & in nostris regionib. fieri cernimus. Si quis enim Italiæ gentes aut Hispaniæ recensere vellet, posset vel plures, vel pauciores, pro varia consideratione, commemorare. In qua porrò illius terræ parte quælibet illarũ gentium habitaret, renunciarũt exploratores illius terræ, qui missi fuerant à Mose dicẽtes: *Amalech habitat in meridie: Hethæus, & Iebusæus, & Amorrhæus in montanis: Chananæus verò mora-* *Num. c. 13.*

tur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis.

47. Sed quæritur, qui sint isti Chananæi, qui hoc loco primi numerãtur inter sex gentes. Nam cum omnes illæ gentes ex Chanaan progenitæ essent, cur isti propriè dicti sunt Chananæi, cum id nominis communiter in istas omnes gentes competeret? præsertim cum in libro Genes. cap. 10. recenseantur vndecim posteri Chanaan, nec inter eos sint isti propriè dicti Chananæi? Imo verò non obscurè illic significatur, nomen Chananæorum fuisse commune omnium illarum gentium; siquidem commemoratis vndecim illis posteris Chanaan, subditur: *Et per hos disseminati sunt populi Chananæorum*. Verùm huic quæstioni plenè satisfactum à nobis est in 2. tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, in lib. 15 ad numerum marginalem 126. Illud tamen Lectorem ignorare nolim, quod ante me obseruauit, & in Commentarijs suis super libro Iosue prodidit Andreas Masius; quos populos diuina Scriptura vocat Chananæos, eos appellari ab externis scriptoribus Phœnices. Huius rei multa sunt argumenta. Principio, in quinto capite libri Iosue, vbi secũdum Scripturam hebraicam, & latinam translationem, appellãtur reges Chananæorum, LXX. Interpretes nominarunt reges Phœniciæ: & mulier illa, cuius filiam à Dæmone vexatam, Christus liberauit, à Matthæo dicitur Chananæa, à Marco aũt Syrophœnissa. Idem probatur ex sedibus, quas ea gẽs occupabat. Nam Chananæi, vt renunciarũt exploratores in illam regionem à Mose missi, orã maritimam Palæstinæ, qua Mediterraneo mari alluitur, tenebant: eandẽ quoq; orã & habitationem oẽs profani scriptores assignant Phœnicibus. Homerus itẽ Phœnices facit admodũ vafros & industrios, & mercatura atq; nauicularia facienda celebres. Idem quoq; de Chananæis dicitur in Scriptura, vt Oseæ ca. 12. & Isaiæ c. 23. & Salomon Prouerbiorum vltimo, mulierem frugi laudans; *Linteum, inquit, fecit & vendidit, & cingulũ tradidit Chananæo*, hoc est, mercatori ac negociatori. Sicut apud Hebræos, præcisè sunt Chananæi maris accolæ illi, qui supra Palæstinam recedunt ad Septentrionem; Sic apud Græcos, Phœnices. Rursus, vt interdum apud Hebræos Palæstini, etiam vsq; ad Aegyptum, subijciuntur Chananæorum nomini, quod ex c. 10 Genesis, & ca. 5. Iosue perspicere licet: sic etiam Græci Phœniciam interdum vsq; ad Aegyptum protendunt. Dionysius enim, qui de situ orbis scripsit, Gazam in Phœnicia locauit, & Moses in Chananæa: idemq; scriptum reliquit Strabo in lib. 16. Est igitur prorsus eadem, vnaque gens, apud Hebræos dicta Chananæorum, & apud Græcos, Phœnicum.

Eandẽ gentẽ esse, quã hebræi Chananæos, & quam Græci Phœnices appellarunt.

Matth. 15. Marc. 7. Num. 13.

Homerus Odiss. 15.

Strabo.

VNDECIMA DISPVTATIO.

De fertilitate terræ promissionis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Vt educam eum in terram fluentem lacte, & melle. *Versu 8.*

Dvas quæstiones habet hæc disputatio: quarum prior est, An tanta fuerit terræ promissionis fertilitas, quãta & Hic & alijs in Scripturæ locis prædicatur: an verò illud Dei promissum fuerit tantùm conditionale, sub ea conditione videlicet implendum, siquidem Hebræi in veri Dei cultu, & legis eius obseruantia permanerẽt. Strabo certè in libro 16. terram Hierosolymitanam, quam totius Iudææ optimam fuisse affirmat Iosephus, facit aridam & sterilem, ita scribens: Locum Hierosolymitanum facile obtinuerũt Iudæi, quòd minimè inuidiosus esset, nec pro quo quisquam studiosius contenderet: est enim petrosus, aquis tantum abundans, circumiacentem verò regionem, sterilem ac siccam habens, & intra sexaginta stadia petrosam. Sic ille. Cuius sententiam confirmant ea, quæ scribit Beatus Hieronymus super caput 49. Isaiæ, tractans illa verba: *Dixit Sion, dereliquit me Dominus*: cum enim prædocuisset, nomen Hierusalem quatuor modis in Scriptura accipi, subdit hæc: ex quo discimus, nequaquam Hierusalem in Palæstinæ regione quærendam esse: quippe, quæ totius prouinciæ deterrima est, & saxosis montibus asperatur; & penuriam patitur sitis, ita vt cœlestibus vta- 48.

Strabo.

Iosephus.

S. Hieronymus.

tur

tur pluuijs, & raritatem fontium, cisternarum extructione cōpēset. Et in epistola 129. quam scripsit ad Dardanum, quæ dicūtur in Scriptura de fertilitate & felicitate terræ promissionis, ea non secundum occidentem litteram intelligi debere, probat eo argumento, quod non possint Iudæi ostēdere, terram illam aliquo tempore fluxisse lacte ac melle; quòd tamen de ea prædicat Scriptura.

49. *Auctoris sententia.*

Veruntamen negari non potest, quin terra promissionis fuerit vberrima ac fertilissima, & antequam possessa est à Iudæis, & postquam illi eā obtinuerunt; quin etiam postquam sedibus illis exterminati sunt. Idq; Scriptura apertissimis verbis docet, & ratio ipsa suadet, & complures externorum scriptorum confirmarunt. Scriptura & hoc loco, & alibi sæpius appellat terram fluentem lacte & melle; quod dictum est per hyperbolicam locutionem non infrequentem in Scriptura: sicut etiam in 3. lib. Regum, cap. 10 scriptum est, tantam fuisse argenti copiam tempore Salomonis, quanta erat lapidum abundantia. Tali autem locutione hyperbolica significare voluit Scriptura, copiosissima & optima pascua, quibus ingens lactiferorum animalium copia aleretur: & abundantiam florum, odoriferarum herbarum & arborum, quæ idoneæ sunt ad mellificādum: passim enim etiam in saltubus, & in petris mellificabant apes, secundum illud: *Deute. 32.* *Vt sugeret mel de petra.* Et verò qualem promiserat Deus illam terram, talem postea esse inuentam ab Hebræis, demonstrat id, quod dixerunt exploratores missi à Mose ad speculandum terram illam; renuntiantes Mosi quæ in ea terra viderant: *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* Absciderant enim palmitem cum vua sua, quam vix portauerant in vecte duo viri.

50. *Pulcherrima descriptio terræ promissionis.* *Deuter. 8.*

Sed nusquam alibi Scriptura apertioribus & disertioribus verbis, quàm in Deuteronomij capite octauo, vbertatem atq; omnium rerum abundantiam terræ promissionis describit ad hūc modum: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, & aquarum, & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi: terram frumenti, hordei, ac vinearum: in qua ficus & mala granata, & olineta nascuntur, terram olei ac mellis. Vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur: vt cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima quam dedit tibi.* Sic est illic. Idem præterea hoc etiam argumento cōcluditur. Cum terra promissionis exigua, & angusta esset, vt supra ostensum est, innumerabilem tamen ferme multitudinem hominum commodè alebat. Legimus in libro Iosue, plurimos in ea fuisse reges, & innumerabilem populum: & ipse Moses in Deuteron. scripsit septem illic fuisse gentes, multò numerosiores, quam erat gēs Hebræorum. Et postquam, istis gentibus expulsis obtenta est, possessaque ab Hebræis, tempore regni Dauidis, cū eo iubente recensiti essent qui idonei erāt ad bellum, inuenta sunt quindecies centena millia bellatorum. Sic enim super ea re proditum est in priori libro Paralipomenon, capite 21. *Inuentus est omnis numerus Israel, mille millia & centum millia virorum educentium gladium: Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorū. Nā Leui & Beniamin non numerauit Ioab, eò quod inuitus exequeretur regis imperium:* Multitudo autem bellatorum in ciuitate aliqua vel prouincia, censetur tanquam quarta pars totius multitudinis hominum: maximè verò apud Hebræos, qui nisi à viginti annis & supra, non conscribebantur ad militiam; exceptis nimirum omnibus minoris ætatis, & item fęminis, quarum plures coniugio sibi iungebant Hebræi; & item propter senilem ætatem inualidis ad bellandum. Tantam porrò multitudinem hominum in regione tam angusta commodè vitam agere potuisse, clarissimū argumentū est maximę fertilitatis & vbertatis eius regionis.

Quàm numerosa fuerit gens Hebræorum.

51. *Hecatæus.*

Venio nūc ad externos scriptores. Suprà citaui Hecatæum, æqualem Alexandri Magni, affirmantem, Iudæos eo tempore possedisse decies trecenta millia iugera optimæ terræ in vberrima prouincia. *Aristæas.* Aristæas, qui scripsit historiam de translatione Scripturæ per septuaginta duos interpretes, quin etiam ipsemet duxit eos ex Iudæa in Aegyptū ad regem

Philadelphium, hæc reliquit scripta de fertilitate terræ Iudæorum. Regio eorum consita est arboribus oliuatum, & fetax omnis generis frumenti & legumi num: adhæc vineis & mellificio abũdat. Palmæ verò & aliæ frugiferæ arbores sunt innumerabiles apud ipsos: item iumenta & pecora omnis generis multa, & pascua vberrima. Præterea immensa copia aromatum, & lapidum pretiosorum, & auri, importatur eò per Arabes: nam regio ad cultum & ad negotiationẽ est idonea: & ciuitas abundat arcibus: non deest ei quicquam eorum, quæ mari aduehi solent, cũ habeat portus opportunos, qui abundè suppeditent res, & Ascalonæ, & Ioppæ, & Gazæ, similiter ẽt Ptolemaidis. In hotum locorũ quasi medio sita est ipsa ciuitas, per se ipsa abundè habens omnia, cum sit irrigua vndiq; aquis, & ad magnam securitatem munita. Nã Iordanis fluuius ille perennis, circumfluit ipsam, in se ab antiquo cõtinentem non minus aruorum, quàm sex millia myriadũ. Deinde ex vicinia sexaginta myriades hominum in ipsam peruenerũt, qui singuli possessionẽ centũ iugerũ agri sunt consecuti. Fluuius aũt perinde vt Nilus, circa tẽpus Solstitij æstiui exũdans, multum terræ irrigat. Sic Aristæas.

52. Iam verò Iosephus gente Iudæus, & in Iudæa natus, educatus, atque etiam cum dignitate & imperio versatus, qualis fuerit suo tempore, id est, Christi Domini, & Apostolorũ, fertilitas Iudææ, in lib. 5. Antiquitatum his verbis exposuit: Iudææ natura talis est, vt videre liceat campos magnos, & frugum, & fructuum feracissimos; qui collati ad aliam terram, admodum vberes videri possent: quod si ad Ierichuntinum vel Hierosolymitanum agrum conferantur, iam nõ magni pretij videbuntur: cum hi tamen agri parui sint, & bona ex parte montani; sed quantum ad fertilitatem attinet, nullis alijs secundi. De agri autem Ierichuntini felicitate, mira scribit in libro quinto de bello Iudaico. Optimos, inquit, habet paradisos; palmarumque irriguarum genera tam sapore, quàm nominibus varia: quarum pinguisime, calcibus pressæ, plurimum mellis emittunt, non multò deterius alio melle: quanquam & mellis altrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium: itemq; cedrum & myrobalanum gignit. Ergo qui diuinum esse illum tractum dixerit, nequaquam errauerit: quippe ibi & copiosa, & optima proueniũt, quæ alibi sunt carisima. Sed nec in alijs fructibus aliqua facilè toto orbe regio ei certauerit; adeo multiplicatũ, quod satũ est, reddit. Hęc Ioseph*.

Iosephus.

53. Brochardus etiam (qui ante annos trecentos vixit, nẽpe postquam Iudæa sub imperium Saracenorum subiecta est, & totum decenniũ consumpsit in ea regione diligentissimè perlustranda, obseruandisq; omnibus, & notandis, quæ digna obseruatione & commemoratione sunt visa) abundantiam bonorum eius terrę, tanquã oculatus testis, hunc in modum exponit: Non est credẽdum quibusdam contrarium nunciantibus; neque enim eam diligenter cõsiderarunt. His oculis vidi quãta fertilitate terra benedicta fructificat: frumentũ enim, terra vix exculta, sine stercore & fimo, mirabiliter crescit & multiplicatur. Agri sunt velut horti, in quibus fœniculum, saluia, ruta, rosa passim crescunt. Ibi bombyx affluit, cannamelæ abundant, ex quibus saccarum extrahitur. Sunt ibi cedri, citri, limones, anarãgi suauissimi & optimi odoris; qui per anni circulum continuè seruãtur in arboribus: sunt & quædam poma citrina magna, ex quibus electuaria pretiosa val de conficiuntur. Sunt & fructus dicti poma Paradisi, penitus admirabiles. Porrò hæc crescunt in modum botri vuę, & est botrus ille interdum magnus vt cophinus seu sporta: habet grana interdum centum, & nonnunquam plura, in modũ vuæ: sunt autem longa ad quantitatem sex digitorum; & nonnunquam sphærica ad quantitatem oui gallinæ; saporis verò delicatissimi, & dulcis, vt est mel. Grana intus semen non habent, sed tota eorum substantia comestibilis est. Fructus iste vix vno anno crescit, & maturatur. Arbor citò deficit: est enim eius periodus trium annorum, vt plurimũ: qua inarescente, alia ex radice prodire incipit: & hac item postea arescente, procedit tertia, & sic deinceps. Folia eius arboris longa sunt instar hominis staturæ: lata vsque adeo, vt duo totum hominem contegant. Vinum terræ sanctæ pretiosum

Brochard' in libro de terra sancta p. 2. c. 1.

sum valde est, & suaue, præcipuè circa Bethlehem; & nonnullibi eadem vitis ter in anno fert vuas, & maturat omnes suo tempore. Ficus, malogranata, oleũ, mel, pepones, citrulli Babylonici, & omnium generum legumina, & frumentũ optimum in Terra sancta vberrimè colliguntur. Panem adeò sapidum & delicatum non comedi, qualem in Hierusalem. Sues siluestres, lepores, capreoli, damæ, perdices, coturnices, quantum ibi abũdent, penè est incredibile dictu. Plurimum est ibi leonum & vrsorũ, aliarũque ferarum: camelorum autem incredibilis multitudo, quorum ego in vno grege pascentium vidi tria millia, pluresq; etiam dromedarios. Vidi vnicornes: denique illic extant omnia mundi bona, & verè terra illa fluit riuis lactis & mellis. Hæc Borchardus. Sed transeamus ad alteram quæstionem.

54. Altera quæstio est, An talis, tantaque fertilitas terræ promissionis fuerit naturalis, ex bonitate illius terræ, cœliq; benignitate, atque alijs naturalibus causis proueniens: An verò fuerit præter ordinem naturæ, ex præcipua & singulari Dei benignitate erga illam terram, gentemq; promanans. Verùm facilis est, atque breuis responsio. Fuisse naturalem, negari nõ potest: quippe quæ fuerit etiã cum eam terram habitarent ac possiderent Chananæi, homines impijssimi, & sceleratissimi: & sub imperio Saracenorum eandem terra illa fertilitatem magna in parte conseruauerit. Sed nihilominus fateri necesse est, eam fertilitatẽ potissimum ex singulari quadã Dei prouidentia (postquam eam terram Hebræi obtinuerunt) prouenisse. Nam cum Hebræi piè Deum colebant, & legem eius religiosè obseruabant, supradictam fertilitatem eis Deus abundè tribuebat & augebat: Sin autem à Dei cultu impiè deficiebant ad idololatriam, contemptaq; Dei lege, omnium se inquinamentis scelerum contaminabãt, infœcundã Deus, & sterilem bonorum omnium reddebat eorum regionem. Hoc autem ex duobus Scripturæ locis (vt alia nunc omittam) perspicuè intelligere licet. Alter locus est in capite 11. Deuteronomij: *Si obedieritis mandatis meis, ait Dominus; dabo pluuiam terræ vestræ temporaneã, & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumq; ex agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis ac saturemini. Cauete ne recedatis à Domino, seruiatisq; dijs alienis, & adoretis eos, iratusq; Dominus claudat cœlum, & pluuia non descendant, nec terra det germen suum, pereatisq; velociter de terra optima quam daturus est vobis.* Alter locus est in Leuitico, cap. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias tẽporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absq; pauore habitabitis in terra vestra: Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus projicietis. Si autem non obedieritis mihi, dabo vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam. Consumetur incassum labor vester; non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.*

An fertilitas terræ promissionis fuerit naturalis, an ex singulari Dei beneficio.

Locus Leuitici ca. 26.

Huius porrò singularis, & præcipuæ Dei prouidentiæ erga illam terram & gentem, clarissimum, maximeq; admirandum fuit argumentum; quod cùm iussisset Deus ne anno septimo Hebræi terrã sererent, sed eam sabbatizare finerent; ne illi timerent, id sibi fore detrimentosum & noxium, causamq; ingẽtis penuriæ in septimo & octauo anno; vt hac eos cura metuq; Deus liberaret, promisit facturum se Deus, vt annus sextus triplicatos ferret prouentus, sufficientes nempè trium sequentium annorum victui. Verba Dei super ea re in Leuitico capite 25. referuntur huiusmodi: *Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo? si non seuerimus, neque collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis in anno sexto, & faciet fructum trium annorum: seretisq; anno octauo, & comedetis veteres fruges vsque ad nonum annum; donec noua nascantur, edetis vetera.* Hæc ibi. Sed hoc tanto Dei beneficio, iam tempore Machabæorum priuati fuerant Iudæi, vt in capite sexto prioris libri Machabæorum cernere licet.

Admirabilis Dei prouidẽtia & benignitas erga Iudæos.

Locus Leuitici ca. 25.

DVO-

DVODECIMA disputatio.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 14. **EGO SVM QVI SVM.**

55. CVM dixisset Deus Mosi: *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Aegypto: Dixitq; Moyses ad Deū: Ego vadā ad filios Israel, & dicā eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Mosem: Ego ero qui ero. Et ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Dixitq; iterum Deus ad Mosem: Hæc dices filijs Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationē & generationem.* Famosissimam igitur sententiā hanc, *EGO SVM QVI SVM*, plurimorum veterum, etiam Ethnicorū admiratione ac prædicatione, doctissimisque tum expositionibus, tum disputationibus celebratissimam; nos etiam conuenit pro facultate nostra, subtiliter ac diligenter pensitare, ac distinctè atq; enucleatè tractatam explicaramq; Lectori tradere. Quam profectò sententiam, si quis dixerit, altissimum esse velut fundamentum quoddam Theologiæ, simulq; celsissimum quasi eius fastigium, is, meo iudicio, minimè à vero aberrauerit. Ante omnia sciat Lector, pro eo quod nos legimus, *Ego sum qui sum*, Hebraicè ad verbum sic esse, *Ero qui ero*, cuius tamen lectionis eandem esse sententiam, atq; lectionis Latinæ, putat Lyranus, hoc loco ita scribens: In Hebræo habetur: *Ero qui ero*, per vtramque tamē litterā idem significatur, videlicet necessitas essendi, & æternitas; & immutabilitas per omnem modum; quæ est conditio propria & singularis ipsius Dei. Omnia enim alia, eo ipso quod sunt de nihilo, habent principium sui esse, & sunt vertibilia in nihil, quia subtracta manutenentia diuina, caderent in non esse: & ideò nō esse conuenit eis, quantum ex se, sed esse habent à Deo, sicut scriptum est Esaiæ 41. *Ecce, vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est*. Sic Lyranus.

Lyranus.

At verò Caietanus arbitratur diuersam esse lectionis Hebraicæ sententiam. Sic enim scribit super hoc loco: Iuxta Hebræum habetur: *Ero qui ero*: antequā dicat nomen proprium, manifestat rem significatam per illud nomē proprium. Manifestat autem dupliciter, primò cōplexè, deinde incomplexè. Quod vt intelligas, scito hāc esse essentialem disparitatem inter naturā Dei & naturas reliquarum rerum quantumcunque excellentium: quod perseuerantia essendi, soli Deo conuenit suaptè natura, hoc est, à seipso, & absque omni depēdentia: Aliæ autem res omnes, quantumcunque immortales & incorruptibiles, habēt perseuerantiam essendi, emendicādo illam à Deo à quo dependent, & à quo cōmunicatum est omnibus esse: omnia enim in nihilū deciderent, nisi ea manus Omnipotentis conseruaret. Quia itaque nulla res alia à Deo, ex proprijs viribus habet perseuerātiam essendi, significatam futuro indicatiuo verbi substātiui (Ero) nec alia res potest omnino asserere illud (Ero) eò quod in potestate Dei stat oppositum, & solus Deus potest asserere (Ero) ideò proprietatem diuinæ naturæ manifestat Deus Mosi dicens: *Ero qui ero*, hoc est: Ego sum ille, cui suaptè natura conuenit perseuerare in esse. Vbi scito, prudēs Lector, quòd quamuis potuisset Deus proprietatē naturæ suæ manifestare dicendo: *Ego sum qui sum*: maluit tamen manifestare dicendo, *Ero qui ero*, quia hic manifestādi modus facilior & clarior est, quo ad nos, & quo ad filios Israël, pro quibus petebat Moses: ille verò alter modus, subtilior est, exigens notitiam æternitatis, nesciētis præteritum, præsens, & futurum; & notitiā, quod in esse cōprehenditur omnis perfectio; quæ non facilè percipiuntur cōmuniter. Illis porrò verbis, quæ sequuntur; *Sic dices ad filios Israel: Qui est, misit me ad vos.* manifestationem complexam resoluit in incomplexam. Dixerat complexè: *Ero qui ero*; dicit incomplexè, *Qui est*: Sic enim est hebraicè: siquidē natura diuinæ propria est perseuerantia essendi: alijs enim conuenit ad beneplacitum *Caietanus.*

citum

citum Dei. Et vide quoad nos manifestiorem modum electum, dicendo: *Sic dices filijs Israel.* Et ne minor suboriretur intelligentia diuinæ naturæ, adiungitur: *Misit me, ad vos*; dicendo *misit*, significat quod ita est; *Ero*, quod etiam fuit: & quod non ita est *Ero*, tanquam incipiat esse; sed quod est *Ero*, tanquam propriã habens perseuerantiam essendi. Per neutram autem manifestationem manifesta ta est res perfectè, significata per subiunctum nomen, sed manifestata est sufficienter ad discernendum naturam Dei à naturis reliquarum rerum; & hoc valde magnum donum fuit, & est. Hactenus ex Caietano.

Oleaster putat dictum esse (*Ero qui ero*) ad significãdam differentiã veri Dei à falsis Dijs & Idolis, quæ nec semper fuerunt, nec semper erunt: ideoq; Deuteronomij 32. appellantur noui recentesq; Dij. Contra autem verus Deus de

Esaiæ 41. se dicit: *Ego primus, & ego nouissimus*. Et rursus: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit*. De Idolis autem dicitur Hieremiæ 10. *Vanitas sunt sculptilia, opus irrisione dignum, tempore visitationis peribunt.* Vult ergo Dominus significare Mosi & Hebræis, se solum verum esse Deũ, vt qui semper fuerit, semperque futurus sit. Et hanc sententiam Dei voluit exprimere sanctus Ioannes in Apocalypsi capite primo, dicens: *Pax vobis ab eo qui erat, qui est, & qui venturus est*, per hoc summam Dei æternitatem significare volens. Hæc Oleaster. Nec secus locum hunc Exodi videtur interpretatus B. Iustinus Martyr, vt paulò infrà dicemus.

56. Cæterùm Hebræi illud *Ero qui ero*, dupliciter interpretantur. Plerique enim censent, ea locutione Dei æternitatem significatam esse: futurum enim (sicut Thalmudistæ tradunt) omnis temporis differentias continet, præteriti, præsentis, & futuri, ideoq; ad denotandã æternitatem, quæ omnem temporis extensionem & volubilitatem vniè atque immobiliter comprehendit, ritè accommodatur. Quidam aiunt, illud prius *Ero* esse nomẽ Dei; alterum autem *Ero* esse illius nominis expositionem & confirmationem: vt hæc sit illis verbis subiecta sententia: Nomen meum est *Ero*: & ratio est, quia ero in æternum, & absque fine.

At enim Rabbi Salomõ arbitratur, hæc verba non esse dicta ad significandam æternitatem Dei, sed ad demonstrandũ & promittendum se affuturum Hebræis in illa afflictione Aegyptiaca, & liberaturũ eos ab illa seruitute: nec solùm tũc, sed etiam in posterum se futurum illis adiumento & præsidio. Est itaque, secũdum istum Rabbinum (quem omninò sequitur Burgensis) intellectus illorum verborum, huiusmodi: *Ego ero*, supple, vobiscum in hac tribulatione, ab ea vos liberans; *Qui ero*, supple, semper deinceps vobiscum in omni vestra afflictione. Sedenim illa est germana huius loci interpretatio, hebraicè positum esse futurum pro præsenti: nam secũdum proprietatem hebrææ linguæ, non rarò poni futura pro præsentibus vel præteritis, probat hoc loco Eugubinus, prolatis in medium aliquot Scripturæ testimonijs. Hoc probè intelligentes LXX. Interpretes, locutionem hebraicam ad tẽpus præsens accommodantes, verterũt, sicut habet Latinus interpres, *Ego sum qui sum*, hanc enim habent sententiam græca: ἘΓΩ' ἘΙΜΙ Ὁ ὪΝ. *Rabbi Salomon.* *Paulus Burgensis.* *Eugubinus*

Sed age, ostẽdamus, quemadmodum veteres sententiam hanc intellexerint, & explanauerint. Illud certè in vniuersum dici potest, existimasse veteres, in illis verbis significari, quæ sint Dei propria, immutabilitatem, æternitatem, atque infinitatem. Commemoremus itaque in hoc loco, nobiliorum aliquot auctorum sententias, & insigniores eorum verborum expositiones. Atque à Philone omnium antiquissimo ordiamur. Is in primo lib. de vita Mosis facit Mosem sic loquentem cum Deo: Quid si ex me percunctabuntur Hebræi, quod sit nomen eius, qui misit me, nec dicere potero, nonne impostor videbor? Cui Deus: Primò dic eis: *Ego sum qui sum*: vt discant differentiam inter ens, & nõ ens, & sciant nullum nomen de me dici propriè, cui soli esse competit. Quod si, vt sunt debiliores ingenio, insistent quærere nomen meum, indica eis non tantùm esse me Deum, sed esse Deum trium virorum à virtute denominatorũ, Abraham, Isaac, & Iacob: quorum alius doctrina, alius natura, alius meditatione, quæsitæ virtutis est regula. Sic Philo. 57. *Philo.*

B. Dio-

B. Dionysius Areopagita in libro de Diuinis nominibus capite quinto disputat, Deum potius nominari & celebrari ab ipso esse, quàm ab alio vllo effectorũ eius; omnium enim quæ à Deo procedunt, effectaq; sunt, principalissimũ est ipsum esse, multas ob causas. Primò, quod, esse, primum omniũ aduenit cuilibet rei, & vltimum omnium ab ea recedit: Secundò, est omnium maximè intimum cuiuis rei. Tertiò, est maximè independens: Quartò, est maximè necessarium: Quintò, est vniuersalissimũ: Sextò, est simplicissimum: Septimò, est quodammodo infinitum: Octauò, cætera sunt velut quædam eius participationes, ipsum verò nullius est participatio: Nonò, est perfectissimũ, quod eminenter, & virtute continet omnes alias perfectiones. Sed ponamus hìc verba B. Dionysij, quæ sunt huiusmodi: Ante alias omnes Dei participationes, ipsum esse præpositum est: & est ipsum esse antiquius, quàm vita, & quàm sapientia, & quàm alia quæuis similitudinem diuinam participantia: ante hæc enim omnia, ipso esse participant: Meritò igitur reliquis principalius est ipsum esse: & ex ipso, tanquam antiquiori alijs Dei donis, ipse Deus celebratur. Enimuero, & rerum principia omnia, ipsius esse participatione & sunt, & principia sunt, & prius quidem sunt, & inde principia sunt. Quod si velis dicere, vitam esse initium viuentium, vt viuentia sunt; & vnionem esse principium coniunctorũ, vt coniuncta sunt; & ordinẽ esse principium ordinatorum, vt ordinata sunt, & alia quæcunque esse initia eorũ, quæ illorum participatione gaudẽt; inuenies profectò, ipsas participationes primum ipso esse participare, & eo ipso esse, primum existere; mox verò huius & illius principia esse, & ipso esse participando & existere, & participes esse. Si autẽ ista principia, participatione ipsius esse sũt, multò magis erunt illa, quæ istorum participatione existunt. Primum igitur, ipsius esse munus cæteris præponens suprema illa bonitas, ipso esse vt antiquissimo, primoq; omnium eius participationum, potissimùm celebratur. Hactenus ex B. Dionysio.

Omniũ quæ à Deo procedũt, principalissimũ est ipsum esse, ob nouẽ causas.

B. Dionysi9 Areopagita.

58. *Iustinus.*

Iustinus Martyr in sermone Exhortatorio ad gentes, super hac ipsa Dei sententia disputans, & de Platone loquẽs, qui doctrinam hanc Mosis, vt alia multa æmulatus, in suis libris opertè posuit, ita scribit: Cum enim Plato in Aegypto audisset, olim Deum Mosi dixisse, quando ad Hebræos eum mittebat: *Ego sum ens ille*, intellexit Deum non indicasse nomen suum proprium: nullum enim potest Deo propriè conuenire. Nimirum imponuntur nomina rebus, vt per ea dignoscatur ipsarum varietas: Deus autem neque superiorem quemquam habuit, à quo nomen acciperet, neque se ipse nominare voluit, cũ vnus & solus esset: sicut ipse per Prophetas de se ipso testatur dicens: *Ego primus, & nouissimus, nec est præter me Deus alius.* Cũ igitur alloquens Mosem, mitteret eum ad Hebræos, non se aliquo nomine appellauit, sed participio quodam, quo se vnum, solumq; Deum esse significaret, dicens: *Ego sum ens ille*, videlicet ad differentiam eorum, qui vocantur, nec sunt dij: vt scirent qui per idololatriam seducti fuerant, se non veris Deis fuisse deditos, sed ijs, qui non sunt. Deus igitur sciens non esse verã de multis dijs opinionem, extirpaturus eam, velut molestũ morbum, ex anima, ante omnia Mosi se ostendens, dixit ei: *Ego sum ille ens*. Oportebat enim, opinor, futurum Hebraicæ gentis Imperatorem & doctorẽ, nihil prius, quàm verum Deum discere. Quocirca cum primum ei apparuit, hoc eum docuit. Deinde delegans eum ad Hebræos, iubet idem nunciare ipsis & dicere illis: *Qui est, misit me ad vos.* Hæc Iustinus.

Isaia 45.

Sanctus Gregorius Nazianzenus illud: *Ego sum qui sum*, interpretatur de æternitate Dei, vt opponitur volubilitati temporis, quæ per futurum, & præsens, & præteritum est extensa, & distincta: æternitatis enim proprium est, semper & immutabiliter esse. Verba eius ex oratione de Natiuitate Domini, huc trãsposita, sunt huiusmodi: Deus & erat semper, & est, & erit, vel vt rectius loquar, semper est. Nam erat, & erit, nostri temporis fluxæq; naturæ segmẽta sunt: Ille autem semper est: atque hoc modo seipsum nominat, cum in monte oraculum Mosi edidit. Vniuersum enim id 59.

S. Gregori9 Nazianzenus.

quod

quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturū: quasi pelagus quoddam essentiæ immensum & interminum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationē superans: mente sola adumbratus; & quidē perexiguè ac perobscurè, non ex ijs, quæ sunt in ipso, sed quæ circa ipsum; alia ex alia collecta specie ad vnum quoddam veritatis simulachrum: prius quàm teneatur effugiens; & prius quam intellectu percipiatur, seipsum fuga proripiēs: tantùm principem nostri partem, eamq; à vitiorum labe purgatā, collustrans: quātum videlicet oculorum aciē, fulguris, minimùm cōsistētis, celeritas. Hoc autē, mea quidē sententia, idcirco fit, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat; quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec assequi conatur. Quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehemētius expetatur: expetitus nos purget; purgās autē, diuinos efficiat: talesq; cùm redditi simus nobiscū iam, velut cū familiaribus, cōsuetudinem habeat (metuo ne hoc audacius à me dictum videri possit) Deus ijs vnitus & cognitus, ac tantum fortasse, quātum iam eos, qui ipsi noti sunt, cognoscit. Hæc Nazianzenus.

60. Consimili ratione B. Augustinus propterea arbitratur, ipsum esse dici propriè de solo Deo, quod ipse solus habeat esse indeficiens, & omninò inuariabile. Nam exponens versiculum illum

S. Augustinus. Psalmi noni: *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum*, hæc scribit: Dominus dixit ad Mosem: *Ego sum qui sum*: Sperent igitur in te, qui cognoscunt hoc nomen tuum; ne sperent in rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habētes, nisi, erit, & fuit. Quoniam quod in illis futurum est, cum venerit, fit statim præteritum: & expectatur cum cupiditate, amittitur autem cū dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quasi nōdum sit; nec fuit aliquid, quasi iam non sit: sed est tantùm id quod est, & ipsa est æternitas. Desinant igitur sperare & diligere temporalia, & se ad æternam spē conferant, qui cognoscunt nomen eius, qui dixit: *Ego sum qui sum*. Fertur in fine sexti tomi Operum Augustini breuis quidam Tractatus super his verbis: *Ego sum qui sum*; qui si non est Augustini, est certe pij & docti viri. In eo sic est: Esse, nomen est incommutabilitatis: omnia enim quæ mutantur, desinūt esse quod erant, & incipiunt esse, quod non erant. At esse verum, esse sincerum, esse germanum, non habet, nisi is, qui non mutatur. Ille habet tale esse, cui dictum est: *Mutabis ea, & mutabuntur; tu autem idem ipse es*. Quid est: *Ego sum qui sum*, nisi, Ego solus æternus sum? Quid est: *Ego sum, qui sum*, nisi, solus ego mutari non possum? Nulla creatura, non Cœlum, non Angelus, non Virtutes, non Throni, non Dominationes, non Potestates, denique nulla creatura, & cætera quæ ibi sequuntur. *Psal. 101. & Hebr. 1.*

Sanctus Hieronymus interpretatur, propterea verè dici, solum Deum, esse, quòd solus ipse à se ipso est; cætera verò ex natura sua non esse, sed voluntate Dei esse quantum ipse vult, & quemadmodum vult, & quousque vult. Exponens enim illam sententiam Pauli, quæ est in tertio capite epistolæ ad Ephesios: *Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur*, hunc in modum, fanè quàm theologicè, disputat: Sicut Deus essentiæ ac substantiæ suæ nomen etiam cæteris rebus impertit, non quòd ipsæ ex natura sua sint; fuit enim tempus, quando vniuersa non fuerunt, & rursum, si voluerit, in nihilum reuertentur: sed quod esse dicantur, id habent Dei bonitate donatum: sic & paternitatis nomen ex semetipso largitus est alijs. Quod vt manifestius fiat, Scripturarum testimonium proferamus. Loquitur in Exodo Dominus Mosi: *Ego sum qui sum*. Numquid solus Deus erat, & cætera non erant? vtique Angeli, cœlum, terra, maria, & ipse Moses, cui Dominus loquebatur, & Hebræi, ad quos, & Aegyptij, contra quos mittebatur, erant. Quomodo igitur nomen commune substantiæ, sibi proprium vendicat Deus? Ob eam profectò causam, quod cætera, quod sint, mero Dei sumpsere beneficio: Deus verò, qui semper est, nec habet aliudē principium, & ipse sui origo est, suæq; causa substantiæ, non potest intelligi 61. *Locus epistolæ ad Ephesios, c. 3.*

ligi aliunde habere, quod subsistit. Nam in igne aliud est calidum, aliud calefactum. Ignis absque calore intelligi non potest: cætera, quæ ex igni calefiunt, calorem illius mutuantur: & si paulatim abscesserit ignis, calore tenuato redeũt in naturam suam, & nequaquam calida nuncupantur. Iuxta hunc quoque sensum, & in Euãgelio dixit Dominus: *Nemo est bonus, nisi vnus Deus.* Et certè terrã bonam legimus, & hominem, & pastorem bonum: sed nemo ex natura sua bonus, nisi solus Deus: Cætera enim, vt dicantur bona, bonitate illius consequuntur. Sicut ergò solus bonus facit bonos, & solus immortalis immortalitatem tribuit; & solus verus nomen veritatis impertit: ita & solus Pater, quia & creator est omnium, & vniuersorum causa substantiæ, præstat cæteris, vt patres esse dicantur. Hæc Hieronymus.

Locus Luca 18.

62. *S.Gregori⁹.* Ad eandem sanè sententiam exponit S.Gregorius, cur solus Deus dicatur esse, quia solus à se ipso est, & solus immutabiliter semper est. Explanans enim illa verba Iob, quæ sunt in 23. capite: *Ipse solus est*. Nunquid (Gregorius inquit in libro 16. Moralium cap. 18.) non sunt Angeli, & homines, & cœlum, & terra, & cuncta animantia? Certè scriptũ est: *Creauit vt essent omnia*. Veruntamẽ aliud est esse, aliud principaliter esse: & aliud esse mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter nõ sunt, quia in semetipsis principaliter non sunt, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquã possunt. Cuncta namque in illo subsistunt, à quo creata sunt, nec ea, quæ viuunt, sibi ipsa vitam tribuunt: neque ea quæ mouẽtur, suis nutibus ad motum ducuntur: sed ille cuncta mouet, qui quædam viuificat, quædam verò non viuificata, in extremã essentiam mirè ordinans seruat. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia ad nihilum tenderet, nisi eã auctor omnium, sui regiminis manu retineret. Omnia itaque quæ creata sunt, per se nec subsistere valent, nec moueri, sed in tantum subsistunt, inquantum vt esse habeant, acceperunt: in tantum mouentur, inquantum occulto instinctu disponuntur. Hæc Gregorius. Idem in libro 18. Moralium, cap. 34. super eadem re hoc modo differit: Solus Deus veraciter est: cuius essentiæ comparatũ esse nostrum, est non esse. Huic si coniungimur, sumus, viuimus, sapimus: huic si cõparamur, nec sapimus, nec viuimus, & omninò nec sumus. Hinc est quod sancti viri, quando in Dei visione proficiunt, quantò magis Diuinitatis internam conspiciunt, tantò magis se nihil esse agnoscunt. Vnde Abraham loquens cũ Deo, se puluerem ac cinerẽ esse professus est. Esse namque, se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum erat, minimè sensisset. At verò vbi ad Immutabilem contemplandũ super se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse, nisi puluerẽ vidit. Hinc ad Mosem dixit Deus: *Ego sum qui sum*, solus quippe veraciter est, qui solus incommutabiliter permanet: nam omne quod modò sic, & modò aliter est, iuxta non esse est: permanere enim in statu suo non potest. Atque aliquo modo ad non esse itur, dum ab eo quod fuerat, semper ad aliud per momenta temporũ ducitur. Vt ergo in participatione ipsius essẽtiæ aliquid simus, cognoscamus nosmetipsos, quia propè nihil sumus. Sic ibi Gregorius: quem etiam vide super eadem re in secunda Homilia in Ezechielem.

Sapient. 1. *Genes. 18.*

63. *S. Bernardus.* S.Bernardus in lib. 5. de consideratione ad Eugenium, eandem pulchrè tractans sententiam, hæc scribit: Dicimur esse & nos, & nosse, & amare: Deus etiã cognoscit & amat. Sed Deus amat vt caritas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas. Quæ omnia faciunt & Angeli, facimus & nos. Sed longè inferiori modo; non vtique bono, quod sumus; sed quod participamus. Deus autem hoc de se voluit responderi Hebræis per Mosem: *Qui est, misit me ad vos*. Meritò quidem: nihil enim cõpetentius æternitati, quæ Deus est. Si enim bonum, si magnum, si beatũ, si sapientem, vel quicquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, *Est*. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris, nihil

nihil addidisti ad esse; si non dixeris, nihil de eo minuisti. Iam si vidisti hoc singulare & summum esse, nonne in cōparatione huius, quicquid hoc non est, iudicas potius non esse, quàm esse? Quid enim est Deus? sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quàm nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est, & omnium esse. Hęc S. Bernardus.

64. *S.Thomas.* S.Thomas in prima parte quæst. 13. artic. 11. disputat, hoc nomen *Qui est*, triplici ratione maximè proprium esse Dei. Primò propter sui significationem; non enim significat formam aliquā, sed ipsum esse. Cùm autem esse Dei, sit ipsamet eius essentia, quod nulli alij rei cōuenit, liquet, inter omnia nomina Dei, hoc maximè proprium eius censeri debere. Deinde, propter huius nominis vniuersalitatem. Alia enim nomina vel sunt minus communia; vel si conuertantur cum ipso, determinant ipsum, addendo aliquid secundum rationem. Quapropter quantò aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia, & absoluta, tantò magis propriè dicuntur de Deo à nobis. Vnde Damascenus nomen *Qui est*, facit principalius omnibus alijs nominibus Dei, tanquam totū in se ipso comprehendens pelagus substantiæ infinitum & interminatū. *Damascenus lib. 1. cap. 12.* Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei: at nomen *Qui est*, nullum modum essendi determinat, sed habet se indeterminatè ad omnes. Ad hæc, nomen *Qui est*, significat esse in præsenti: & hoc maximè propriè Deo conuenit, cuius esse non nouit præteritum vel futurum. Et quamuis secundum Dionysium in tertio capite de Diuinis nominibus, nomen *Bonum* sit principalissimum omnium Dei, in quantum Deus est causa, non tamen simpliciter, quia esse absolutè, præintelligitur causæ. Attamen nomen Dei tetragrammaton quod impositum est ad significandā Dei substātiam incommunicabilem, & (vt sic liceat loqui) singularem; magis proprium Dei nomen est, quàm nomen *Qui est*. Hæc S. Thomas.

65. Ex his verbis B. Thomæ apparet, eum facere nomen *Qui est*, diuersum à nomine Dei tetragrammato. Sed reclamant Hebræi, & de nostris Hebraicæ linguæ studiosi ac periti, affirmantes idem esse nomen. Nam nomen Tetragrammaton est futurum verbi substantiui (Sum) non aliud significans, nisi *Erit*. Et quia futurum, vt supra diximus, ponitur sæpe pro præsenti; nomen Tetragammaton non est aliud, quàm *Est*. Audiat Lector Eugubinum in recognitione Pentateuchi, & in tractatu huius loci Exodi, hac de re ita scribentem: *Eugubin*. Sciendum, inquit, illud est, nomen Tetragammaton, quod proprium Dei nomen esse existimatur, & apud Hebræos tanquam ineffabile habetur, non esse aliud, quàm id, quod dixit Deus Mosi, *Qui est*, vel, vt est hebraicè *Erit*. Græcè autem dicitur Ο' Ω῍Ν, est enim vox futuri temporis verbi substantiui, Sum: Equidem puto, nomen Tetragrammaton ex hoc loco Exodi natum esse: nomen scilicet, quo se ipsam Diuinitas appellauit ab essendo. Et vt hoc clarius percipias, scito, vbi in nostra editione habetur hic: *Dixitq; iterum Deus ad Moysem; Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, hebraicè pro illo, *Dominus Deus patrum vestrorum*, esse nomen Tetragrammaton: quo prolato, adiunxit Deus: *Hoc nomen mihi est in æternum*: neque de alio nomine intelligit, quàm de eo, quod exposuerat Mosi, *Qui est*. Nomen ergo Tetragrammaton, tempus futurum est verbi substantiui, Sum; idemque est, atq; illud, *Ero qui ero*; hoc enim significat nomen quadrilitterum. Nam si ipsum interpretari voluerimus, dicemus, *Est*, vel *Erit*, sine relatiuo, qui; quod fit secundum idioma Hebraicum, in quo relatiua sæpe omittuntur.

66. Nō lōgè abest, si tamē abest, Caietan ab hac Eugubini opinione. Ait enim, cū Deus dixit: *Ego sum qui sum*, vel *Ero qui ero*, non dixisse propriè nomen ipsum Tetragrammaton. Sed rem significatam eo nomine. Cum autem mox adiunxit. *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, tunc expressisse nomen Tetragrammaton sibi; id vendicasse tanquam proprium, quo nimirum significatur, vt natura supereminens omnibus rebus. Sic autem scribit Caietanus, tractans illa verba: *Caietanus.*

Sic

Sic dices ad filios Israel: Dominus Deus patrum vestrorum. Iuxta Hebræum, inquit, sic habetur: *Iehouah elohe patrum vestrorum.* Complet autem Deus responsionẽ ad quæstionẽ Mosis de suo proprio nomine. Prius responderat quoad rem significatam, dicens: *Ero qui ero:* nunc respondet quoad ipsum nomen, & manifestat nomen *Tetragrammaton*, esse sibi proprium. Et quia nomen hoc ab essendo sumptum est, hinc liquet, quod suprà dictum fuit: *Ero qui ero*, fuisse expositionem huius nominis. Quoniam autem Deus hoc nomen sibi vendicat ex proprietate naturæ suæ, quæ supereminet omnibus, ideo dicit, *Hoc nomen meum in æternum*, id est, non commune mihi & alijs, sed mihi tãtùm proprium. Per hoc enim discernitur Deus à rebus omnibus; quòd omnes aliæ res pẽdent à Deo in esse, ipse verò solus à nullo pendet, sed ex seipso solo perseuerat in esse. Et ne nouus Deus fingi videretur, adiũxit, quod ipse est, quem, vt suum iudicẽ, coluerunt patres eorum, Abraham, Isaac, & Iacob. Tria itaque de seipso manifestat: primò nomen proprium suum ex proprietate naturæ, quod est Iehouah: tũ nomen officij ad iudicandum omnes, quod est Elohe: deinde veneratione ab antiquo sibi exhibitam à patribus ipsorum: vt sic omni ex parte satisfiat quærentibus nomen Dei, mittentis Mosem ad ipsos. Hæc Caietanus.

DECIMATERTIA disputatio.

SVPER EISDEM ILLIS VERBIS.

EGO SVM QVI SVM:

Ex ipsius Auctoris sententia.

67. IVVAT etiam me, super hac re, Lectori sentẽtiam meam indicare. Equidem censeo, *Esse* simpliciter & præcisè (si loquamur propriè) nulli rei creatæ conuenire: immò verius dici, ea ratione, quamcunq; rem creatam non esse, quàm esse; quia multò plus habet ipsius non esse, quàm esse: quod sanè ex quatuor his rebus perspicuè licet intelligere. Primò, quæcunque res creata, priusquam crearetur, habuit æternum non esse. Deinde, si corruptibilis est, habebit aliquando etiam nõ esse æternum; sin autem est suapte natura incorruptibilis, vt sunt Angeli, potest nihilominus habere non esse, quoniam in potestate Dei est, liberè ipsam conseruantis. Adhæc, etiam dum est, quia subinde mutabilis & variabilis est, admixtum habet ipsum non esse: in omni enim mutatione, ratio quædam ipsius nõ esse includitur. Postremò, quælibet res creata (vt egregiè disputat Plato in Theæteto) *Plato.* plus habet non entis, quàm entis. Exempli causa, homo tantùm habet esse hominis, sed habet non esse, cœli, terræ, animalium, aliarumq; omnium rerum: habet itaq; vnum duntaxat esse, & innumera propemodum non esse.

At enim Deus verissimè, maximeque 68. propriè dicitur esse, quod ex seipso habeat esse; nec ipse sit aliud, quàm suum esse. Ex hoc autem multa sequuntur, quæ maximè propria sunt Dei. Primò sequitur, eum semper fuisse: si enim non semper fuisset, vel ergo productus esset ab alio; at ponitur à se ipso esse: vel productus esset à seipso; sed hoc implicat contradictionem: vt enim producens, iam esset; vt verò productum, nondum fuisset. Secundò sequitur, eum semper fore, tum quia habens esse à seipso, nunquam seipsum deseret: tum quia cũ sit ipsum esse, non potest admittere non esse. Tertiò sequitur, ipsum esse immutabilem: nã si mutaretur, aliquo modo participaret nõ esse: sed Deus nec habet à quo mutetur, nec propter quid mutetur. Quartò sequitur, ipsum esse æternũ: etenim duratio carens principio & fine, atq; omnino immutabilis, & tota simul, est ipsa æternitas. Quintò sequitur, esse simplicissimum, & actum purissimum: si enim esset compositus, posterius esset componentibus ipsum, & ab illis haberet esse. Sextò sequitur, esse infinitum; nam cùm habeat esse à se, non potuit ei determinari ipsum esse. Septimò sequitur, ipsum esse causam omnis esse, quod res creatæ participant. Nam quod est ex se, & per se tale, causa est eorum, quæ sunt talia per participationem. Octauò sequitur, ipsum esse vnum; quia habet esse ex se;

Solũ Deum verè dici esse, Qui est, octo causa.

ex se; & omne esse, & infinitum esse. *Locus Iob. cap.23.* Rectè itaque Iob de ipso dixit, capite vigesimo tertio: *Ipse solus est.*

69. *Opinio Platonis, & Iustini Martyris.* Nonnulli existimant, cum Deus Mosi requirenti nomen ipsius, respondit: *Ego sum qui sum*, non indicasse ei nomen suum: immo verbis illis demonstrasse, nullum sibi nomen propriè conuenire, quod ipse sit ipsum esse subsistens, atq; infinitum, quod & incomprehensibile est, & innominabile, sicut Salomon *Locus Prouer. ca.30.* docuit, cap.3. *Quod est*, inquit, *nomen eius, & quod est nomen filij eius?* *S.Dionysi⁹.* Et Dionysius in primo capite libri de Diuinis nominibus, Deus inquit, omnino incomprehensibilis est; & neq; sensus vllus eius est, neque imaginatio, neque nomē, neque sermo, neque tactus, neque sciētia. Quod non ignorantes Theologi, Deum vt carentem nomine celebrant: cū Deū ipsum aiunt in vna sacratissimarum visionum apparētem, eum increpasse, qui dixerat: *Quod est nomen tuum?* Ac veluti ab omni eum diuini nominis cognitione abducentem, dixisse: *Cur de nomine meo interrogas, quod est mirabile?* *Genes.32. & Iudic.13.* An verò non est mirabile nomen, quod est super omne nomen? *Dionysius.* quod exuperat omne nomen, quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro? sic Dionysius. Ergo illud: *Ego sum qui sum*, dictum est ad excludendum certum aliquod nomen Dei. Quod si (dixit Mosi Deus) populares tui instent quærentes nomen eius, qui te misit; dices eis, me hoc potissimū nomine ab illis cognosci, & coli velle, quod sum Deus patrum ipsorum, Abraham, Isaac, & Iacob: vt sicut illi mihi crediderunt, & seruierunt; ita & ipsi mihi, per te loquenti ipsis, credant, & mandatis quæ per te dabo illis, obtemperent. *Philo.* Hoc sanè intellectu Philo locum hunc Exodi exposuit, sic scribens: Primum dic eis: *Ego sum qui sum*, vt discant differentiam inter ens & non ens, & nullū nomen de me dici propriè, cui soli competit esse. Quod si, vt sunt debiliores ingenio, requirent appellationem meā, indica eis, non tantùm esse me Deum, sed præcipuè Deum esse trium illorum virorum à virtute denominatorū, Abraham, Isaac, & Iacob. Ita Philo. Similiter etiam Iustinus Martyr intellexit hunc locum Exodi, scribens, Deum non indicasse Mosi nomen suum proprium, quia nullum potest ei nomen propriè conuenire. Iustini verba paulo supra in hac ipsa Disputatione commemorata sunt. Sunt etiam, qui putent, Deum Mosi requirenti nomen suum, significasse, hoc esse nomen suum quod sit ipse verus Deus ad differentiam falsorum Deorū, quos plerią; omnes tunc colebant: idq; probasse dupliciter. Primò dicendo, *Ego sum qui sum*, quod est propriū veri Dei, nec alijs Deis vllo modo conuenit: Tum etiam dicendo se esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob: Illi enim viri sanctissimi non nisi verum Deum coluerunt. Voluit igitur Deus, Mosem quærentibus Hebræis, quod esset nomen eius, à quo missus fuerat ad ipsos; respondere, se missum fuisse à vero Deo, quem patres eorum coluerant, & quibus ille multa, & magna promiserat in vtilitatem posteritatis eorum. Et ita Iustinus quoque locum hunc exposuit.

Hæc porro Theologica doctrina, quod Deus *est qui est*, ne ipsos quidem latuit Ethnicorum sapientes. 70. Refert Eugubinus, in templis Aegyptiorum hæc *Aegyptij apud Eugubinum.* Dei verba fuisse inscripta: Ego sum omne quod fuit, quod est, quodq; futurum est: Velum meum nemo vnquam reuelauit. Thales quoque Milesius, interro- *Tl.* gatus, quid esset Deus? respondisse fertur: Quod semper est, neque Principiū habens, neque finem. Hoc item spectasse atque intellexisse videtur Parmenides, cùm dixit; Omnia esse vnum Ens *Parmenides.* immobile. Plutarchus in quodam Opu- *Plutarch⁹.* sculo tradit, fuisse olim à sapientibus viris in foribus templi Apollinis Delphici adscriptas has duas sententias, vnam, *Cognosce te ipsum*; qua Deus templum intrantes quasi salutans, vt seipsos noscerent admonebat: alteram, (εἶ) quod significat: *Tu es*; qua voce, ingredientes templum, tanquam Deum ipsum resalutantes, solum ipsum verè esse cōfitebantur. Hominū quippe natura instabilis & fluxa est: Dei verò natura perpetuo statu manēs, immutabilis atq; æterna est; nec futuri tēporis accessū expectans vllū, nec præteriti decursū sentiēs.

Atenim, nemo Philosophorum clarius hoc vidit, expressiusq; tradidit, quā 71. Plato, qui in Timæo, solum id esse affir- *Plato.* mat,

mat, quod est prorsus immutabile, neq; principium, neque finem habens: cetera verò, quæ oriuntur, & commutantur, verius posse dici nõ esse, quàm esse. Et rursus: Fuit, inquit, & Erit, temporis sunt, nec sempiternæ attribui debent essentiæ, cui tantummodò congruit Est. Erit autem, & Fuit, de ijs conuenit dicere, quæ in tempore genita, cũ tempore ipso procedunt; istiusmodi enim differentiæ nõ sunt æternitatis, sed tẽporis, quod æternitatem æmulatur. Sic Plato. Propter has eius aliasq; quasdam sentẽtias, nonnulli veterum Doctorum coniectarunt, Platonem aut legisse sacros libros, aut ex Hebræorum sermonibus per Interpretem, sacram doctrinã cognouisse, dum peregrinaretur in Aegypto: tunc enim multi Hebræorum, Persis regnantibus, expulsi à patria, exulabant in Aegypto. Fuit autẽ Plato, vt acerrimo vir ingenio, ita flagrantissimo discendi studio. Hãc de Platone opinionem habuere Iustinus Martyr in Exhortatorio sermone ad gentes, & Eusebius libro 11. de præparatione Euangelica, cap. 6 & Augustinus item lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 11. Aristobulus porrò Iudæus, qui floruit temporibus Machabæorum, scribẽs ad Ptolemæum Philometora Aegypti regem, prodidit (referente Eusebio) Mosaica volumina, etiam ante imperiũ Alexandri Magni, & Persarum Monarchiã, ex hebræo sermone in græcum translata fuisse; & ex ijs permulta Pythagoram & Platonem accepisse. Idemq; Aristobulus (vt narrat Clemens lib. 5. Stromatũ) nõ dubitauit dicere, philosophiã Peripateticam ex lege Mosaica, & Prophetarum scriptis, magna ex parte, fuisse haustam. Quod nemini mirandum accidet, qui secum reputauerit, quod scribit Iosephus priori libro contra Apionem, & ab Eusebio commemoratur in lib. 9. de præparatione Euangelica, cap. 3. Ait enim, Clearchum Aristotelis discipulũ, & inter Peripateticos cumprimis nobilem in primo libro de Somno, inducere Aristotelem narrantem, se collocutum fuisse cum quodam Iudæo, viro sapiẽti, multaque de rebus naturalibus, & diuinis cum eo sermocinatum esse; verùm multò plura se ab illo didicisse, quàm ipse eum docuerit.

An Plato legerit sacros libros.

Iustinus Martyr. Eusebius. S. Augustinus.

Notabilis Aristobuli sententia.

Clemẽs Alexandrinus.

Peripatetica doctrina ex sacris literis hausta.

Iosephus. Clearchus Aristotelis discipulus.

BENE-

BENEDICTI PERERII IN CAPVT QVARTVM EXODI,

DISPVTATIONES NOVEM.

Moses impositam sibi à Deo legationem ad regem Aegypti, pro liberatione Hebræorum, multiplici tergiuersatione defugere conatus est. Denique eam accepit, tribus à Deo prodigijs confirmatus, fratreq́; suo Aaron ad societatem delati muneris adiuncto: proficiscens autem in Aegyptum, propè fuit vt in diuersorio occideretur ab Angelo, propter filium suum incircumcisum.

CAPVT QVARTVM EXODI.

RESPONDENS Moyses, ait: Nō credent mi- *Versu*
hi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non 1.
apparuit tibi Dominus. * Dixit ergo ad eum: Quid 2.
est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga.
* Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. 3.
Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses. * Dixit- 4.
que Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam
eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam. * Vt credant, 5.
inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum,
Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. * Dixitque Domi- 6.
nus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum
intulisset in sinum, protulit leprosam, instar niuis. * Retrahe, ait, 7.
manum tuam in sinum tuum: Retraxit, & protulit iterum, &
erat similis carni reliquæ. * Si non crediderint, inquit, tibi, neque 8.
audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.
* Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque au- 9.
dierint vocem tuam: Sume aquam, & effunde eam super ari-
dam, & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem. * Ait 10.
Moyses: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius
tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris &
tardioris linguæ sum. * Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os 11.
hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem 12.
& cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, do-
ceboque te quid loquaris.* Obsecro, inquit, Domine, mitte quem 13.

14. missurus es. * Iratus Dominus in Moysem, ait: Aarō frater tuus
Leuites, scio, quod eloquens sit: ecce ipse egredietur in occur-
15. sum tuum, vidensq; te lætabitur corde. * Loquere ad eum, &
pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore il-
16. lius, & ostendam vobis quid agere debeatis. * Ipse loquetur pro
te ad populum, & ipse erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ
17. ad Deum pertinent. * Virgam quoque hanc sume in manu tua,
18. in qua facturus es signa. * Abijt Moses, & reuersus est ad Iethro
socerum suum, dixitque ei: Vadam & reuertar ad fratres meos
in Aegyptum, vt videam si adhuc viuant. Cui ait Iethro: Vade
19. in pace. * Dixit ergo Dominus ad Moysem in Madian: Vade, &
reuertere in Aegyptum: Mortui sunt enim omnes qui quære-
20. bant animam tuam. * Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios
suos, & imposuit eos super asinum, reuersusq; est in Aegyptum,
21. portans virgam Dei in manu sua. * Dixitq; ei Dominus reuer-
tenti in Aegyptum: Vide vt omnia ostenta quæ posui in manu
tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius, & non di-
22. mittet populum. * Dicesq; ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius
23. meus primogenitus Israel. * Dixi tibi: Dimitte filium meum vt
seruiat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam fi-
24. lium tuum primogenitum. * Cumque esset in itinere, in diuer-
25. sorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. * Tulit il-
lico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium
filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mi-
26. hi es. * Et dimisit eum, postquam dixerat: Sponsus sanguinum
27. ob circumcisionem. * Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade
in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in mon
28. tem Dei, & osculatus est eum. * Narrauitque Moyses Aaron om
nia verba Domini, quibus miserat eum, & signa quæ man-
29. dauerat. * Veneruntque simul, & congregauerunt
30. cunctos seniores filiorum Israel. * Locutusque
est Aaron omnia verba, quæ dixerat Do-
minus ad Moysem: & fecit signa co-
ram populo, & credidit po-
pulus. Audieruntq; quod
visitasset Dominus
filios Israel,
& quod
respexisset afflictionem illo-
rum: & proni ado-
rauerunt.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Super tribus prodigijs exhibitis Mosi à Deo.

ET SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 2. vsque ad 10. Dixit ad eũ Dominus: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, virga. Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. Proiecit,& versa est in colubrũ, ita vt fugeret Moyses,& cætera quæ sequuntur.

1\. TRIBVS prodigijs voluit Deus certũ facere Mosẽ, & per ipsum, Hebræos, quod ipse misisset eum ad liberãdum populũ suum, eamq; liberationem feliciter successurã. Primum signum fuit, virga, quã manu tenebat Moses, conuersa in serpentẽ,& rursus in priorẽ virgæ naturã reducta. Alterum signũ fuit, manus Mosis in sinũ eius missa, & inde prolata quasi leprosa,& instar niuis: & rursus reposita in sinũ,& extracta qualis prius erat. Tertiũ signũ fuit, aqua fluminis in terram effusa,& in sanguinem commutata. Horum trium signorum historiam breuiter & concinnè enarrat Philo in primo libro de vita Mosis hunc in modũ scribens: Si tuis verbis noluerint credere, tribus prodigijs edocti, flectẽtur,quæ nemo antea vnquã vel vidit,vel audiuit. Erãt autem huiusmodi. Virgã,quã Moses habebat, in terram proijcere iussus est: ea mox animata reptabat, versa in draconẽ serpentũ principem. Moses tali mõstro territus, præ timore fugam parans, reuocatur,& à Deo confirmatus,iussus est caudam eius prehendere: quo facto, draco adhuc repens,ad tactum constitit, extẽsusq; in longum, denuo in baculũ versus est: mirante vtramq; mutationẽ Mose,& vix discernente, vtra esset horribilior; secutũ est confestim alterũ prodigium. Manũ iussus est in sinũ mittere,& inde paulò post retrahere: quæ cãdidior niue repẽtè apparuit; rursumq; condita in sinũ ac prolata, pristinã speciem,colorem q; natiuũ recepit. Hæc solus a solo discebat, tanquã à magistro discipulus, habens secũ instrumenta prodigiorum, manũ & baculum, quibus quasi viatico instructus est. Tertiũ prodigium nec circumferre secũ,nec exequi potuit, quod id reseruaretur Aegypto,non sanè prioribus minus horrendũ stupendumque: id tale fuit. Sume,inquit, aquam fluminis,& effunde in terram; eritq; sanguis cruentissimus,cũ colore mutans & cæteris aquæ virtutibus. Visum est hoc etiã signũ credibile Mosi, nõ solum propter certã auctoris fidẽ, verùm etiã propter præterita,manus, virgæq; miracula. *Philo.*

2\. Verùm super his tribus prodigijs quatuor explicandæ sunt quæstiones. Quarum prima hæc est: An Moses eo in loco tria illa signa expertus fuerit. Ac de prioribus quidem duobus non licet dubitare, cũ ea perspicuis verbis narret hoc loco Scriptura facta esse à Mose in solitudine, vbi Deus ei loquebatur. De tertio autẽ signo aquæ conuersæ in sanguinẽ, fortasse dubitari posset. Nam Iosephus lib. 2. Antiquitatum perspicuè scribit, Mosem tertium signum, similiter vt duo priora fecisse. Cum enim duorũ priorum signorum effectionem narrasset, de tertio signo hæc subdit: Iussus deinde aquam è propinquo haustã, humi effundere; videt eam in colorem sanguineum versam. Sic ille. Ex aduerso autẽ Philo, in libro primo de vita Mosis, ait, priora quidẽ duo signa Mosem illic fecisse; tertium autẽ signum reseruasse,in Aegypto faciendũ. Sic enim scribit: Tertium verò signum nec circumferre secum, nec prædiscere potuit Moses, quod faciẽdũ in Aegypto reseruaretur,& cætera,quę paulò supra cõmemorata sunt. Atq; hęc Philonis sentẽtia, multo quàm Iosephi, congruentior est narrationi diuinæ Scripturæ, ob idq; probabilior. In hoc enim loco apertè traditur, prima duo signa esse facta à Mose; de tertio autem signo nullũ fit verbum. Nimirum id fieri non poterat in eo loco: iubebat enim Deus aquam sumere ex flumine, id est, ex Nilo,qui longè aberat ab eo loco,vbi tunc erat Moses. Ergò priora duo signa & ante Moses fecit, cùm solus esset, iuxta montẽ Horeb; & postea in Aegypto co- *Prima quæstio, an Moses tria illa signa ibi fecerit.* *Iosephus.* *Philo.*

ram Hebræis: Tertium verò signum non nisi in Aegypto, & præsentibus Hebræis. Quibus signis Moses persuasus est à Deo, certusq; factus, Hebræos fidem verbis suis habituros, & legationem suā accepturos. Similiter Deus Gedeonem, quum creabat ducem & liberatorem populi, præmissis duobus signis valdè confirmauit, securumque reddidit prosperi exitus & successus.

Iudicū 6.

3. *Secunda quæstio, cur prima duo signa sint facta i virga & manu Mosis.*

Altera quæstio est, cur Deus illa signa dedit in manu, & virga Mosis? Facilis est responsio. Voluit Deus dari signa in rebus, quæ ibi aderant, & in promptu erant. Voluit item per manum significare ingentem potestatem operandi mira, quam daturus erat Mosi: Per virgam autem insinuauit dominationem, quam habiturus erat super Aegyptios, percutiendo, & puniendo eos: & quod supremam potestatem pascendi, & regendi, & corrigendi, & puniendi Hebræos, cum opus foret, habiturus esset. Voluit præterea Deus ea re prædocere nos, quibus rebus, qui confert se ad erudiendum & regēdum subditos, probare debeat à Deo se missum esse: nempè duabus rebus, virga, & manu: virga enim, significat legitimam potestatem, quam habet, & munus sibi legitimè iniunctum; Manus autem, significat bona opera, & præclarum vitæ exemplum.

4. *Tertia quæstio, quid il la signa secundū litteralē sensū significauerint.*

Tertia quæstio, Quem ad finem Deus illa signa fieri voluit, & cuius rei significandæ gratia. Primum dicamus de illorum signorum significatione historica, & litterali, tum dicemus de mystica. Rabbi Abraham Aben Esdra putat virga illa significatum esse regem Aegypti Pharaonem, qui à primo, cum Hebræi ingressi sunt Aegyptum, fuit virga mollis, & secundum voluntatem Ioseph, omnem in partem flexibilis: sed post mortem Ioseph conuersus est in draconem, insidiando Hebræis, atque eis exitium moliendo. Nomen verò draconis bellè quadrare in regē Aegypti, ostēdit Ezechiel cap 29. illis verbis: *Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, &c.* Sed in fine rursus est factus velut virga; non modò sinens Iudæos ex Aegypto abire; verum etiam compellens & cogens, celeriter, & festinanter discedere, vt infrà dicitur cap. 12. Sic ille Rabbinus.

AbenEsdras.

5. *Lyranus. Thostatus.*

Sed rationi magis consentaneum videtur, quod de istorum signorum significatione prodidit Lyranus, eumq; secutus Thostatus: Arbitratur enim illis tribus prodigijs denotari tres in Aegypto Hebræorum status. Etenim per primū signum virgæ in draconem conuersæ, & post, rursus in virgam reformatæ, significatus est status Hebręorum, cū ingressi sunt Aegyptum florente inibi Iosepho qui velut virgam tenebat, vniuersæ dominans Aegypto. Ad cuius rei confirmationem facit, quod in cap. 48. Genesis, vbi nostra translatio habet; *Adorauit Israel Dominum, conuersus ad lectuli caput:* Septuaginta vertetunt: *Adorauit Israel fastigium virgæ eius.* Ioseph videlicet. Virga hæc proiecta est in terram, cum post mortem Ioseph, Hebræi abiecti, & depressi sunt ab Aegyptijs ad opera terrea laterum, & luti, & virga in draconē versa est: nam quos prius amabant, & colebant, postea, vt draconem oderunt homines: ita Hebræos oderant Aegyptij & insectabantur, calumniando eos tanquam insidiarentur Aegyptijs, exitiumque machinatentur. Rursus virga redijt ad speciem & naturam suam: nam in fine eius afflictionis liberati ab Aegyptijs Hebræi, libertatem, & potentiam, & dominationem obtinuerunt.

6.

Alterum signū manus sanæ, & leprosæ, denotabat statum Iudæorum, postquam Moses suscepit curam liberandi eos. Hoc enim significat, manum inferri in sinum, id est, curam habere populi. Hac enim similitudine vsus est Deus loquens Mosi Numer. 11. *Porta eos,* inquit, *in sinu tuo, sicut nutrix portare solet infantulum in sinu suo.* Tunc autē, primò quidem Aegyptij, cum viderunt Mosem suscepisse patrocinium, & causam Hebræorum, vehementius irritati, atq; indignati, durius quàm antea, & acerbius eos affligebant, & vexabant. Quocirca dixerunt Mosi, & Aaron, vt traditur Exod. 5. *Videat Dominus, & iudicet: quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt nos occideret.* Et hoc significat manus, quę primò apparuit leprosa. Verùm Moses deniq; liberauit Hebræos illa seruitute, &

Locus Numer. ca. 11.

& saluos, multisq; bonis Aegyptiorum ornatos, ex Aegypto eduxit. Tertiũ signum aquæ in sanguinem conuersæ, significauit statum illum Hebræorum, in
Exodi 1. quo crudelitas Pharaonis vsque eò processit, vt infantes eorũ iuberet in flumen proijci, atque ibi perire. Deus igitur signo illo aquæ fluminis mutatæ in sanguinem, portendit vindicaturum se sanguinem infantium Hebræorũ, qui ab Aegyptijs in flumine crudeliter fuerãt occisi. Atque hæc est illorum trium signorum secundum litteralem sensum expositio.

7. *Quarta quæstio.* Quarta quæstio est, Quid illa prodigia præfigurarunt secundum mysticam expositionem atque intelligentiã? S. Au-
Expositio illorũ signorũ mystica. gustinus in sermone 86. de tempore, interpretatur primum signum factum in virga, de cruce Christi; hunc enim in
S. Augustinus. modum scribit: Virga illa, fratres carissimi, Crucis mysterium præferebat. Sicut enim per virgam Aegyptus decẽ plagis percutitur; ita per crucẽ Domini, totus mundus humiliatur, & vincitur. Et sicut Pharao & populus eius per virgæ Sacramentum affligitur, vt ad seruiendum Deo, dimittat populum Hebreum; ita & Diabolus & Angeli eius, per Crucis mysterium constringuntur & premuntur, vt à Dei seruitio reuocare nõ possint populum Christianorum. Quod autẽ virga proiecta in terram versa est in serpẽtem, quid significet, videamus. Serpens pro sapientia sumitur in Euangelio, di-
Matth. 10. cente Domino: *Estote prudentes sicut serpentes*. Et virga quidem Mosis, vt suprà diximus, crucem Domini signauit. Crux ergo, quæ infidelibus stultitia esse creditur, sicut dixit Apostolus, *Gentibus autẽ stultitia*, posteaquam in terrã missa est, id est, ad passionem & mortem Domini adhibita, versa est in serpentem, hoc est, in sapientiam; & in tantam sapientiam, quæ omnem mundi huius sapientiã deuoraret: sicut ille omnes serpẽtes, quos Magi incantationibus suis fecerant, deglutiuit. Per virgam itaque flagellatur Aegyptus; & per Crucem mundus vincitur, & Diabolus superatur. Alterum porrò signum, manus primũm leprosæ, tum mundæ, interpretatur ibidem Augustinus, de Synagoga, & Ecclesia Christi. Quod autem, inquit, misit manum suam Moses in sinum suum, & protulit leprosam, & iterum misit, & protulit sanam, & carni reliquæ similem, nõ otiosè debemus accipere. In manu illa typus Synagogæ, vel Ecclesiæ gerebatur. Sicut prior fuit populus Iudæorum, posterior autem, Gentium: ita prior fuit Synagoga, quàm Ecclesia. Sed quia Ecclesia eligitur, & Synagoga repudiatur, ideò primùm manus Mosis leprosa efficitur, & postea carni reliquæ similis redditur: sic etiam Synagoga, propter infidelitatem, tanquã leprosa relinquitur; Ecclesia verò, quasi manus sana, ad omne opus apta eligitur. Sic Augustinus.

Theodoretus signum virgæ interpretatur de Pharaone, sed meo iudicio duriusculè: videat ipsum Lector, si lubet, in 8. *Theodoretus.*
Quæstione nona in Exodum: nam ego non duxi operæpretium, verba eius hîc referre. Alterum signum manus leprosæ, ac mundæ, aptius exponit tum de Hebræis, tum de ipso Mose, ita scribens in quęst. 10. Quid significat, quod manus Mosis, reddita est leprosa? Familia Iacob in pietate educata, profecta est in Aegyptum: sed illic impietatem Aegyptiorũ didicit, & quasi leprosa est facta; liberata verò ab Aegyptiorũ seruitute, rursus verum Deum omnium agnouit & coluit, tanquam pristinæ animi sanitati restituta. Dextera porro Mosis, quæ admiranda in Aegypto prodigia perpetratura erat, facta prius est leprosa, & postea diuinis miraculis inseruiuit, & elemẽta mutauit. Quæ res Mosem etiam admonuit, non debere ipsum superbire, sed agnoscere naturæ suæ humilitatem; perpetuam habens recordationem dexteræ suæ, lepra prius infectæ. Hæc Theodoretus.

Rupertus primum signum accommodat ad incarnationem, & passionẽ Christi Domini; secundum autem, & tertium, ad Synagogam. Sic enim scribit 9. *Rupertus.*
in libro primo Commentariorum in Exodum, capite 17. Quid virga illa, nisi humanitatem Christi significat, quæ de radice Iesse sumpta est? Quæ tunc veraciter in terram proiecta est, & in colubrum versa, ita vt fugeret Moses; quando Filius Dei per assumptionem humanitatis in terras descẽdere, & mortem subire dignatus est, ita vt in eum credere carnalis Israël refugeret. Sed

coluber apprehensus in cauda, rursus vertitur in virgam: quia Christus postquam de eo omnia consummata sunt, qui mortuus fuerat, iterum redijt ad vitam. Et benè per colubrum mors Christi præfigurata est, quia per astutiam colubri, mors accidit humano generi, quã in corpore suo Christus veraciter suscepit. Moses igitur caudam colubri apprehendit, & coluber in virgam redijt: quia fides electorum, passionem & mortem Christi subsecuta est. Qui resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sed post hoc expauit Moses & fugit: quia pars maxima Iudaicæ gentis, audita resurrectione Christi, & miraculis Discipulorum eius, expauit; sed à Deo tamen resilijt, & credere in eum refugit. Post deinde videamus, quo modo manus Mosis leprosa significauerit Synagogam. Nempe, manus protracta de sinu, Synagoga est, à gratia Dei proiecta. Ex quo enim latus Saluatoris sui, lancea rupit, retracta est manus illa de sinu eius, peccatorum suorum lepra candente perfusa. Quod Propheta longè præuidens gemebundus ait: *Vt quid auertis manum tuã, & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* Ecce videmus populum illum à castris Dei segregatum, haud dubiè, ad arbitrium summi sacerdotis, lepræ condemnatum; habentem vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, clamantem, id est, diffiteri non valentẽ, contaminatum se ac sordidum. Nuda est lepra, facies autem velamine perfidiæ contecta. His duobus signis attestantibus, quisquis non credit, quod, qui mittendus erat, iam venerit, isque sit Iesus Christus, qui solus à Pharaone spirituali, id est, Diabolo liberare nos poterit; restat, vt tertium contra illum impleatur signum, & quicquid hauserit de fluuio, vertatur in sanguinem; id est, quicquid attingere tentauerit de Scripturarum fluentis, necessariò malè intelligat, ad suam vtique damnationem. Verùm denique fiet, vt manus eadem in sinum gratiæ recondita, & prolata, iterum similis sit carni reliquæ. Cum enim plenitudo Gentium subintrauerit, tunc omnis Israël saluus erit. Hactenus ex Ruperto.

Genes. 3. *Ad Rom. 6* *Ioann. 19.* *Locus Psal. 73.* *Leuit. 13.* *Ad Rom. 11.*

10. *Auctoris mystica illorũ signorum expositio.* Præterea posset primum signum hoc etiam modo exponi: Virga, quæ & recta est, & non rarò in Scriptura significat principatum & dominationem, demonstrauit nobilem conditionẽ humanæ naturæ, cum est à Deo condita. Tunc enim summa erat rectitudine prædita; nam & corpus animæ, & anima spiritui, & spiritus Deo vsquequaque subiecta erant: in quo potissimum rectitudo hominis versatur. Itaque verissimum est, quod dixit Salomon: *Fecit Deus hominem rectum.* Ad hanc rectitudinem insuper adiunxit principatum & imperium in omnes animantes, sicut ipse Deus dixit: *Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra.* Virgam Moses in manu sua habebat: & in principio fuit homo in manu Dei, id est, sub præcipua quadã eximiaq; eius cura & protectione. Virga Mosis proiecta est in terram; dictum enim homini est post peccatum à Deo: *Terra es, & in terram reuerteris.* Ex peccato enim illo contraxit homo auersionẽ quandam à Deo, & conuersionẽ ad cupiditates, & curas rerum terrenarũ. Virga Mosis conuersa est in serpentem: & homo propter peccatũ, quia serpẽti assensus est, & ab eo seductus & corruptus, etiã similis ei quodammodo factus est. Et sicut serpens habet ingenitum & natiuum venenũ; ita nos ab Adamo venenum peccati originalis per naturalẽ generationem contrahimus. Serpens etiam humi serpit, & terrã comedit; & homo propter peccatũ, ad res terrenas abiectus est, & earum amore pascitur, & in earũ curis volutatur: Moses serpẽtem apprehendit in cauda: Christus humanam naturam assumpsit in extrema mũdi ætate. Et quia serpentis venenum in capite est, non in cauda: Christus humanam naturam sine veneno peccati assumpsit. Serpens reducitur in virgam; quia natura humana per Christi incarnationem, non modò in pristinam dignitatẽ, sed in ampliorem etiam atque præstantiorem restituta est.

Ecclesiastæ 7. *Genes. 1.* *Genes. 3.*

11. Alterum porrò signum, manus leprosæ & mundæ, præfigurauit incarnationẽ Domini nostri: is enim sæpè in Scriptura vocabulo manus & brachij, & dexteræ Dei denotatur; per quam scilicet manum

Ioann. 1. manum Deus omnia facit. Omnia enim per ipsum facta sunt,& sine ipso factum est nihil. Hæc manus ab æterno fuit in sinu Patris, æqualem cũ eo gloriam habens. Extracta verò est foras, cum factus homo descendit in terras:& tũc facta est leprosa, propter innumerabiles labores, ærumnasque, ac dolores, quibus humanitas eius afflictata est pro nobis. Isaiam audi disertè hoc vaticinantem: *Vidimus eum despectum,& nouissimum virorũ, virũ dolorum,& scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius & despectus; vnde nec reputauimus eũ: & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Sed rursus eadem manus retracta in sinum, pristinam speciem recepit; Sic Christus in resurrectione,& ascẽsione, sessioneque ad dexteram Patris, gloriosus apparuit. De significatione tertij signi dicemus infrà, cum exponemus primam plagam.

Locus Isaiæ 53.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 10. Obsecro Domine, non sũ eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.

12. Exponamus primùm varietatem lectionis huius loci. Latina translatio habet ea verba, quę in titulo huius quæstionis posita sunt. In quibus aduertendum est, imperfectã esse orationem, & quasi suspensam esse sententiam: quæ vt plena sit & perfecta, supplendum est illud; *Obsecro Domine, ne mittas me legatum ad Pharaonem & ad Hebræos, quia non sum eloquens, sed impeditioris & tardioris lingua sum.* Hebraica lectio huius loci est huiusmodi: *Obsecro Domine, non vir verborum ego sum: etiam ab heri, etiam à nudiustertius, etiam ex nunc quo locutus es ad seruum tuum: quia grauis ore,& grauis lingua sum.* Paraphrasis Chaldaica ita vertit hunc locum: *Non vir sermonum ego sum, etiam ab heri & nudiustertius; sed & à tempore quo locutus es eum seruo tuo: quoniam grauis loquela profundaq; lingua ego sum.* Græca translatio editionis Romanæ talem habet huius loci sententiam latinè redditam; *Precor Domine: non sum idoneus ante hesternam, neque ante nudiustertianam diem; neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo; gracili voce & tarda lingua ego sum.* Pro illa voce, idoneus, græcè est ἱκανὸς, quod sonat idoneum & sufficientem,& dignum, vt legit Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 10. In alijs vetustis libris græcis est εὔλογος, id est, eloquens: sic legit Philo in libro, Quod deterius meliori insidiatur; sic etiam legit Augustinus quæst. 7. in Exodum: cui lectioni affinis est versio Symmachi, quæ habet εὔλαλος, id est, disert', vel benè loquẽs, sicut habet etiam Complutensis. Aquila vertit, sicut est Hebraicè: *Non sum vir verborum.* Philo hunc locum enarrat ad eam sententiam, quã reddit partim Græca, partim Latina translatio, ita scribens in libro primo de vita Mosis: Deprecabatur Moses eius, quam sibi Deus imponere volebat legationis functionem, causatus exilitatem vocis, & linguæ tarditatem negansque sibi adesse facundiam, præsertim postquam Deum loquentem audierat. Ratus enim mutam esse humanam eloquentiam cum diuina veritate collatam, & verecundo præditus ingenio, subtrahebat se grauiori, vt putabat, viribus suis oneri, rogabatque vt alius eligeretur ad exequenda mandata magis idoneus. Deus pudore viri delectatus, respondit: An nescis quis homini os dederit, & linguam indiderit; quis guttur, cæteraque vocis rationalis instrumenta fecerit? Ego sum, noli timere: meo nutu articulatè differes omnia, facundia mutata in melius, & vsque proficiente: nec aliter, absque impedimento, fluente, & cogitationes promente, quàm fontes manant limpidissimi. Sic Philo.

S. Ambr.

S. August.

Philo.

13. Ex supradicta porrò lectionum huius loci varietate conijcere licet, quinque fuisse Mosis, circa linguam, & sermonem, vitia, siue defectus appellare mauis. Primò enim erat, vt vulgò dicitur, homo paucorum verborum; id autẽ est, dicendi ieiunus & inops: hoc enim indicat lectio Hebraica & Chaldaica, faciẽs Mosem dicentem, se non esse virum sermonis, vel verborum. Tum, erat rudi, & incon-

Quinque Mosis defectus in lingua & sermone.

& incondito, & ineleganti sermone: quod significat Latina lectio, secundum quam Moses dixit; *Non sum eloquens*, idq́, habent etiam vetusti codices Græci, vt suprà dictum est. Deinde erat tardus ad loquendum, non promptè verba proferens: quod signarunt Latinus & Græcus interpretes, dicentes, fuisse eum tardum lingua: & textus Hebraicus dicit, eum, graui ore: & Paraphrasis Chaldaica vocat eum, hominem, profundæ linguæ. Præterea erat gracili admodum exiliq́ue voce: quod expressè habet græca translatio. Adhæc, non rectè pronunciabat, nec bene proferebat aliquas literas seu voces: quod Latinus interpres ostendit, dicens eum fuisse impeditioris linguæ. Propter hos verò defectus linguæ ac sermonis, Moses postea, vt traditur infrà capite sexto, vocauit se incircūcisum labijs. Cæterùm quis non admiretur humilitatem Mosis, qui tā ingenuè atque humiliter suos ipse defectus, suaque vitia omnia manifestat; ob eaq; existimat indignum se ac minimè idoneum esse functioni tam honorificæ legationis, quam ei Deus iniungebat? Non sic profectò faciunt plerique: qui, quo expeditius atque facilius honores & dignitates, quas immodicè cōcupiscunt, quoquo modo assequantur; & virtutes simulant, & dissimulant vitia.

Admiranda ingenuitas atq; humilitas Mosis.

14. Sed quo modo fuerit Moses ineloquens, & tardus, atq; impeditus lingua, naturaliterne, an ex accidenti, distinctius, expressiusq; declarandum est. Hugo S. Victoris in expositione Exodi refert quorundam opinionē, qui dixerunt, quoniam illa Dei mandata exponenda erāt Pharaoni lingua Aegyptiaca, quam Moses iam fuerat oblitus, vtpote extra Aegyptum quadraginta annos moratus in terra Madian. idcirco dixisse eum, se non esse eloquentem, in lingua videlicet Aegyptiaca. Sedenim, non est verisimile, linguam Aegyptiacam, quam Moses ab infantia didicerat, & in aula regia educatus, diuq; versatus optimè nouerat, atque eam per quadraginta fermè annos exercuerat; obliuisci eum potuisse. Quid, quod Moses simpliciter & absolutè, atque in vniuersum, & non tantum in lingua Aegyptiaca, dixit se rudē, & impeditum sermone fuisse? Nonnulli Hebræorum tradunt, Mosem, cum esset trium annorum, & oblatus esset Pharaonī, eius diadema sibi ab eo impositū deiecisse in terram, & pedibus conculcasse: idque pro omine pessimo esse acceptum. Cumque filia regis id attribuisset inscitiæ infantili; de consilio & sententia cuiusdam sapientis & vatis, prunę ardentes sūt eius ori appositæ; vt si eas repelleret, scienter factum illud fuisse ab eo existimaretur: sin autem ore acciperet, infantili tribueretur imprudentiæ. Ille porrò prunas ore accepit, nec aliud sensit detrimentum, quàm extremæ partis linguę adustionem: ex quo factum illi putant, vt postea clarè & expeditè loqui nō posset. Verùm hoc, inter solitas Hebræorum nugas & figmenta referri potest. Arbitrantur nonnulli, Mosem his verbis nō significasse imperitiam sermonis, sed gracilitatem vocis & vitium pronuntiationis, & naturalia quædam impedimenta, quibus prohibebatur clarè & expressè loqui, vel aliqua verba Aegyptiaca, rectè pronuntiare: vitiosa autem, & absona, & absurda pronuntiatio, & vocis exilitas atque insuauitas, futuro apud regem legato, maximisq; de rebus acturo, indecora videbatur. Et hęc interpretatio satis est probabilis.

Varia expositiones circa defectū & impedimentū linguæ Mosis.

Hugo S. Victoris.

Hebræorū Traditio.

Sed communis est multorum sententia, Mosem nec fuisse naturaliter lingua tardum atque impeditum, nec loquendi inscium, & infacundum, imò verò disertum valde atque eloquentem: sed postquam cœpit cum Deo colloqui, ex comparatione diuinæ sapientiæ & eloquentiæ, visum sibi esse se infantem & mutum. Hanc sententiam tractat Origenes Homilia 3. in Exodum, & fusè B. Gregorius Homilia 8. in Ezechielem. Sic profectò est: In conspectu Dei Abraham dixit: *Cinis & puluis ego sum*: Hieremias: *A, a, a, Domine, nescio loqui*: Isaias: *Vir pollutus labijs ego sum*: Dauid: *Vt iumentum factus sum apud te: & substantia mea tanquam nihilum ante te*. Iob: *Luna non splendet, & stella nō sunt munda in cōspectu eius*. Fundamentum illius opinionis, præcipuum esse videtur, quod Moses non dixit simpliciter & absolutè, se nō esse eloquentem, & esse tardum, atque impeditum lingua; sed id restrinxit ad triduū, dicens se ab heri & nudiustertius non fuisse

15. *Sententia multorum.*

Origenes.

D. Gregor.

Genes. 18.

Hierem. 1.

Psalm. 71.

Iob 25.

fuiſſe eloquentem; non obſcurè ſignificās, eo triduo, quo durauit apparitio illa Dei, & ſermo inter Deū, & ipſum vltro citroque habitus, propter admirationē, & venerationem diuinæ Maieſtatis, ſe viſum ſibi fuiſſe imperitum ſermonis, & tardum atque impeditum lingua. Itaq; illud *ab heri & nudiuſtertius* idem eſt, atque, hoc triduo, quo tecum Domine locutus ſum. Et quod adiungitur: *Ex quo locutus es ad ſeruum tuum*, idem ſignificat quod prius, & eſt prioris dicti expoſitio.

Rupertus. Audiat Lector Rupertum in primo libro Commentariorum ſuorum in Exodum, cap. 18. hoc ipſum quod diximuſ, affirmantem, atque confirmantē his verbis: Claret ex iſto, quia cuncta hæc non vno die dicta, vel acta ſunt, ex eo videlicet, quod ait; *Ab heri & nudiuſtertius*. Nempe nudiuſtertius idem eſt, ac ſi dicas. Nunc dies eſt tertius. *Ex quo*, inquit, *locutus es ad ſeruum tuum*, ac ſi diceret; Antequam loquereris ad ſeruum tuum, videbar mihi eloquēs, & velocis linguę, & expeditæ: nunc autem ex quo loqui cœpiſti, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi, hoc de me didici, & ſenſi, quod eloquens non ſim, neque tam expeditæ linguæ, vt ea, quæ nunc agenda intelligo, dignè valeam coram hominibus eloqui. Moſes namq; Propheta eſſe incipiens, & illa intus flāma illuſtratus, quā foris viderat, tanta ſibi imponi myſteria ſentiebat, quantis adminiſtrādis indignū ſe & imparem rectè ac laudabiliter iudicare poterat. Hæc Rupertus.

16. Quid ſignificet in Scriptura, heri & nudiustertius & item cras. At enim verò, fundamentum quo maximè nititur & fulcitur iſta opinio, non ſatis firmum videtur: ait enim, illud; *ab heri & nudiuſtertius*, ſignificare triduum præteritum: quod non omninò tamen verum eſt. Interdum quidem ſignificat triduum præteritum, vt videre licet in primo Regum, cap. 21. in illis verbis Dauid: *Si de mulieribus agitur; continuimus nos ab heri & nudiuſtertius*. Sed plurimū, ſignificat indefinitè tempus præteritum, idem valens atque (antea) vel toto tempore præterito, vſque ad hanc diem. Vt Geneſ 31. *Animaduertit Iacob faciem Laban, quod non eſſet erga ſe ſicut heri & nudiuſtertius*. Et Exodi 21. *Si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiuſtertius*. Et Deuteron. 19. *Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullū cōtra eum habuiſſe odium comprobatur*. Similiter etiam vox *Cras* non ſemper ſignificat diem craſtinum, ſed aliquando indefinitè ſignificat tempus futurū, vt Gen. 30. *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te*. Et Exodi 13. *Cùm interrogauerit te filius tuus cras, dicens, Quid eſt hoc? &c.* Vide etiam Deuteronomij 6. & Ioſue 4. Conſimili ratione aduerbium *heri* nō ſemper ſignificat diem heſternum, ſed aliquando totum tempus præteritum. Apoſtolus quippe ad Hebræos 13. demonſtrare volens æternitatem Chriſti, ratione diuinæ perſonę, ait; *Ieſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſecula*. Præterea iſta opinio hoc validiſſimè refellitur argumento. Si ſermonis & linguæ impedimentū illud, quod cauſatus eſt Moſes, non fuit ei naturale, ſed accidentale propter triduanam illam apparitionem & collocutionem Dei, ceſſaſſet poſtea illud impedimētum linguę, & Moſes fuiſſet diſertus & facundus ſicut antea fuerat: at contrarium ex ipſa Scriptura colligitur. Nam poſtea Moſes, vt traditur infra Exodi 6. vocauit ſe incircumciſum labijs. Et ad ſupplendam eius infacundiam, & linguę ac ſermonis defectū, adiunxit ei Deus ſocium legationis Aaron, virum ſcilicet eloquētem, vt ipſe pro eo loqueretur ad populum.

17. Auctoris ſententia. Videtur igitur ſimilius vero, Moſem naturali aliquo vitio, ac defectu linguæ, vel ſermonis antea laboraſſe, ſicut manifeſtè indicat lectio Hebraica, & Græca, & Chaldaica: quale autem fuerit illud vitium linguæ & ſermonis Moſis, & an vnum & ſimplex, an multiplex, ſupra expoſitum eſt. Ad hanc porrò ſententiam aptari cōmodiſſimè poteſt etiam lectio latina. Namque illud: *Ab heri & nudiuſtertius*, ſignificat defectum illū non fuiſſe temporarium & accidentarium, ſed fuiſſe antiquum & naturalem. Illud autem: *Et ex quo locutus es cum ſeruo tuo* ſic exponitur. Significat ſuum illud impedimentum non fuiſſe ſublatum propter colloquium & ſermonē Dei, qui tamen diſertas facit linguas infantium. Vel ſignificat, propter illam Dei viſionem & collocutionem, magis etiam auctū fuiſſe defectum illum. Secundam expoſitionem ſequitur Auguſtinus in quæſtione ſeptima Sap. 14. S. Auguſt.

septima in Exodum, hæc scribens: Credidit Moses, se fieri potuisse, Dei voluntate, subitò eloquentem, cum dixit: *Neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*: tanquam ostendens fieri potuisse, vt qui antea eloquens non fuisset, repentè fieret eloquens, ex quo cum illo Dominus loqui cœpisset. Sic Augustinus. Iam verò illud: *Tardioris & imperitioris lingua sum*: dupliciter potest intelligi: vel vt comparatiuum positū sit pro positiuo, sicut fieri solet in Scriptura: præsertim verò cum verba illa nec Hebraicè, nec Græcè, nec Chaldaicè vim & significationē habeant comparationis. Vel si cōparatiuè sumantur, significatur naturalem linguę tarditatem & vitium Mosis, fuisse auctum ex visione & colloquio Dei; propter summā videlicet diuinæ Maiestatis admirationem & reuerentiam Mosis.

18. *Cur Moses indisertus & rudis sermone electus à Deo fuerit. Theodoret.* Cæterū quærat aliquis, cur Deus, qui Mose vsurus erat ad tantæ legationis functionem, voluit eum voce gracili, impedita lingua, & rudi sermone præditū esse? Ad hoc respondet Theodoretus, diuino id esse factum consilio; vt prodigia & miracula, quæ Moses erat facturus, & admiranda Hebræorū liberatio, nō Mosis eloquentiæ, sed Dei solius potentiæ tribueretur. Qua etiā de causa Christus

1. Corin. 1. Dñs Apostolos futuros Ecclesiæ fundatores, doctoresq; hominum, elegit piscatores, vt mundus intelligeret, quod stultum est Dei, sapientius esse cūctis hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius esse omnibus hominibus. Verba Theodoreti hæc sunt: Cum Deus ministerio esset vsurus Mosis, cur eum exilis vocis, & tardioris linguæ fecit? Quoniā illud potentiam Dei magis illustrabat. Quemadmodum enim piscatores, publicanos, & cerdones, veritatis prædicatores, & doctores pietatis creauit: sic per vocem infirmam, & linguam tardā, confudit sapiētes Aegypti. Hæc Theodoretus. Adijce, quod si Moses ad omnia sibi ipsi sufficiens & idoneus fuisset, nec alienæ indiguisset opis, periculum fuisset ne philautia captus, per animi elationem, incideret in superbiam: ad eius itaq; mētem in modestia & humilitate custodiendam, vtile fuit, vt indisertus, & impeditus lingua esset, atque alienæ indigeret præsidio eloquentiæ.

19. *De duplici eloquētia.* Illud verò aduertendum est hoc loco, duplicem esse eloquentiam. Altera est humana, in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis consistens, qua homines vtuntur cum hominibus. Altera eloquētia est interior, & spiritualis, cuius homini est vsus cum Deo, & Angelis, & contra Dæmones: qua quidem, sanctimonia præstantes ac perfecti viri, maximè pollent: quippe qui in persuadēdo quod volunt, &, vel ipsum etiā Deum adducendo ad id, quod optant, præpotentes, atq; efficaces sunt. Huius eloquētiæ vim, atq; efficacitatem in Mose fuisse insignem & admirabilem, satis apertè demōstrat Scriptura cum alibi, tum præcipuè in libro Exodi, c. 32. Nam cùm Deus, propter crimē adorati vituli, infensissimus esset Hebræis, eosque delere vellet; opposuit se Moses, & oratione sua placauit Deū, & ad ignoscendum Hebræis adduxit. *Cerno* inquit Deus, *quod populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam.* Moses autem orabat Dominum Deum suū, dicens: *Cur Domine irascitur furor tuus cōtra populum tuum, quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Aegyptij: Callidè eduxit eos vt interficeret in montibus, et deleret de terra. Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorū tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicēs: Multiplicabo semē vestrum sicut stellas cæli; & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam sēper. Placatusq; est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* *Quāta Mosis eloquentia.* Illud prætereа obseruandū est, Deū Mosi, viro sapienti, socium dedisse Aarō, virū eloquentē: ex quo intelligitur, coniunctionem eloquentiæ cū diuina sapientia, laudabilē esse vtileque, & Deo acceptam, & frugiferā hominibus: sit modò eloquentia nō vana, & futilis, & fucata; sed verę sapiētię fida interpres, & fraterno cū ea amore coniuncta; & illa sit tanquā mens, hæc tanquā os & lingua: Illa, Dei consilia cognoscat; hęc hoībus enūciet: illa, accipiat à Deo mandata, ab hominibus peragenda; hęc apud homines, quæ agenda sunt, & quemadmodum agi oporteat, eloquatur. *Eloquētia debet esse socia sapiētia.*

TERTIA

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 13. Obſecro domine mitte quem miſſurus es.

20. GRæca translatio huius loci hanc Latinè reddit ſententiam: *Precor Domine elige alium, qui poſſit, quem mittas.* Chaldaica paraphraſis ſic habet: *Mitte nunc per manum illius qui dignus eſt, vt mittatur.* Ex Hebræo ſic vertit Pagninus: *Mitte per manum illius, quem mittes.* *Oleaſter.* Sed Oleaſter hebræa, ad verbũ, ſic vertit: *Mi Domine, mitte nunc, aut quaſo, in manu mittes.* Et ſubdit ipſe; Sic eſt ad verbum, in hebræo. Et ſenſus eſt, In manu alterius, quẽ volueris mittere: quoniam ego non ſum eloquens, neque idoneus ad hanc legationem. Eſt autem hebraiſmus: *Mittere in manu, aut per manũ.* ſignificans mittere per aliquem, quaſi per inſtrumentum idoneum ad illud opus efficiendum: quia manus eſt inſtrumentum ad omne opus: &, vt dicunt Philoſophi, eſt inſtrumentum inſtrumentorum. Sic Oleaſter. Hanc etiam lectionem hebraicam *Caietanus.* ſequitur Caietanus, & ſic interpretatur. Cũ Moſes quatuor obiectiones ſeu excuſationes attuliſſet Deo, ne mitteretur ab eo legatus ad liberationẽ Hebræorum; primũm ex inhabilitate, atque imparitate ſua ad tantum munus; ſecũdam ex ignoto nomine Dei; tertiam ex futura incredulitate Hebræorum, & quartam ex ſua infacundia, & impedimento: cumq; videret huiuſmodi excuſationes non acceptari à Deo, conuertit denique ſe ad humiliter ſupplicandum, vt non ſe mitteret, ſed alium; non quidem hunc, vel illum definitè, ſed quemcunq; Deus eligeret mittendum. Itaque ſupplicatio hæc Moſis principaliter tendit ad hoc, ne ipſe mittatur: verum ne videatur impedimentum petere tanti boni, id eſt, liberationis populi, format ſupplicationẽ petendo, vt mittat Deus alium ſibi bene placentem. Hæc Caietanus. Noſtræ autem Latinæ lectionis: *Mitte quem miſſurus es:* hic eſt ſenſus. Dummodo non mittas me, qui ſum maximè indignus, minimeq; idoneus tãto muneri; mitte Domine, quemcunque alium ipſe volueris, qui munere illo dignè pfecteq; fungi queat.

21. *Lyranus.* Lyranus exiſtimat, Moſem illis verbis poſtulaſſe, vt Deus potius mitteret fratrem ſuum Aarõ; quippe, qui tum ſenior eſſet, quàm ipſe, tum eloquentior; ob idque tam auctoritate, quàm facultate dignior & aptior. *Rabbi Salomon.* Rabbi Salomon ait, reuelatum eſſe Moſi à Deo, ipſum quidem eductũ Hebræos ex Aegypto, non tamen introducturum eos in terram Chanaan; verùm poſt eius mortem hoc effecturum Ioſue: Petijſſe igitur à Deo putat Moſem, vt quem poſtea miſſurus eſſet Deus ad introducẽdum populum in terram promiſsionis, eũ quoque tunc mitteret ad eundem populum ex Aegypto educendum. Sed huiuſmodi interpretationes à ſententia verborum Scripturæ, atque à conſilio Moſis, alienæ ac remotæ videntur.

22. Non pauci veterum Doctorum tradiderunt, Moſem illis verbis expetijſſe à Deo, & poſtulaſſe aduentum Meſsiæ. Hunc enim ipſe nouerat tum ex priuata reuelatione ſibi facta, tum ex Dei promiſsis Abrahæ & Iacob datis, venturum in mundum, vt populum Dei à malis omnibus liberaret æterniſque bonis afficeret. Moſes itaque petijt, vt Meſsiam illum, quem aliquando miſſurus erat, tũc potius mitteret ad hanc populi liberationem perficiendam. Sic hunc locum complures Patrũ expoſuerunt: ſed præcipuè Iuſtinus Martyr, & Tertullianus, & Cyprianus, & Euſebius in his, quæ ſcripſerunt aduerſus Iudæos. & Baſilius in capite 6. Iſaiæ ſuper illis verbis: *Ecce ego, mitte me.* Horum ſententiæ adſtipulatur Rupertus, itidemque locum hunc interpretans, cum memoraſſet illa verba: *Mitte quem miſſurus es,* ſubdit: Tandem nobis aperuit quid vellet, & quo tenderet toties excuſando ſe Moſes. *Mitte,* inquit, *Domine, quem miſſurus es.* Quẽ enim Dominus miſſurus erat, cum hęc ille diceret, niſi eum, qui iam nunc miſſus eſt? & quem Iacob annuntiauerat, expectationem fore Gentium, & deſiderium collium æternorum? *Geneſ. 49.* Non igitur ex diffidẽtia, ſalutari imperio miniſtrare recuſabat; ſed ſciens quod miniſterium ſuũ nihil ad perfectũ duceret; audebat vrgere Dominum,

Iuſtinus Martyr. Tertull. Cyprianus. Euſebius. Baſilius. Rup. lib. 1. in Exodũ, cap. 18.

Dominum, vt mitteret eum, qui mittendus, & perfectam salutẽ operaturus erat. Et adiungit Scriptura: *Iratus est Dominus in Mosem.* Multum quippe irasci visus est, quia tenerum pietatis desiderium valde afflixit in eo, quod ad postulata non respondit. Nimirum, præ ira humano generi debita, Christum suum differens, de illo siluit, & alia pro aliis dixit. Iratus est itaque Mosi, id est, non ita propitius ei fuit, vt differret implere desiderium obsecrantis & dicentis; *Mitte quem missurus es*, aut saltem diceret ei: *Mittam post tot annos, vel illo tempore*: arbitratus vtique indignum eum scire tempora vel momenta, quæ ipse posuisset in sua potestate. Hactenus ex Ruperto.

23. *Thostatus.* At enim, hanc multorum & nobilium Auctorum interpretationem Thostatus hoc refellit argumento. si Moses, inquit, petiisset a Deo missionem & aduentum Messiæ, proculdubio aliquid ei Deus super ea petitione respondisset: nihil autem respondisse eum legimus. Sed ista obiectio, infirma, & leuis est. Propterea enim nihil super ea re Deus respondit Mosi, quòd talis petitio intempestiua esset, ac nimis præcox: missurus enim Deus erat Messiam, verùm non eo tempore, sed multa post secula: sic enim & decebat magis, & expediebat. Sed vehementius in illos Auctores inuehitur Eugubinus, inscitiæ ac superstitionis arguere non dubitans eos, qui verba ista Mosis referunt ad Messiam: affirmans, non modò eos talibus interpretamentis non illustrare Christianam religionem & disciplinam, sed magis etiam infuscare, simulque suam prodere inscitiam & superstitionem. Propria eius verba hîc adscribam; Quidam, inquit, verba hæc Mosis referunt ad Saluatorem nostrum. Dicam ingenuè quod sentio: nõ faciunt piè, sed magis superstitiosè: hoc enim est extorquere diuinas literas. Medium iter sumendum est: & Messiæ tribuenda sunt, quæ eius sunt; & quæ aliorũ sunt, aliis. Quæ res si confundatur, fieri sine maximo flagitio non poterit. Qui enim, quod in sacris litteris de Messia scribitur, id ad alias personas detorquet; is profectò & impius est, & malignos Iudæos imitatur. Qui verò, quæ de aliis dicuntur, ea tribuere vult Messiæ; is profectò in eorum referendus est numerũ; qui superstitiosi sunt, & imperitè sacras litteras interpretantur. Hæc tamen dico, vt sẽper recipiamus & approbemus quicquid diuini scriptores prodiderunt, ne quorundam stultam & barbaram audaciam imitemur. Sic Eugubinus.

Eugubinus in recognitione Pentateuchi super hoc loco Exodi.

24. *Iusta reprehensio Eugubini.* Verum satis imprudenter, & audacter carpere ausus est Eugubinus tot tantosque Ecclesiæ Doctores, quibus ipse nec sanctitate, nec doctrina, nec auctoritate conferendus erat, qui verba Mosis: *Mitte quem missurus es*, de Messiæ aduentu interpretati sunt. Nec immeritò sanè. Etenim diuina Scriptura multis locis Messiæ aduentum signat vocabulo Mittendi, & Missi. Nempe, sic eum appellauit Iacob in illo nobili vaticinio, quod de ipso edidit Genesis 49. *Donec*, inquit, *qui mittendus est*. Et Isaias cap. 16 *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti*. Et in Euangelio Beati Ioannis sæpenumero vocatur, Missus à Patre. Nam etsi Deus multos diuersis temporibus, tam homines, quàm Angelos misit in mundum; ob excellentiam tamen Filii Dei, missio eius in mundum, simpliciter appellatur Missio, & ipse vocatur Missus, vel qui mittendus est. Solet præterea in sacris litteris, cum de insigni quapiam corporali & temporali liberatione populi Hebræi agitur, mox inferri mentio ipsius Messiæ, qui genus humanum ab omni peccato, æternaque morte liberaturus erat: quod huius liberationis, insignes illæ corporales liberationes in populo Dei factæ, illustrem quandam imaginem prætulissent. Exempli causa, Genes. 49. cum Iacob fore prædixisset, vt de tribu Dan, existeret aliquando, qui populum Hebræum graui hostium seruitute liberaret, haud dubiè Samsonem significans, protinus de Messia subdidit; *Salutare tuum expectabo Domine*. Et Isaias cap. 7. loquens de liberatione Achaz regis Iuda à coniuratione duorum regum aduersus ipsum, Syriæ, & Israël; proximè adiunxit multa de Messiæ aduentu. Similiter Daniel cũ supplicasset Deo pro liberatione populi Iudaici ex captiuitate Babylonica; Angelus Gabriel, qui ad eum docendum erudiẽdumq; missus fuerat à Deo, multa ei prænuntiauit de Messia. Ergo Moses itidem,

Mos Scripturæ.

Dan. c. 9.

dem,

dem, cùm ageretur de mittendo liberatore populi Hebræi, optare potuit, & petere à Deo, vt Messias, qui aliquando mittendus erat, maturaret aduentum suum, & tunc mitteretur, vt eam liberationem Hebræorũ ipse perficeret, cum ad id muneris perfectè obeundum, ille omnium maximè idoneus esset.

QVARTA DISPVTATIO.

An peccauerit Moses, tam multiplici excusatione, & tergiuersatione, munus sibi à Deo iniunctum defugiendo ac recusando.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 14. Iratus Dominus in Moysen, ait, Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit, &c.

25. VIDETVR Moses grauiter peccasse, toties, & tam vehementer renitens Dei voluntati & imperio; id enĩ sine graui offensa Dei fieri non potuit. Deinde, Scriptura ait, Deum fuisse iratum Mosi: talis autẽ ira Dei figuratè significat graue Dei offensam, grauemque hominis culpam. Adhæc, Dominus dixerat Mosi, Hebræos fidem verbis ipsius habituros, sic enim suprà in cap. 3. scriptum est: *Et audient vocem tuam.* At Moses, quasi Deo non credens, respõdit, vt positum est in exordio huius quarti capitis; *Nõ credent mihi, neque audient vocem meam.* His itaq; rationibus permoti quidam Hebræorum, censuerũt, Mosem graui & mortifero peccato deliquisse, præbẽdo se incredulum & diffidentem verbis, & promissis Dei, iussisque renitentem: atq; eius peccati pœnam in eo fuisse Mosem, quòd Deus noluit eum introducere Hebræos in terrã promissionis; sed cum ad eius terræ conspectum venisset, vita eũ priuauit. Sed hoc falsum est: tũ quia Deus hîc non arguit, neque reprehendit Mosem incredulitatis, aut diffidentiæ, aut contumaciæ: tum quòd causa cur Moses non sit ingressus terram promissionis, nõ alia memoratur in Scriptura, quàm quod Deum offendisset ad petram Cades in aquis contradictionis, vt videre licet in lib. Num. c. 20. 27. & 32. & Deuteron. c. 3. Rabbi Salomon arbitratur etiam, grauissimè peccasse Mosem; ac propter id peccatum fuisse priuatum dignitate ac potestate sacerdotali, & pontificali, quæ ab eo translata est ad fratrem eius Aaron. Verùm, hoc futile est, ac ridiculum: nam neq; Deus vnquam promiserat Mosi dignitatem sacerdotalem: nec ei debebatur iure naturæ: cum ante legem latam, iam inde à diluuio Noëtico vsque, sacerdotalis dignitas cum primogenitura coniuncta esset, vt qui esset primogenitus, etiam sacerdotali fungeretur munere, Moses autẽ non erat primogenitus, sed Aaron.

Opinio Hebræorum.

26. *Solutio rationum.* Ad contrarias autem rationes initio positas, quibus probabatur grauiter peccasse Mosem, sic ordine respondendum est. Ad primam; multiplex illa Mosis excusatio & tergiuersatio non proficiscebatur ex incredulitate vel diffidẽtia, vel timore humano; sed ex profundissima humilitate, & timore Dei: quòd se indignum iudicabat functione tanti muneris; & infirmiorem, quàm vt tantæ prouinciæ onus sustinere posset. Similiter etiam Saul, indignissimum se iudicauit, vt crearetur rex Israël: & Ieremias suæ obtẽtu inhabilitatis, valde recusauit munus prædicandi à Deo sibi iniunctũ. Sed enim quàm fuerat Moses humilis & cunctabundus in defugiendo principatu; tã fuit postea, quàm deliberatã Dei voluntatẽ agnouit, in eo accipiendo obediens, & in eo gerẽdo strenuus, patiens, fortis, constans, & magnanimus. Ad secundam rationem ita respondetur: Duplex est ira: vna, qua amici inter se, salua & integra amicitia, irascũtur, aut parentes subirascuntur filijs; talis iræ demonstratio ne volentes eos docere, quid agere debeant, & ad id, quod volunt, inducere. Talis profectò fuit, quæ hîc appellatur ira Dei in Mosem. Altera est ira grauis, in peccatores, ob scelera, grauissimis dignos supplicijs: cui non fuit obnoxius Moses, nec de tali ira hic loquitur Scriptura. Rupertus iram Dei hoc loco figuratè vocatam esse interpretatur: Eo namque visus est Mosi iratus Deus, quòd ei obnixè petenti missionem & aduentum Messiæ, vt suprà expositum est, non solum

1. Reg. 9. *Ierem. 1.* *Rupertus.*

solùm non annuerit eius optatis atque postulatis, verùm nihil planè respõderit.

27. Ad tertiam rationem respõsum fit huiusmodi: Deus Mosi dixerat, Hebrços vocem eius audituros: non quidẽ omnes, aut quoslibet, sed propriè ac nominatim seniores populi. Hæc sunt enim Dei verba: *Vade, & congrega seniores Israel, & dices ad eos, &c.* Et paulò post: *Et audient vocem tuam: ingredierisq́; tu, & seniores Israel ad regem Aegypti.* Ex quibus verbis apparet, non quoslibet Hebræos, sed tantùm seniores populi auscultatores esse Mosi, dictum fuisse à Deo. De hoc autem Moses non dubitauit, sciebat enim illos esse viros bonos, & timentes Deũ, peritosq́ue rerum diuinarum; quiq́; Mosem, propter eximiam eius sapientiam, & virtutem, vsque à prima ætate multis rebus spectatam, magnifacerent, & venerarentur. Isti namque memoria repetentes, atque reputantes secum, quod prædixerat Deus Abrahæ, vt traditur Genesis 15. Semen eius seruiturum, & afflictum iri in terra aliena, & post quadringẽtos annos liberatũ iri ab ea seruitute magna cum gloria & opulentia: compe riebant tempus illud liberationis prædictum à Deo, iam venisse. Ob has igitur causas non dubitabat Moses, quin seniores ac sapientes populi sibi assensuri, & credituri essent. Verùm dubitauit Moses de vulgo Hebræorum: quod nouerat esse ignauum, atque instabile, & incredulum, ac duræ ceruicis, quod nisi multis & admirãdis prodigijs persuasum & permotum, atque conuictum, non erat fidem verbis & mandatis Mosis habiturum. Ergo quod Moses dixit initio huius quarti capitis: *Non credent mihi, neq́; audient vocem meam: sed dicent; Non apparuit tibi Dominus*, hoc, inquam, Moses dixit, non de senioribus populi, sed de vulgo: Iosephus quidem certè lib. 2. Antiquitatum, scribit tria illa signa fuisse Mosi data à Deo, non quod ille verbis Dei non crederet, aut promissis diffideret; sed vt talibus portentis populum suopte ingenio incredulũ, ad id credendum pertraheret. Hæc enim facit Mosem loquentem cum Deo: Potentiæ tuę Domine, quam & ego veneror, & maiores mei coluerunt, non sum tam insanus, vt parere dubitem. Attamen ego dubito, quomodo ego vir priuatus, & nullis viribus præditus, vel meis popularibus persuadere potero, vt relicta terra, quam habitant, aliam ignotam ipsis, multoque labore parandam, me duce quærant: vel tametsi hoc illis persuasero, quomodo rex Pharao sit cogendus, vt Hebræos dimittat, quorum opera, & industria constat Aegyptiorum felicitas. Sic Iosephus.

[Margin: Exodi 3. — Iosephus.]

28. Thostatus & Caietanus putant Mosem peccasse, non quidem peccato graui, & mortifero, sed leui, & veniali. Non peccasse eum mortaliter, argumentatur Thostatus ad hunc modum: Peccatores non exaudit Deus, vt patet Ioann. 9. sed Deus exaudiuit petitionem Mosis, dando ei Aaron fratrem suum, sociũm eius legationis iuxta eius petitionem: ergo non peccauit mortaliter. Deinde, si grauiter peccasset, non fecisset eum Deus liberatorem Hebræorum, & ducem, & legislatorem: nec tantam ei dedisset potestatem tot tantaque signa faciendi. Ad hæc, si Moses peccasset per cõtumaciam affirmato animo repugnans imperio & voluntati Dei, fuisset profectò grauissimum peccatum: contempsisset enim Deum quodammodo in propria persona: non ergo tulisset impune, sed maxima quapiam fuisset à Deo pœna punitus. At nulla pœna mulctatus est, non ergo peccauit. Quare dicendum est, peccasse eum venialiter: quoniam præter rationẽ pusillanimus, & timidus fuit. Cum enim Deus ei diceret, non esse timendum accipere legationem illam; nihilominus tamen ipse aliquo modo timebat, & cunctabatur accipere. Non fuit tamen magna pusillanimitas, nec immodica cunctatio, quia talis fuisset mortale peccatum, vt pote multum declinans à medio rectæ rationis. Modica autem declinatio, pro leui culpa ducitur. Sic Thostatus.

[Margin: Thostatus q. 6. in c. 4. Exodi. — Opinio Thostati & Caietani Mosem peccasse venialiter discutitur.]

Caietanus itidem sentit & tradit in expositione huius loci Exodi. Et primum probat peccasse Mosem ex eo, quod dicitur iratus ei fuisse Deus. Si enim culpa vacasset petitio Mosis, nequaquam ei fuisset iratus Deus: sed eo ipso, quod iratus ei describitur, manifestatur culpa eius: siquidem ira Dei, iustitia est punitiua. Et verè culpa fuit post omnes excusationes

[Margin: Caietanus.]

cuſationes eius excluſas à Deo, adhuc inſtare. vt non mitteretur: cognita ſiqui dē ſufficienter diuina voluntate, non eſt fas etiam humiliter ſupplicando petere oppoſitum. Quod autem Moſis peccatum fuerit leue ac veniale, demonſtrat Caietanus ex lectione Hebraica huius loci, quæ ſic habet: *Et iratus eſt furor Iehouah in Moſem.* Quod leuis, inquit, fuerit culpa Moſis, teſtatur lectio Hebræa, dicendo, non quod iratus eſt Deus, ſed quod iratus eſt furor Dei, vt more humano ſignificaretur ira per modum paſſionis repentinæ: ac ſi de homine aliquo loquente diceremus, quod accenſa eſt cholera eius, tanquam non ipſe ex propoſito eſſet iratus, ſed cholera eius. Pari ſiquidem ſimilitudine deſcribitur furor Dei iratus, tanquam non ipſe Deus, ſed repentinus furor eius ſit iratus, culpa ſiquidem Moſis exigebat, ſcribi Deū, more humano, tanquam repentè excandeſcentem. Hæc Caietanus.

29. *Auctoris ſententia Moſem diuina ad Pharaonē miſſioni reluctādo nihil peccaſſe.*

At mihi verius dictu videtur, Moſem nihil peccaſſe, quin etiā probè ac laudabiliter feciſſe. Ad hanc opinionē adducit me non ſolùm eximia virtus & ſanctimonia Moſis, toties, tantumq; laudata in ſacris litteris, verùm etiā auctoritas grauiſſimorū Eccleſiæ Doctorū, Gregorij, Baſilij, & Hieronymi, excuſationes illas Moſis, & tergiuerſationes non modò vindicantiū à peccato, ſed etiā mirificè laudantiū. Ac B. quidē Gregorius in lib. 35. Moraliū, c. 13. egregiè diſputat exēplo Moſis, obedientiā, cum imperantur nobis honorifica & proſpera, cunctabūdam, & timidā eſſe debere, & aliquatenus renitentē: Cū autē præcipiuntur dura & aſpera, vltrò & alacriter, & promptè ad talia iuſſa offerre ſe debere. Ponā hîc aurea eius verba: Debet, inquit, obedietia & in aduerſis ex ſuo aliquid habere; & in proſperis nihil omnino ex ſuo habere: quatenus & in aduerſis tantò ſit glorioſior, quantò diuinæ diſpoſitioni etiā ex deſiderio iungitur; & in proſperis tātò ſit verior & ſincerior, quantò à præſenti gloria, quā diuinitùs percipit, funditus ex animo ſeparatur. Moſes, Domino per Angelū in igne loquēte, vocatus eſt, vt liberando populo Hebræo præeſſet: Sed quia apud ſe mente humilis extitit, oblatā protinus tāti regiminis gloriā expauit: moxq; ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicēs: *Obſecro Domine, non ſum eloquens.* Et ſe poſtpoſito, alium depoſcit dicens: *Mitte quem miſſurus es.* Ecce, cū auctore linguæ loquitur, & ne tāti regiminis poteſtatē ſuſcipiat, elinguē ſeſe cauſatur. Paulus verò diuinitùs ire Hieroſolymā iuſſus, cū prophetante Agabo cognouiſſet, magna ſibi mala parata eſſe Hieroſolymis, magno animo reſpondit: *Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum pro nomine Dei:* atq; inſtitutum iter magno animo proſequens, diuina iuſſa peregit. Moſes itaq; precibus renititur, ne Hebræo populo præferatur: Paulus ad aduerſa prōpto animo ducitur. Ille præſentis poteſtatis gloriā, Deo iubēte, voluit declinare: iſte, Deo aſpera & dura diſponente, ſe ſtuduit ad grauiora præparare. Præeunte igitur vtrorumq; ducū infracta virtute inſtruimur, vt ſi obediētiæ palmā apprehendere veraciter nitimur, proſperis hui⁹ ſeculi, ex ſola iuſſione: aduerſis aūt, etiā ex deuotione militemus. Sic Grego. *Actor 20.*

An obediētia, æquabili affectione animi, qualibet Superiorū iuſſa capeſſere debeat. Gregorij aurea ſententia.

Idem in prima parte Paſtoralis curæ, c. 7. docet, prædicationis officiū quoſdā laudabiliter appetere, & alios etiā laudabiliter recuſare, nec niſi coactos accipere, exemplo Iſaiæ & Hieremiæ, quorum ille vltrò ſe obtulit Deo mittendum, dicens: *Ecce, ego, mitte me:* hic, ne mitteretur, humiliter reluctatus eſt, dicens: *A, a, a, Domine Deus, ecce ego neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Sed nec Iſaias mitti petijt, niſi poſtquā audiuit ſe calculo ignito per Seraphin ab omni peccato purgatū: nec Hieremias obfirmatè reſtitit, ſed deniq; obediuit. Et poſt hæc ſubdit Gregorius hæc verba: Vtrumque hoc Moſes miro opere expleuit; qui præeſſe populo Hebræo & noluit, & , obediuit. Superbus enim fortaſſe fuiſſet, ſi ducatū plebis innumeræ, ſine trepidatione ſuſcepiſſet: & rurſus ſuperbus extitiſſet, ſi auctoris imperio obedire recuſaſſet. Vtrobiq; ergo humilis, vtrobiq; ſubiectus: & præeſſe populis, ſemetipſum metiēdo, noluit; & tamen de imperātis viribus præſumēdo cōſenſit. Hinc ergo quiq; præcipites colligant, cū quāta culpa, ex appetitu proprio cæteris præferri nō metuunt; ſi ſancti viri, plebiū ducatum ſuſcipere, Deo etiam iubente, timuerunt. Moſes, ſua- *Iſaia 6. Hierem. 1.*

dente Domino, trepidat: & infirmus quisque, vt honoris onus suscipiat, anhelat: & qui ad casum valde vrgetur ex proprijs, humerum libenter opprimendũ oneribus submittit alienis: quę egit, ferre non valet, & auget quę portat. Hęc Gregorius.

30\. *Isaia 6.* *Cõparatio inter Mosẽ & Isaiã, luculeter tractata à B. Basilio.* S. Basilius in Commentarijs suis in Isaiam, tractans illa verba Isaiæ: *Ecce ego, mitte me*, ponit hanc quæstionem; Quomodo Isaias, & Moses, qui fuerunt viri sanctissimi, contrarias super simili re, habuere animi sententias, & affectiones? Nam cum Deus mittere vellet Mosem ad liberandum populum Hebræũ, ille sæpius legationem illam deprecatus, & abnuens, dicebat: *Obsecro Domine non sum eloquens.* Et: *Mitte quem missurus es.* Isaias verò, qui nominatim non mittebatur à Deo, vltrò & alacriter se mittendum obtulit. Sed enim affectus Sanctorum, siquando inter se contrarij videntur circa eandem rem, non sunt tamen contrarij. Ac Moses quidẽ cognoscens causam cur mitteretur, extrahebat tẽpus deprecando & recusando; respiciens videlicet superbum, & pertinax, & inexorabile cor Pharaonis, simulq; contumax ingeniũ, & instabilẽ animum, & duram ceruicem Hebræorum. Quocirca dicebat; *Quis ego sum, vt vadam ad Pharaonem, & educam populum ex Aegypto?* Et rursum de Hebræis dicebat: *Non credent mihi, neque audient vocem meam: sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Atque hoc fuisse consilium, & sensum animi Mosis, declararunt, quæ idem ipse post eductum populum, in deserto dixit, & fecit. *Exodi 32.* Cùm enim Deus vituli adorati crimen, propter ipsum cõdonans populo, dixisset ei: *Vade & duc in viam populum hunc, ego mittam Angelum meum ante te:* Moses renuens ac reclamans, dixit: *Nisi tu ipse Domine proficiscaris nobiscum, non est necesse nos hinc emigrare.* Quæ obsecro fuit ista dicentis mens & sententia Mosis? Nimirũ populus ille erat ad peccandũ procliuior: quapropter eius indigebat præsentia, quã penes est potestas remittendi peccata: Angeli verò, peccata quidẽ vlcisci possunt, condonare autem & remittere non possunt. Eam ob rem efflagitauit Moses aduentũ Dei, dicens: *Elige alium, quem mittas:* hoc est: Qui verus es legifer, ipse venito, qui saluos facere nos potes; qui solus potestatem habes remittendi peccata. Sed quia nõdum venerat plenitudo temporis, quo mittẽdus erat in mundũ Filius Dei, ei ad assumendã à Deo Verbo Humanitatem, oportebat pluribus typicis figuris præsignari; ob eas causas Mosis petitio, minimè tunc exaudita fuit. Hactenus ex Basilio.

S. Hieronymus in epistola 142. quam scripsit ad Damasum Papam super visione Isaiæ, & Trisagio, refert disputationẽ cuiusdam Hebræi præceptoris sui, disserentis, vter melius fecerit, Mosesne, qui cùm à Deo mitteretur ad populũ liberãdum, multiplici excusatione recusauit ire, dicens: *Precor Domine non sum dignus; & prouide alium, quem mittas.* An Isaias, qui cũ nõ esset electus, vltrò se obtulit, dicẽs: *Ecce ego, mitte me.* Summa porrò eius disputationis fuit huiusmodi: In eo quod fecit Moses, valde prædicandam esse eius humilitatẽ & mansuetudinem; & se indignum iudicans ministerio Dei, ob eã ipsam causam maior effectus est. Isaias quoq; non tam suo merito, quàm misericordia Dei confisus, postquam à Seraphim audierat se purgatum ab omni peccato, otio noluit torpere, sed vltrò in ministerium Dei, quasi à peccatis mũdatus, zelo se obtulit fidei. Ex quo manifestè, potest intelligi, & Isaiam rectè, post purgata labia sua, in Dei se obtulisse ministeriũ: & Mosem suæ cõscium infirmitatis, & tanti numeris magnitudine territum, laudabiliter etiam tam magnum ministerium recusasse. 31. *S. Hieronymus.*

Super illis verbis: *Reuersus est* (Moses) *in Aegyptum, portans virgam Dei in manu sua:* quæreret fortasse quispiam, cur virga illa, quam ferebat Moses, vocata sit virga Dei. Verùm in promptu est causa. Deus nempe mandauerat Mosi, vt suprà dictum est, vt eam ferret in Aegyptũ. Et primũ quidẽ illorũ trium prodigiorum, de quibus suprà disseruimus, à Deo factũ est in illa virga, primũ in draconẽ transformata; & rursus in priorem virgæ speciẽ, & naturam reformata. His adde, quod breui Deus per illam virgam ingentia facturus erat prodigia in Aegypto. Hebræi prętereà duas causas commenti sunt: quarum altera est, virgam illam 32. *Cur Mosis virga dicta sit virga Dei.* *Hebræorũ figmenta.*

illam fuisse quadrilateram, atque in ea fuisse nomen Dei Tetragrammaton expressum; singulis eius nominis literis, in singulis virgæ lateribus incisis. Alteram causam reddunt huiusmodi, virgam illam fuisse natam in horto soceri Mosis, qui dictus est Iethro: & cum multi euellere conati eam fuissent, nulla tamen vi extrahere potuisse; donec Moses, nullo labore, maximaque facilitate ipsam euellit. Hac virga dicunt Mosem prosperè gregem suum pauisse, & quocunque volebat, sine labore egisse; eademque virga infestas gregi bestias, magno iniecto illis terrore arcuisse. *Artapan⁹.* Artapanus (vt refert Eusebius lib. 9. de præparatione Euangelica, cap. vltimo) memoriæ tradidit, virgam, qua Moses tot edidit in Aegypto miranda, magno deinceps in honore fuisse apud Aegyptios. *Mosis virgā religiosè coluerūt Aegyptij.* Namque propter illius virgæ memoriam & venerationem, ait, vbique apud Aegyptios in templo Isidis, baculum poni & coli: Isidem enim putant illi terram esse, quę baculo illo percussa, tot monstra & prodigia produxit.

QVINTA DISPVTATIO.

Quem voluerit Dominus occidere in diuersorio, Mosemne, an filium eius, & cur.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 24. Cumque esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.

33. *Quis voluit occidere Mosem.* QVATVOR super his verbis disquirēda sunt, Quis voluerit occidere, & quē, & quomodo, & cur. Latina translatio appellat Dominum, eum qui occidere voluit, quod nomen communiter in Angelo, & Deo dicitur: Hebraicè est nomen Dei Tetragrammaton: at in editione Græca, & in Paraphrasi Chaldaica, expresè nominatur Angelus. Et certè immediatè & personaliter Angelus erat; repræsentatiuè autem & auctoritatiuè Deus: qua de re copiosè disputauimus suprà, circa initium tertij capitis. Sed quem voluit occidere? *Quem voluerit Angelus occidere, Mosemne, an filiū eius? S. August.* Glossa Interlinearis ait, intelligi posse vel Mosem, vel eius filium, qui tunc circuncisus est. S. Augustinus, licet verba Scripturæ ad vtrumq; referri posse dicat, propensior tamen videtur ad opinandum, referri debere ad filiū Mosis. Sic enim scribit, tractans quæstionē vndecimam in Exodum: Primum quæritur, quem volebat Angelus occidere; vtrum Mosem, quia dictum est: *Occurrit ei Angelus, & quærebat eum occidere?* Nā cui putabitur occurrisse, nisi ei, qui vniuerso suorum comitatui præfuit, & à quo cæteri ducebantur? An puerū quęrebat occidere, cui mater circumcidendo subuenit? vt ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumcisus: atque ita sancire voluisse præceptum circumcisionis seueritate vindictæ. Quanquam etiam si de Mose accipere quisquam voluerit, non est magnoperè resistendum. Sic Augustinus.

Sed tā Hebræi, quàm plerique interpretes verba Scripturæ ad cædem Mosis referunt: quod mihi etiam, & narrationi Scripturæ, & rationi congruētius videtur. Etenim nulla erat in infante culpa, nullaque causa cur occideretur ob circumcisionis omissionem; cuius culpa non penes ipsum, sed in parentibus residebat. Quod si Angelus occidere infantē voluisset, ipse Moses potius, quàm vxor eius, confestim ei subuenisset circumcidēdo eum: sed quia ipsummet voluit Angelus occidere, idcirco præsentis mortis periculo vehementer perterritus, atque animo consternatus, non valuit subuenire filio, atque eum circumcidere: sed vxor extremum viri periculū videns, circumcisionem infantis perfecit. Tertullianus tamen periculum mortis refert ad filium Mosis, in libro contra Iudæos, ita scribens: *Tertullia.* Filius Mosis ab Angelo præfocatus fuisset, nisi Sephora, mater eius, calculo præputium infantis circumcidisset.

Tertio loco quęri dignū est, Quemadmodū Angelus voluerit occidere Mosem. 34. *Quomodo Angel⁹ voluerit occidere Mosem.* Theodoretus, & Diodorus Tharsensis indicāt, Angelū apparuisse Mosi districto gladio, & minitabundū ei mortē. Similiter atq; Balaam insidentē asinę, apparens Angelus districto gladio necare

 volebat,

volebat, vt traditur Numerorum 24. Alij dicunt, Mosem grauissimo quodam & lethali genere morbi, percussum fuisse ab Angelo: atq; ob eã causam nõ Mosem, vti conueniens erat, sed vxorẽ eius operatam esse circumcisionem. Tertullianus verbis proximè memoratis significat, Angelum voluisse præfocare filium Mosis. Rabbi Salomon, more suo fabulatur atque nugatur, Angelum apparuisse Mosi specie ingentis draconis, Mosemq; hianti ore absorbuisse vsque ad locum circumcisionis, reliqua parte corporis extra os draconis pendente. Quod videns Sephora vxor Mosis, intellexit, id Mosi accidisse, quod filium non circumcidisset: quocirca confestim arrepta petra acutissima, circumcidit infantem: ita timque draco rursus Mosem ex ore saluum atque incolumem euomuit.

Tertullia.

Rabbi Salomonis ridiculũ figmentum.

35. Restat quarta quęstio, cur Angelus voluerit Mosem occidere? Tres causas ab auctoribus traditas, hìc breuiter commemorabo. Quidam hanc fuisse putant causam, quod Moses parum fideliter ac prudenter, ac sedulò fecisset, qui tanta functurus legatione, secum duxisset vxorem & filios, futuros proculdubio oneri & impedimento in illo negotio sibi diuinitùs commisso, peragendo. Quocirca Moses ex hoc loco, vel minis Angeli perterritus, vel admonitu & suasu Aaron adductus, vxorem & filios remisit ad socerum: quos ille, posteaquam Moses, eductis ex Aegypto Hebræis, ad montẽ Sinai cõmorabatur, reduxit ad eũ, vt infra dicitur, capite 18. Hoc sanè significat B. Augustinus in sermone 86. de tempore. Nam citans illa verba Scripturæ ex hoc 4. cap. Exodi: *Leuauit Moses Sephoram vxorem suam, & veniebat in Aegyptum; & astitit Dominus contra eum, & volebat occidere eum.* Subdit hæc: Forsitan ex hoc loco possumus intelligere, quod displicuerit Deo, quod Moses tanta facturus mirabilia, vxoris impedimentum secũ ducere voluerit in Aegyptũ. Vnde datur intelligi, quod ex illo loco remiserit vxorẽ ad socerũ, quã tamẽ ille postea ad Mosem in deserto versantẽ reduxit. Sic ibi. Et in quæstione 12. in Exodum: Quomodo inquit, dicitur hic Mosem vxorẽ & filios duxisse in Aegyptũ, cum infra scriptũ sit, Iethro socerũ eius, cũ iã

S. August.

Exodi 18.

Moses populum eduxisset ex Aegypto, duxisse ad eum vxorem, & filios eius? Sed intelligendum est; post illã, quæ ab Angelo futura erat, interfectionem Mosis, vel infantis, reuersam fuisse vxorẽ cũ filijs. Nam quidam putauerunt, ob id Angelum terruisse, ne ad impedimentũ ministerij, quod diuinitùs impositũ Moses gerebat, fœmineus sexus comitaretur. Hæc Augustinus.

36. Ita quoq; opinati sunt Eusebius Emissenus, & Cæsariensis: aiunt enim Mosem ducendo secũ vxorem & filios in Aegyptũ, præ se tulisse, & suspicionẽ Hebræis afferre potuisse, nõ omnino se credere, aut sperare Hebræos liberatũ iri à seruitute Aegyptiorũ, & profecturos fore in terrã ipsis promissam. Si enim hoc putasset, ac pro certo habuisset, quid opus erat vxorẽ & filios secũ ducere in Aegyptũ? expeditius namque, commodiusq; erat, relinquere eos in terra Madiã apud socerũ: vt in itinere, quod illac facturus erat, postea eos acciperet: Dei enim iussu ducturus erat Hebræos ad montẽ Horeb, cui vicina est terra Madian. Verùm Theodoretus excusat Mosem, affirmãs, non potuisse eũ sine vxore ac liberis abire absque graui offensione soceri, suspicaturi, velle ipsum, repudiata Sephora, aliã in Aegypto vxorẽ ducere: ob idque profectionẽ eius vel impedituri, vel certè retardaturi. Nec fuisse causam iræ atq; comminationis Domini aduersus Mosem, eam, quam isti auctores tradunt, satis indicat narratio Scripturæ in hoc loco, vbi nihil de ista re significatur, sed tantùm de circumcisione filij.

Eusebius Emissenus, & Cæsariẽsis.

37. Diodorus & Theodoretus causam, cur Mosem Dominus occidere voluerit, hanc fuisse tradunt. Cum Moses valde timeret Pharaonem & Aegyptios, multumque de incredulitate populi Hebræi dubitaret, timidè, diffidenterque iussa Dei executurus, proficiscebatur in Aegyptum. Quapropter voluit Deus timorem illum Mosis maiori alio quodam timore, sicut clauus clauo truditur, ex eius animo penitus expellere. Angelus itaque mortem ei comminatus est; perinde quasi &, diceret: Tu nimium formidas Pharaonem: at enim me timere magis deberes, quippe qui possum te, vt vides,

Opinio Diodori, & Theodoreti.

Theodoret. des, nullo negotio interimere. Posui hic verba Theodoreti, quæ sunt huiusmodi: Cur Angelus voluit interficere Mosem? Vxor Mosis id putabat propterea factũ esse, quia puerorum alter non esset circumcisus secundum legem Hebræorũ, ideoque protinus eum circumcidit. Quidam putant causam fuisse quod Moses ad liberandum Hebræos missus à Deo, coniugem itineris sociam habere voluisset. Quos vtique animaduertere oportebat, Mosem ne socero suspicionẽ moueret, vxorem se contemnere, vel alteram ei præferre velle, illam assumere coactum esse; non autem quod perfunctoriè diuinum præceptũ exequeretur; nam mox, occasionem nactus per Angelũ, iussit illam ad suos cognatos reuerti. Aliud igitur quippiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum ostentabat. Moses quippe, ceteroqui vir magnus, metuebat Pharaonem, vt indicant illa eius verba: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem regem Aegypti?* Minabatur igitur illi pœnam mortis Angelus, metum minorem videlicet, maiori metu repellens: Perinde ac si per ensem illum nudatum dixisset ei, si Pharaonẽ timuisti, me multò magis timebis, qui modo inuisibili te vulnerare possum. Hæc Theodoretus. Verùm hanc interpretationem, & opinionem, licet acutè satis cogitatam, respuit tamen Scripturę narratio; longè diuersam illius angelicæ interminationis causam indicans.

38. Germanã itaq; & propriam causam cur Angelus Mosem interimere voluerit, ego fuisse censeo, quòd filium suũ, quo tempore oportebat, non circumcidisset; contra fœdus Dei percussum cũ Abraham & posteris eius, vt dicitur Genes. 17. Id verò culpabilius videbatur, & vituperabilius in Mose: is enim mox futurus legislator, & imperator Hebræorum, legem de Circumcisione denuò illis sancire debebat. At

„ *Turpe est doctori, cũ culpa redarguit ipsũ.*

Rab. Dauid Kimhi Ita sentit Hebræorũ doctissimus Rabbi Dauid Kimhi; & de nostris, Isidorus Pelusiota, Rupertus, Lyranus, Thostatus, Caietanus; & multis ante istos seculis Tertullianus. Nã etsi periculũ mortis nõ ad Mosem refert, sed ad filiũ eius; causã tamen periculi fuisse dicit, quod filius *Isidorus Pelusiota. Rupertus. Lyranus. Thostatus.* eius incircumcisus esset. Sic enim habet *Caietan.* in eo libro, quem fecit aduersus Iudæos: *Tertullia.* Filius Mosis ab Angelo præfocatus fuisset, si non Sephora mater eius, calculo præputium infantis circumcidisset; & ideò, si salutem circumcisio omni modo attulisset, etiã ipse Moses in filio suo nõ intermisisset octauo die circumcidere eum, quãdo constat Sephorãm coactam ab Angelo, id fecisse in itinere. Cõsideremus itaque, quod nõ potuerit vnius infantis coacta circumcisio omni populo præscribere, & quasi legem huius præcepti condere in salutem. Nam prouidens *Roman. 4.* Deus quod hanc circumcisionem, in signum, non in salutem daturus esset populo Israël, idcirco filium Mosis, ducis futuri, instigat circumcidi; vt cum cœpisset per eum populo dari præceptum Circumcisionis, non aspernaretur populus, vidẽs exemplum in iudicis filio iam celebratum. Sic Tertullianus.

Si quis autem quærat, cur Mõses non 39. ante circumcidisset filium suum; respon *Rupertus.* det Rupertus, Mosem in terra aliena, & cum vxorem haberet alienigenam, & apud socerum alienigenam habitaret, id facere non potuisse, cognatis omnibus maximè repugnantibus. Sic enim ait capite vigesimo libri primi Commentariorum in Exodum: Cur Angelus volebat occidere Mosem? Quia filios suos non circumciderat. Verùm hoc in terra aliena, & obsistente vxore alienigena, facere nequiuerat. Igitur vidente Sephora, voluit Dominus occidere Mosem, vt quæ ratione adduci noluerat, præsentia periculi cognosceret, salutare esse posteris Abrahæ, eorum infantes circumcidi. Nihil ergo cunctata, quid potius eligeret, necẽne viri, an filiorũ circumcisionẽ; tulit illico acutissimã petrã, & circũcidit præputiũ filij sui. Ita Rupertus. Eandem quoq; sententiam habet Thargum *Thargum Hierosolymitanum.* Hierosolymitanum, exponens hunc locum Exodi: Et præscidit, inquit, præputium filij, applicuitq; ipsum ante pedes Angeli deuastatoris, dicẽs: Spõsus meus volebat circumcidere puerum, at socer eius non permittebat ei. Nũc ergo propitius esto propter sanguinem circumcisionis pueri, peccatis spõsi mei. Cumque reliquisset eum, cũ laude dixit Sephora: Quàm gratus est sanguis cir-

cumcisionis, qui eripuit sponsum meũ de manibus Angeli mortis? Sic Thargum. Sed enim haudquaquam verisimile est, Mosem, virum nempe sanctissimum, & religiosissimum Dei cultorem, & præceptorum eius fidelissimum obseruatorem, tam graue, tam antiquum, tam generale, tamque necessarium de Circumcisione præceptum Dei, propter eam causam, violari passum esse. Nec vana est coniectura, Madianitas, vt descẽdẽtes ex Madian filio Abrahæ, ex coniuge Getura, vt scriptum est Genes. 25. non fuisse expertes Circumcisionis; & Sephora statim circumcidẽs infantem, satis indicauit se istius ritus esse peritam.

40. Sedenim illud officere huic sententiæ videri posset, quòd Hebræi per annos prope quadraginta, quibus versati sunt in deserto, impunè omiserunt circumcisionem suorum infantium, vt traditur Iosue 5. illis verbis: *Populus qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit, &c.* Non igitur tam seuerè puniendum fuisse videtur in Mose, quod ab vniuerso populo Hebræo tot annis impunè factum est. Verùm scire conuenit, Hebræos in deserto, sine crimine circumcisionem infantium omisisse. Ad id autem probandum, satis argumenti esse debet, quod nusquam in Scriptura legimus, Hebræos fuisse de tali omissione reprehensos: cum eorum tamen haud multò maiora scelera non dissimulet Scriptura, sed acriter accuset, & reprehendat. Nec Moses, religiosissimus vtique Dei præceptorum cultor & obseruator, tam diutinam, diuinæ legis de circumcisione violationem, in populo Hebræo passus esset. Nam si hominem in die Sabbati colligentem ligna, lapidibus obrui iussit, non minori profectò seueritate in violatores præcepti Circumcisionis animaduertisset: quippe obseruatio & religio Circumcisionis, grauior & sanctior quàm Sabbati (vt Dominus noster docuit Ioannis 7.) apud Iudæos habebatur.

Locus Iosue. cap. 5.

Num. 15.

41. Causa porrò, cur omissio Circumcisionis in deserto inculpabilis fuerit, duplex traditur. Altera est, quod Circumcisio data erat vt esset signum quoddam sensibile distinctiuum posterorũ Abrahæ à ceteris gentibus; tali autem signo non erat opus in deserto, vbi populus Hebræus solitarius, separatusque à ceteris gentibus fuit per illos quadraginta annos. Hanc causam reddit Theodoretus in quæstione 1. in librum Iosue, his verbis: Vbi liberati sunt Hebræi à seruitute Aegyptiorum, & egerunt vitam in deserto, non postulauit Deus vt lex Circumcisionis seruaretur ab ipsis, neque pœnas transgressionis exegit: quoniam enim apud se viuebant, non permixti nationibus alienis, non egebant signaculo Circumcisionis. At verò postea cum introduxit illos in terram promissam, circumcidi præcepit, ne per conuersationem cum extraneis, pietas labefactaretur. Si enim contingeret quempiam decipi, facilè erat, perspecta nota, in gregem recipi: sicut oues aliquo signo notatæ, si errent, reperiuntur. Sic Theodoretus. Similia scribit Damascenus in lib. 4 de fide Orthodoxa, cap. 26. Circumcisio, inquit, ante legem data est Abrahæ, post benedictiones & repromissiones, signum distinguens ipsum, & posteros eius à gentibus, cum quibus versarentur. Quod ex eo manifestum est, quod cum in deserto, quadraginta annis Israël solus & per seipsum versatus fuerit, nec commixtus alteri genti, quotquot tunc in deserto generabantur, nequaquam circumcidebantur. Sed cum Iosue traduxit eos per Iordanem, circumcisi sunt, & data est secundò lex Circumcisionis. Siquidem in Abraham primo data fuerat lex Circumcisionis: deinde cessauit in deserto quadraginta annis; & rursus secundò dedit Deus Iosue legem Circumcisionis post transitum Iordanis, vt in libro Iosue scriptum est; *Fac tibi cultros petrinos de petra rupis, & sedens circumcides filios Israel secundò. In quadraginta enim & duobus annis conuersatus est Israel in solitudine; & propter hoc incircumcisi erant ipsorum plurimi bellatores.* Quare signum erat Circumcisio discriminãs Israël à Gentibus, quibus cum diuersabatur. Sic Damascenus. Verùm hæc causa, sine crimine omissæ Circumcisionis in deserto, à Theodoreto, & Damasceno tradita, non videtur admodum probabilis.

Theodoret.

Damasce.

Genes. 17.

babilis. Non enim Circumcisio ad eum tantummodò finem & vsum data fuerat, vt esset signum distinctiuum Hebræorum ab alijs gentibus: sed ob alias plures causas, easque potiores ista: nos enim in tertio Tomo Commentariorum nostrorum in Genesin super c. 17. Genesis ad numerum marginalem 17. copiosè disputauimus, Circumcisionem datam esse, vt esset signum multiforme: signum dico, memoratiuum, repræsentatiuum, distinctiuum, demonstratiuum peccati originalis, atque eiusdem curatiuum; ac demum signum etiam futurarum rerum præfiguratiuum.

42. Altera igitur causa, quam pleriq; tradunt, multò est probabilior. Etenim vt fine crimine omitteretur in deserto Circumcisio, videbatur iusta esse ac fermè necessaria causa. Namque in ista solitudine, Hebræi perpetuò, tam itionis, quàm mansionis incerti & suspensi erãt: pendebant enim ex Dei nutu, per columnæ nubis motum & quietem eis declarato: ideoque nullum dabatur eis certum manendi & quiescendi spatium. At recens circumcisis ob sectionis vulnus & dolorem, tertio maximè, post, die grauescentem (vt significatur Genes. 34.) aliquantisper necessariò interquiescendum erat. Vtramque superiorem causam amplexus B. Thomas, ita *B. Thomas* scribit in tertia parte quæst. 70. artic. 4. in responsione ad tertium. Populus Hebræus in deserto prætermittens mandatum Circumcisionis, excusabatur: tum quia nesciebant quando castra mouenda erant; tum quia, vt Damascenus dicit, non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab alijs populis habitarent. Et tamen, vt Augustinus dixit (in libro Quæstionum super Iosue, quæst. 6.) inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittebant Circumcisionem. Hæc S. Thomas.

SEXTA DISPVTATIO.

Cur Sephora filium suum petra circumciderit: & an Hebræis vel præceptum, vel mos fuerit vtendi petrinis cultris in circumcidendo.

SVPER ILLIS VERBIS.

Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui. *Versu 25.*

QVIDAM Hebræorum tradunt, vocem hebræam (Sor) ambiguæ significationis esse, & tam petram aut silicẽ, quàm gladium seu nouaculam significare: ideoque tam in hoc loco, quàm in libro Iosue c. 5. pro (petra) legunt *nouaculam*. Sed enim tam paraphrasis Chaldaica, quàm translatio LXX. Interpretum, aliæq; translationes, ex hebræo ad verbum factæ, habent hoc loco petram. Andreas certè Masius, vir Hebraicæ & Syriacæ linguæ peritissimus, in Commentarijs suis super cap. 5. Iosue, testimonijs *Masius.* veterum Hebræorum confirmat, vocem hebræam (Sor) secundum propriam rationem suam non aliud significare, nisi saxum vel silicem, nec vsquam in Scriptura pro gladio vel nouacula poni, secundum propriam significationem: Posse autem acuto silice non præsecari modò præputium, sed etiam testes amputari, satis indicat Catullus in illo elaborato carmine de Berecynthia & Atti. Lo- *Catullus.* quens enim de Sacerdotibus matris Cybeles, sic ait:

„ *Deuoluit ipse acuto sibi pondera silice.*

& Iuuenalis satyra 6. de ijsdem dixit:

„ *Mollia qui rupta secuit genitalia testa.* *Iuuenal.*

43. Ceterùm illud quæsitu dignum, an Hebræi vel diuino præcepto, vel Maiorum *Prima opinio S. Aug. Bernardi, Magister Sententiarum.* traditione, & antiqua consuetudine semper vterentur, in circumcidendo, cultris petrinis, an ferreis? Duas circa eam rem opiniones reperio. Quidam putarunt, Circumcisionem non alio instrumento, quàm petrino cultro fieri consueuisse

apud Iudæos. Hoc certè significat S. Augustinus in sermonibus de Tempore, sermon 141. Et item S. Bernardus in primo sermone de circumcisione Domini, Magister quoque Sententiarum libro 4. vbi agit de Circumcisione. Quorum opinio probari posset his argumentis. Principio, In duobus tantùm Scripturæ locis, vbi declaratur nominatim instrumentum faciendi Circumcisionem, expresse ponitur petra acuta, vel culter petrinus, vt videre licet, &c. in hoc loco Exodi, & in libro Iosue, cap. 5. tale igitur instrumentum videtur fuisse in vsu apud Hebræos. Deinde, si non fuisset necessarium, vel vsitatū facere Circumcisionem saxo vel silice: sed potuisset ea fieri etiam ferro; cur Sephora non potius cultro aliquo ferreo circumcidisset filium? nec enim gladium vel cultrum ferreum ei defuisse credibile est. Cur potius, inquam, arripuit petram quàm cultrum? Aut quomodo petram acutā & idoneam ad circumcidendū, in promptu & obuiam habuit, nisi quia talis petra ad id muneris comparata fuerat? Adhæc, videtur eò constantius hæc opinio Christiano doctori sequenda, tuendaq;, quòd pulcherrimam habet figurā Christi Domini, per quem fit perfecta Circumcisio, non carnis, sed animi ac spiritus: siquidem, vt Paulus ait: *Petra erat Christus.* *1. Cor. 10.*

44. *Secūda opinio Hugo. Thostati, S.Thomæ, S.Iustini Martyris, nec in præcepto, nec in vsu fuisse, petra tā tū circūcisionē fieri.* Altera est huic contraria, multorum grauium, doctorumq; virorum sententia, arbitrantium, nec in præcepto, nec in vsu fuisse apud Iudæos, Circumcisionem facere cultris petrinis: sed vel petra, vel gladio, seu cultro, vel nouacula, vel alio quolibet ad secandum præputium idoneo instrumento, Circumcisionem fieri, & ius & morem fuisse. Huic sententię Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, part. 12. & Thostatus super hoc libro Exodi subscribunt, & itē sanctus Thomas in tertia par. q. 70. in respōsione ad secundum, *S.Thomas.* vbi hæc habet verba: Cultellus lapideus non erat de necessitate Circumcisionis: vnde non inuenitur tale instrumentum diuino præcepto determinatum. Neque etiam communiter tali instrumento Iudæi vtebantur ad Circumcidendum, sicut nec modò vtuntur. Leguntur tamen aliquot Circumcisiones famosæ, cultello lapideo factæ, sicut legitur Exodi 4. quod Sephora tulit acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui. Et Iosue quinto dicitur: *Fac tibi cultellos lapideos, & circumcide secundò filios Israel:* per quod figurabatur, spiritualem Circumcisionem esse faciendam per Christum, de quo dicitur 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus.* Hæc B. Thomas. Sed multò ante istos auctores B. Martyr Iustinus, in eo sermone, quem habuit cum Triphone Iudæo, & scriptis prodidit, idem sensisse se declarat his verbis: Dico in ipso ingressu in terram sanctam, iterum esse circumcisum populum, iubente Iosue, cultris lapideis. *Iustini Martyris egregia sententia.* Sanctus autem Spiritus interdum factis claras figuras edebat futurorum euentuum: interdum verbis enunciabat res futuras, quasi iam tunc gererentur, aut gestæ fuissent. Id porro artificium, nisi sciant lectores, nequaquam poterunt accōmodare se propheticis sermonibus. Nostram igitur spiritualem Circumcisionem præsignauit Circumcisio illa Iudæorum facta cultris lapideis, & quæ appellata est secundaria. Nam prima illa vestra Circumcisio carnalis, & olim fiebat ferro, hodieque fit, ideoque permanet in vobis eadem cordis duritia. At nostra, quæ secunda post vestram Circumcisionem numeratur, fit per acutos lapides, hoc est, per verbum Apostolorum illius angularis lapidis excisi sine manibus: vt resecetur à nobis Idololatria, &, in vniuersum, omnia vitiorum genera. *Daniel. 2.* Qui cor habemus, ita circumcisum, vt mortem quoque libenter subeamus, propter nomen illius boni lapidis, ex quo promanans aqua, rigat corda diligentium Deum; potumq; præbet omnibus, quotquot volunt de hoc latice bibere. Hactenus ex Iustino.

45. *Auctor secundæ opinioni accedit.* In hanc sententiā, ego quoq; pronior e assensu, libentioriq; animo discedo; non solùm istorum auctorum permotus auctoritate, verùm etiam his rationibus persuasus. Ac primò quidē, non est credibile, cum vniuersus populus Sichimitarum est circumcisus, vt traditur Genesis 34 in promptu illis fuisse tot petras, seu silices ad secāda præputia, idoneas et accōmodatas; apud quos, scilicet, nullus

antea

antea fuerat circumcisionis vsus: ac non potius eos ad promptiorem faciliorémque circumcisionis effectionem, gladijs vel cultris esse vsos. Et verò, si circumcisio non aliter fiebat, nec fieri poterat, nisi petra; quid opus erat, Deum propriè, signatèque, & sic explicatè mandare Iosue, vt faceret sibi cultros lapideos ad circumcidendum populum? satis enim erat iubere simpliciter, vt populus circumcideretur: siquidem non alio quã petræ instrumento, circumcisio apud Iudæos fieri vel solebat, vel etiam poterat. Quid item attinebat, hoc loco nominatim referre, Sephoram accepisse petram acutam ad circumcidendum filium, si non aliter quàm petra circumcidi fas, vel mos erat? expressio itaque ac determinatio talis instrumenti in facienda secũda illa circumcisione, magno est argumento, eiusmodi circumcidendi rationem non solùm non fuisse in præcepto, sed ne in more quidem atque vsu apud Iudæos. Adijce, quod nec in decimoseptimo capite libri Genesis, vbi primum lata est circumcisionis lex, neque vllo in alio Scripturæ loco, vbi præceptum circumcisionis commemoratur, verbum vllum est de certo aliquo, & definito instrumento, quo fieri debeat circumcisio; cum tamen signatè ac definitè præscribatur, & quis circumcidendus sit, & qua in parte corporis, & quo tempore, & item qua pœna, circumcisionis præcepti violator plectendus sit.

46. *Cur Sephora potius petra, quàm ferro filium suum circũciderit.*

Sed fortasse quispiam vrgebit nos, percontando, si cultri petrini in circũcidendo vsus non erat neque in præcepto, neque in more apud Iudæos, cur Sephora filium suum petra potius, quã ferro circumciderit? Huic respondebo, Sephoram perterritam ac vehementer animo perturbatam, tam repentino & periculoso mariti sui casu, & aspectu Angeli mortem ei minitantis, quoniam periculum erat in mora, quodcunque ei sors obtulit, & primò fuit obuium, arripuit, & ad circumcidendum filium adhibuit: fortè autem contigerit, vt tunc petram acutam, & ad secandum idoneam offenderit; eaque, ne aliud quærendo, moras necteret, vsa sit. Commentitium planè ac ridiculum est, quod de Iudæis refert auctor historiæ Scholasticæ, in capite decimo historiæ suæ super libro Exodi: Quidam, inquit, ex hoc facto Sephoræ, vel illo Iosue, originem habuisse volunt morem circumcidendi petrinis cultellis. Cum tamen vbi nos habemus, (petram) textus hebræus habeat (aciem) vocat autem acutissimam aciem, nouaculam: vnde & Iudæi nouaculis circumcidunt. Fabulantur porrò quidam Hebræi, vsque ad Dauid, circumcisionem factam esse petra: sed quia in deijciendo Goliath, ferrum loricæ & galeæ cessit lapidi iacto funda Dauidis, quasi dans ei locum, deinceps cessit lapis ferro in circumcisione. Sic ille. In tertio tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, super caput 17. Genesis, in extrema disputatione sexta, promisi tractaturum me in opere Electarum disputationum quæstionem (quam ibi cursim attigi) de instrumento, quo fiebat circumcisio apud Hebræos; an esse oporteret lapideum, an verò ferreum, vel ex alia quapiam certa materia: hoc igitur promissum, in hoc loco à me persolutum est.

Ridiculum figmentum Hebræorũ.

1. Reg. 17.

47. *Versu 25. Quæstio, cum Moses duos filios secum haberet, cur vnus tantum dicatur circũcisus.*

Restat enodanda quæstiuncula quædam super illis verbis: *Et circumcidit præputium filij sui.* Nam cum Moses, è terra Madian proficiscens in Aegyptum, duceret secum duos filios, cur non vterque, sed vnus tantùm circumcisus dicitur? Ad hoc Hugo de sancto Victore dupliciter respondet: vel enim (inquit,) mater, quæ erat alienigena, vnum sibi filium, quasi proprium & incircumcisum retinuerat; alterum vero Mosi, qui de gente circumcisorum erat, reliquerat circumcidendum. Vel vnum tantùm filium ducebat secum Moses, alterum verò apud socerum reliquerat, quasi obsidem sinceræ voluntatis suæ erga vxorem & socerum. Verùm, & Scriptura hoc loco dixit, Mosem tulisse secum filios, significans vtrumque, & non vnum tantùm: & simile figmento est, vnum filiorum, in matris gratiam, relictum esse incircumcisum, alterum verò circumcisum fuisse prius à Mose. Eusebius Cæsariensis & Eusebius Emissenus aiunt, alterũ filium

Eusebius. Cæsariẽsis, & Emissenus.

filium fuisse tunc circumcisum, vt dicitur in hoc loco; alterum verò relictum esse incircumcisum: ex quo illi aduersus Iudæos argumentantur, Mosem neque propter omissionem circumcisionis uenisse in mortis periculum; nec propter eiusdem executionem, discrimine mortis fuisse liberatum. Sed istis manifestè aduersatur narratio Scripturę, quæ narrat hoc loco, statim vt circumcisus est filius Mosis, liberatum esse Mosem mortis periculo; nec aliam causam indicat Scriptura, cur Angelus vellet occidere Mosem, quàm quod haberet secum incircumcisum filiū: alioqui cur tantoperè festinasset Sephora eum circumcidere? quomodo igitur est credibile, vno filio circumciso, alterum esse relictum incircumcisum, cum eadē vtriusque esset causa?

48. Caietanus affirmat, vtrumque filium Mosis tunc esse circumcisum: sed Scripturam dixisse (filium) pro (filios) numerum scilicet singularem ponendo pro plurali, quod non rarum est in sacris literis. Fuisse autem ad id vsque temporis vtrumq; filium Mosis incircumcisum, demonstrat ea ratione; quod Sephora, peracta circumcisione, dixit Mosi: *Sponsus sanguinum tu mihi es propter circumcisionem*. Si enim iam antea circumcidisset alterum filium, non illud verè & aptè dixisset Sephora, vt quæ iam antea profusionē sanguinis ī circūcisione filij prioris fuisset experta. Verba Caietani hæc sunt: Vnum superest dubium, cur vnus tantum filius narretur circumcisus, cum clarè testetur litera, quod Moses ducebat secum vxorem & filios. Solutio est, quod Sephora circūcidit omnes filios: sed Scriptura, quemadmodū paulò supra dixit, Mosem imposuisse filios super asinam, significando omnes asinos, super quos equitabant: ita dixit circumcisum fuisse filium, significando omnes filios suos. Ita quod Dominus instabat persequendo Mosem, donec Sephora circumcidit omnes filios: & adhuc expectauit, vt illa abijceret se ad pedes eius, rogando eum, vt desisteret ab insequendo Mosem. Si enim alter filius circumcisus ante fuisset, non dixisset Sephora Mosi, propter circumcisionē filij; *Sponsus sanguinum tu mihi es*: hæc enim verba, tunc dicta, insinuant, quod tunc incœpit effundi sanguis filiorum eius in circumcisione. Hæc Caietanus.

Caietanus.

At enimuerò, probabilior illa videtur Hebræorum, quam sequuntur Thostatus & Lyranus, opinio. Aiunt isti, vnum duntaxat filium tunc fuisse circū cisum: nam Gersan, qui erat primogenitus Mosis, in terra Madian circumcisus fuerat: Secundus autem filius, cui nomen Eliezer positum fuerat, nondū tunc erat circumcisus; ob idque Angelus mortem interminatus est Mosi, & à Sephora confestim tunc circumcisus est. Causam porrò, cur non etiam circumcisus fuisset Eliezer, hanc reddunt Lyranus, & Thostarus, alijque complures, quod Eliezer natus fuerat paulò antè, quàm ingressus esset Moses iter in Aegyptum. Quoniam verò, iubente Deo, iter illud faciebat, putauit quamprimum sibi discedendum, & festinandum esse in Aegyptum, ideoque noluit tantisper expectare, dum infans octauo die circumcideretur, & à vulnere sanaretur. Verùm in eo culpam non effugit Moses: nā vt infans octauo die circumcideretur, apertis, conceptisque verbis iubebat lex Dei, quam ipsemet retulit in lib. Genesis, cap. 17. Quod autem ex terra Madian tantoperè discederet, festinanterq; contenderet in Aegyptum, hoc sanè in Dei mandatis non habebar. Nec verò putet quispiam, quod Moses moratus fuit ī terra Madian quadraginta annis, & cum primum illuc venit, duxit vxorē, & generauit istos duos filios, vt suprà dictum est capite secundo; ex eo sequi, cum Moses discessit è terra Madian, fuisse istos filios iam grādes natu, & paulò minores quadragesimo anno. Nam licet Scriptura suprà in capite secundo statim post aduentum Mosis in terram Madian, memoret coniugium Sephoræ, & generationem duorum filiorum; nō tamen statim, sed multo post tempore, procreatio istorum filiorum facta est; vnius saltem, qui non fuerat circumcisus, & propter quē Angelus voluit occidere Mosem: qua de re cùm dictum à nobis sit in expositione capitis secundi, nihil præterea nunc supet ea re dicendum est.

Hebræorū Lyrani & Thostati opinio cæteris probabilior.

SEPTI-

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 25. & 26. Tetigitque pedes eius, & ait; Sponsus sanguinum tu mihi es, & dimisit eum, postquam dixerat, sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem.

49. OBSCVRISSIMVS est hic locus: tria enim in eo sunt, quæ obscuram sententiam habent, & difficilem explicatu. Primum est illud: *Tetigit pedes eius.* Alterum est illud: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Tertiū est illud: *Dimisit eum.* Ingentis autem obscuritatis non dubium est argumentum, multiformis loci huius varietas expositionum: quocirca triplex hæc obscuritas tribus pariter proprijs & separatis disputationibus discutienda atque illustranda est. Ac primò quidem in illo; *Tetigit pedes eius*, obscurum est, & quis tetigerit, quoue modo tetigerit; & cuius pedes tetigerit, & ad quem illud pronomen (eius) referri oporteat. Quatuor autem modis exponuntur hæc verba. Quidam enim illud pronomen (eius) referūt ad Angelū, idq; dupliciter: Primò *Prima expositio.* vt illud, *Tetigit pedes*, referatur ad Sephorā, & significet, pſenti cōiugis periculo perterritam Sephorā, humilitèr se prostrauisse, atque abiecisse ad pedes Angeli, deprecātem mariti periculum, atque pro eius salute obnixè supplicantem. Hanc interpretationem adiuuat translatio LXX. Interpretum, sic habens hoc loco: *Et procidit ad pedes eius*: eandē- *Caietanus.* que sequens Caietanus, & hunc locum Exodi explanans, sic ait: Hinc habetur quòd apparitio ista fuerit sensibilis, & communis etiam vxori Mosis, & quod intercesserit sermo sensibilis de incircumciso filio. Ita quod dicendo Scriptura, *Et volebat occidere eum*, breuissimè significauit, quod in specie hominis armati apparens, & motu, & actione, & verbis præseferebat se quærere Mosem, vt occideret eum, quia filius eius erat incircumcisus: Et propterea vxor eauēs marito, circumcidit filium. Nec solum circumcidit filium, sed etiam proiecit se ad pedes Domini inuadēris Mosem, vt etiam sic placaret eum. Intelligimus enim hinc, quod apparens Dominus, etiam post circumcisum puerum, non desistebat à comminatione Mosis: & propterea Sephora tetigit pedes Domini persequentis Mosem. Sic Caietanus.

Alij tamen illud *tetigit*, referunt ad *Secūda expositio.* præputium: vt Sephora circumcisum filij præputium proiecerit ad pedes Angeli; quasi dicens, si propter incircumcisum filium iratus es marito meo, ecce tibi præputium circumcisum; quare placatus, desine insectari virum meum. Et hanc ipsam sententiam videtur expressisse paraphrasis Chaldaica, ita reddens hunc locum: *Et tulit Sephora petram, amputauitque præputium filij sui, & obtulit coram eo dicens, Propter sanguinem circumcisionis istius, detur sponsus meus vobis.* Similem quoque interpretationem habet Thargum Hierosolymitanum, ita locū hunc exprimens: *Et præcidit præputium filij, applicuitque ipsum ante pedes Angeli deuastatoris, dicens: Sponsus meus volebat circumcidere istum: at pater meus non permittebat ei: nunc ergò propitius esto, propter sanguinem circumcisionis istius, peccatis sponsi mei.*

Nōnulli porrò illud pronomen (*eius*) *Tertia expositio.* referunt ad infantem circumcisum: eius pedes mater, vel sanguine fuso, vel ipso præputio proiecto tetigit, vel tinxit. Sed mihi rectius, & aptius, atque cōgruentius narrationi Scripturæ sentire atque interpretari videntur, qui pronomen illud (*eius*) referunt ad Mosem: ad cuius pedes abiecit Sephora præputiū *Quarta expositio.* amputatum filio, vel tanquam irata & fremens (vt quidam exponunt) quod propter ipsum coacta esset sauciare filium, & multum eius sanguinē profundere: vel potius quasi lætabunda, & gratulabunda, bono esse animo iubens maritum: proinde quasi ei diceret: En præputium filij tui, propter quod percutere te uoluit Angelus: nunc igitur eo oblato, infanteque circumciso, nihil mali amplius tibi metuendum est. Rupertus *Rupertus.* libro primo Commentariorum in Exodum, capite 20. exponens verba hæc:

Tetigit

Tetigit pedes eius. ait, Sephoram proſtratam eſſe ad pedes Moſis, importunè rogando, vt permitteret ſe redire in terrã ſuam. Sic enim ſcribit: Vt quid tetigit pedes eius? Videlicet, vt dimitteretur: nam protinus ſequitur: *Et dimiſit eum*. Idcirco igitur tetigit pedes eius, id eſt, importunè ſupplicauit, ne ipſum longius ſequi compelleretur: exterrita vtique, vel imparata tantis viſionibus: vtpote quibus gentiliter viuens, nondum intereſſe merebatur. Sic ille.

OCTAVA DISPVTATIO.

Quę ſit recta & propria illorum verborum ſententia & interpretatio: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*.

50. ALTERA obſcuritas eſt in illis verbis: *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* quę verba certum eſt dicta eſſe à Sephora: ſed cui dicta ſint, & quænam ſit eorum germana, & propria ſententia, perobſcurum eſt. Cur autem pro his verbis, quæ habet etiam Scriptura hebraica, & Paraphraſis Chaldaica, LXX. Interpretes verterint: *Stetit ſanguis filij mei*. equidem neſcio. Nam nec ambiguitas vocis hebræę, nec ſimilitudo & conuenientia eius cum alia quapiam voce, iſtiuſmodi interpretationis præbere occaſionem potuit. S. Auguſtinus in quæſtione 11. in Exodum, confugiẽs ad myſteria, putauit magnum aliquod myſterium latere in eo, quod ſeptuaginta verterunt: *Stetit ſanguis filij mei*. Verùm nos hæc miſſa faciamus; penſitemus potius verba latinę translationis. Rabbi Abraham Zepharadi refert verba hæc ad filium Moſis, qui fuerat circumciſus: vt hiſce verbis mater applaudens filio, atque eũ amplexans dixerit: Tu es mihi ſponſus ſanguinum. Tradunt enim Hebræi morem fuiſſe Hebræis matribus, cum filij erãt circũciſi, vocare eos ſponſos ſuos. Rabanus verba hæc refert ad Moſem, cui dicta ſint ab vxore, arguente maritum inclementię, quod eius cauſa, filium ſanciari, & cruentari neceſſe fuerit: ac ſi diceret ei: Tu quidem, mi vir, non abhorres à fundendo ſanguine filij tui, dum iubes illum circũcidi. Erat enim illa Madianitis, eius cęremoniæ inſolẽs, atque ignara. Sic Rabanus. Sed eum meritò refellit Thoſtatus. Quomodo enim Sephora iraſceretur Moſi pro pter Circumciſionem filij, quam Angelus, vidente ipſa, manifeſtè exigebat; & propter ipſam omiſſam, volebat occidere Moſem? Quid, quod illa Circumciſio nõ erat ei noua, cum alter filius iam ante fuiſſet circumciſus in terra Madiã? Neque latebat ipſam circumcidendi ritum, ſolennem eſſe genti Hebrææ; nec eum ſine capitali noxa, violari poſſe: nec eſt probabile, etiam Madianitas è ſtirpe Abrahæ progenitos, eo tempore non vſos eſſe Circumciſione.

Diuerſitas lectionis græcæ.

Prima expoſitio Abrahã Zepharadi.

Secũda expoſitio Rabani.

Alij credunt, Sephoram illis verbis ſignificare hoc voluiſſe marito ſuo Moſi: video te fore mihi ſponſum laborioſum & ſanguinarium. Sentio mihi tua cauſa, maiores indies moleſtias & calamitates ſubeundas eſſe: nam ſi hoc nobis in itinere accidit, quid non mali expectare debemus in Aegypto? Liceat itaque vel mihi, bona tua cum venia, regredi in patriam: nam ſi quod nunc aggrederis, ex ſententia ceciderit, facilè erit, nos etiam ad ſocietatem gaudij & fęlicitatis accerſere: ſin aliter euenerit, non vna omnes peribimus. Et hac ex occaſione creditur, Sephoram cum filij, ſex eo loco dimiſſam à Moſe, regreſſam eſſe cum filijs in terram Madian.

Tertia expoſitio.

Placet mihi p̃ cęteris expoſitio Thoſtati, breuis, recta, aptaque, ac maximè congruens Scripturæ narrationi, atque optimè propriam horum verborũ ſententiam exprimens. Sephora poſt circumciſum filium, atque præputio eius ſanguinolẽto ad pedes Moſis proiecto, dixit Moſi: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, quaſi diceret: Niſi ego ſanguinolentam filij mei circumciſionem feciſſem, tu ab Angelo interfectore perijſſes: te igitur ego mihi denuò ſponſum acquiſiui, nõ quidem dote pecuniaria, ſed profuſione ſanguinis filij mei. Sententia itaque huius totius loci, huiuſmodi eſt: Iratus Moſi Dominus, quod filiolum ex gentili vxore ſuſceptũ, in tempore non circumciderat, mortem ei per Angelũ inter- 51.

Quarta expoſitio Thoſtati, quæ placet Auctori.

interminatus est. Quod vbi animaduertit Sephora, mox arrepto saxo acuto, præputium filioli sui amputauit, non dubitans, periculum mariti ob id euenisse. Resectum porrò infantis præputium ad pedes mariti abiecit, dicens: *Quoniam sponsus sanguinum tu mihi es*: quasi diceret, sanguine te mihi denuò sponsum redimere ac retinere cogor: sanguine, inquam, filioli mei; cuius nisi sanguinem circumcisi fudissem, perieras tu, atque ego sponsum meum perdidissem. Hoc autem facto dictoque, Moses periculo mortis, quam ei Angelus Domini intentabat, liberatus est.

52. *David Kimhi.* Quoniam verò Dauid Kimhi historiam huius loci breuiter ac dilucidè, appositeq; in libro Radicum enarrauit, non ab re visum mihi est, vt in hoc loco eam adscriberem: Est autē interpretatio eius huiusmodi. Verisimile videtur, sicut homo in die nuptiarum suarum (Chasan) id est, sponsus vocatur, ita & infantem in die Circumcisionis, eodem nomine appellari solitum. Etymon nēpe eius vocabuli, significat nouum gaudium: quemadmodum igitur nouum gaudium fit in die nuptiarum; ita quoq; in die Circumcisionis. Dicit autē Scriptura, quod Angelus quæsiuit occidere Mosem in itinere, & in ipso hospitio: ob eam videlicet causam, quod non circumcidisset Eliezer filium suum. Quod vbi Moses intellexit accidere sibi propter culpam Circumcisionis, præcepit Zipporæ, vt circumcideret illum: non enim ipse poterat id facere, præpeditus graui morbo, qui illū corripuerat. Accepit itaq; Zippora petrā, & abscidit præputiū filij sui; applicuitq; ad pedes Mosis: quasi dicens ei; Si ob hanc causam ægrotus es factus, en habes sanguinem Circumcisionis. Dixitq;: *Quoniam sponsus sanguinum tu mihi es*. Tanquā diceret: Factus es mihi hodie sponsus sanguinū, & interfectionis mariti mei. Postquā verò applicuisset de sanguine Circumcisionis ad pedes Mosis, & reliquisset eū morbus, tunc cognouit, & dixit: Sponsus sanguinum Circumcisionis es, quasi diceret: Tu, quem vocaueram sponsum sanguinis, nō es profectò spōsus sanguinis interfectionis, sed spōsus sanguinis Circūsionis. Hactenˀ ex Dauide Kimhi.

NONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Et dimisit eum: & item de multiplici expositione mystica huius historiæ. *Versu 25.*

53. *Prima expositio Lyrani.* RESTAT tertia obscuritas, cui similiter vt duabus prioribus, lux aliqua facienda est. Ea verò posita est in illis verbis: *Et dimisit eum*. Non enim satis liquet, & quis dimiserit, & quem dimiserit. Sunt autē quatuor horum verborum interpretationes. Prima est Lyrani, referētis illud *dimisit* ad Sephoram; illud verò pronomen *eum* ad Mosem; & interpretantis ꝑpter atrocem illum mariti casum, & triste fauciati filij spectaculum, Sephoram dimisisse Mosem, id est, ab eo recessisse, & in patriam redijsse. Verùm isti expositioni repugnat verbum hebræum, respondens Latino *dimisit*, quod secundū proprietatē linguæ Hebrææ, relationē denotat ad suppositum masculinum; nō igitur referri potest ad Sephoram. Deinde non Sephora dimisit Mosem, sed Moses eam remisit in patriam, vt colligitur ex ijs quæ scripta sunt infrà c. 18. Creditur autē remisisse eam ex hoc loco, quòd ex illa visione & comminatione Angeli intellexerit eius ac filiorum comitatum indecentem sibi, atque incōmodum fore negotio, quod tractatum ibat in Aegyptum. Vel dimisit eam ex mōte Horeb, vbi occurrit ei frater eius Aaron, cuius admonitu & suasu, uxorē cum filijs remisit in patriam.

54. *Secūda expositio Pauli Burgēsis.* Altera expositio est Pauli Burgensis, illud *dimisit* interpretantis de Mose: illud autem *eum* de filio ipsius: vt sit sensus, Mosem post illā visionem, remisisse filium in terram Madian. Verùm duriuscula videtur interpretatio, nec satis cohærens Scripturæ verbis, & potius dixisset, remisisse eam, id est, vxorem, quā eum, id est, filiolum infantem, nec viriū, nec rationis potentem ad redeundum.

Tertia expositio quorundā Hebræorum. Tertia expositio est, referri hæc verba ad morbum qui Mosem inuaserat: sed ubi filius circumcisus est, continuò

eum

Quarta expositio præ ceteris placens Auctori. eum dimisit, & abijt. Sed magis congruit narrationi Scripturæ quarta expositio, referens verbum *dimisit* ad Angelū, & pronomen *eum* ad Mosem. Angelus enim, qui mortem interminabatur Mosi, peracta infantis Circumcisione destitit eum insectari, atque ei mortē intentare. Hanc expositionem adiuuat Græca translatio, expressum hîc habens nomen Angeli, sic enim ait: *Recessit ab eo Angelus.* Et itidem locum hunc exposuit S. Augustinus quęst. 11. in Exodum.

55. *Allegorica superioris historiæ sextuplex expositio. Prima expositio Gregorij Nysseni.* Non sunt hîc prætermittendæ sex historiæ huius mysticę expositiones ex bonis auctoribus excerptæ. Prima expositio, quam tradit Gregorius Nyssenus, est huiusmodi: Moses iunctus vxori alienigeræ adumbrauit doctorem Christianum, studiosum & deditum humanæ Philosophiæ. Filius incircumcisus, propter quem Moses perijsset, nisi cōfestim ille fuisset circumcisus, significat philosophica dogmata habere præputium necessariò amputandum, hoc est, errores mixtos veritati; qui nisi protinus resecentur, & abijciantur, exitiales atque lethales erunt doctori Christiano. Exempli causa, Communis est multorum Philosophorum, & celebris sententia, Animum hominis esse immortalem; verùm ea veritas præputium habet apud nōnullos Philosophos necessariò amputandum. Quidam enim eorum fatentur quidem animum nostrum esse immortalem, sed negant esse substātialem formam hominis, vel pro multitudine hominum multiplicari; sed trāsmigrare ex vno corpore in aliud corpus humanum. Plurium etiam Philosophorum dogma est, sanè verissimum, vnum esse Deum, eumq; creatorem & gubernatorem omniū: sed hæc veritas, in nonnullis Philosophis præputiū habet, id est, fœdum atque impium errorem admixtum. Quidam enim eorum impiè negant Deum esse agens liberū, sed aiunt ex necessitate naturæ operari; Alij, dicunt non esse præditum infinita potestate, nec posse ab eo quicquam fieri ex nihilo, sed habere ipsum coæternā sibi materiam, ex qua efficiat omnia. Vides, doctrinam Philosophorum, plures habere filiolos incircumcisos, dogmata dico, partim vera, partim erroribus permixta, & cōtaminata: quæ nisi petra circumcidantur, id est, iuxta fidem & doctrinam Christi, purgentur & resecentur, mortē afferunt homini Christiano, nimis imprudēter atq; incautè ī Philosophorū dogmatib⁹ & scriptis versāti.

Secunda expositio Glossæ. Secūda expositio est Glossæ: & sic habet, secundum historiam: Sephora, mulier Gentilis, admirans nouitatem rei, potuit dicere Mosi *Sponsus sanguinum tu mihi es*, quasi diceret; Ritus gentis tuæ cogit me fundere sanguinem filij mei; quod alijs gentibus non est moris. Mysticè autem, Sephora Ecclesiam ex Gentibus designat, quæ præputium filij sui, id est, antiquos errores petra circumcidit, id est, per fidem & doctrinam Christi abiecit, exuens veterem hominem cum actibus suis.

Tertia expositio, Quales esse oporteat Ecclesiæ pastores. Tertia expositio. Obseruatione dignum est, quod in hac historia dicitur, Angelum occidere voluisse Mosem, nō iter facientem, nec solitarium; sed in diuersorio, vnà cum vxore & filijs commorantem & quiescentem. Hinc enim licet intelligere, magno dignos esse supplicio eos, qui à Deo missi sunt, & quorum, ex officio, interest, ire ad erudiendos hoïes, & liberandos è peccatorū tenebris, & diaboli seruitute; si tanti muneris incuriosi & negligentes, in cupiditatibus & curis rērum temporalium, & in amore, & conuersatione cognatorū & amicorum commorentur & conquiescant. Non sic profectò beatus Paulus; qui de se scribit ipse: *Cum*, inquit, *placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, & euangelizarē illum in Gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos; sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.* *Locus Pauli ad Gala. 1.* Et alio loco testatur, vbi vocatus fuit ad Christi fidem, & ad prædicandum Euangelium, oblitum se fuisse *ad Philip. 3* quæcumque retro sunt: & quę prius magna sibi ducebat emolumenta & decora, postea æstimauisse, Christi causa, tanquam stercora & detrimenta.

57. *Quarta expositio.* Non satis fuit Mosi, futuro Hebræorum rectori atque imperatori, quod ipse circumcisus esset: sed quia secum habuit filium incircumcisum, in vitæ discrimine

ſcrimine verſatus eſt. Non igitur ſatis eſt, rectores Eccleſiæ, & paſtores fideliũ populorum, bonos eſſe ipſos atque innocentes: niſi etiam ſedulò curent, ut omnes ipſorum domeſtici & adminiſtri, boni etiam ſint, & iuſtitiæ atque honeſtatis, & pietatis obſeruantes: alioqui propter ſuorum peccata, & ipſi obnoxij culpæ ac pœnæ ſunt. *1. Reg. c. 3.* Cuius rei exẽplum præbet nobis Scriptura perilluſtre, in Heli pontifice: ceteroqui viro ſatis bono ac pio, ſed propter filiorũ ſuorum peccata, Dei vindictam promerito, & ſeueriſſimè punito.

58. *Quinta expoſitio.* *Quomodo Chriſtus ſit nobis ſponſus ſanguinum.*

Quinta expoſitio ſententiam habet huiuſmodi. Quilibet religioſus Dei cultor, & fidelis Chriſti ſeruus, quod dixit Sephora Moſi, idem verè poteſt Chriſto Domino dicere: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*; idque duplici de cauſa. Etenim Chriſtus ſanguine ſuo deſponſauit ſibi Eccleſiam, nobiſque bona omnia promeruit. Sicut Paulus dixit Epiſcopis Aſiæ: *Attendite vobis & vniuerſo gregi; in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*: *Actor. 20.* & B. Petrus in priori epiſtola ſua ſcriptum reliquit, *1. Pet. 1.* Non corruptibilibus auro & argẽto redemptos eſſe nos de vana noſtra conuerſatione: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati. Deinde, Chriſtus eſt nobis ſponſus ſanguinum, quia nemo perfectè Chriſto placere poteſt, niſi q abnegat ſemetipſum, & tollit crucem ſuam: Niſi qui odit, & perdit animam ſuam in hoc mũdo: *Matth. 16. Ioan. 12.* Niſi qui carnem ſuam crucifigit cum vitiis & concupiſcentiis: Niſi qui Diabolo, Carni, & Mundo reſiſtit vſque ad ſanguinem. Denique certum eſt, Chriſtianæ diſciplinę dogma illud, quod prędicauit Apoſtolus: *Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur.* *2. Tim. 3.* Nec minus verum eſt, quod idem Apoſtolus alio loco dixit: *Si ſecundum carnẽ vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis* *ad Rom. 8.* Atque hæc eſt perfecta Circumciſio; non carnis, ſed ſpiritus; non exterior, ſed interior; non Iudaica, ſed Chriſtiana; nec laudem habens ab hominibus, ſed à Deo. *ad Rom. 2.*

59. *Sexta expoſitio.*

Sexta expoſitio. Non profuit Moſi quod vnum filium haberet circumciſum: ſed quia incircumciſum habuit alterum filium, deuenit in periculum mortis. Similiter non ſatis eſt, Eccleſiæ Principes & Rectores habere circumciſum intellectum ab omni errore circa fidem & doctrinam Chriſtianam; niſi affectũ etiam à vitioſis moribus, voluptatibus, atq; immoderatis rerum terrenarum cupiditatibus circumciſum habeant.

BENE-

BENEDICTI PERERII IN CAPVT QVINTVM EXODI,

DISPVTATIONES QVATVOR.

Moses & Aaron Dei nomine petunt à Pharaone, vt Hebeæos sinat ire in solitudinem sacrificatum Deo. At ille Deo rebellis & blasphemus, ob id iubet Hebræos inhumanius & crudelius tractari.

CAPVT QVINTVM EXODI.

Versu 1. POSTHAEC ingressi sunt Moyses & Aaron, &
1. dixerunt Pharaoni: * Hæc dicit Dominus Deus
Israël: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi
2. in deserto. * At ille respondit: Quis est Dominus,
vt audiam vocem eius? & dimittam Israël? nescio
3. Dominum, & Israël non dimittam. * Dixeruntque: Deus He-
bræorum vocauit nos vt eamus viam trium dierum in solitudinẽ,
& sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pe-
4. stis aut gladius. * Ait ad eos rex Aegypti: Quare Moyses & Aarõ
5. solicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. * Di-
xitque Pharao: Multus est populus terræ: videtis quod turba
succreuerit: quantò magis si dederitis requiem ab operibus?
6. * Præcepit ergò in die illo præfectis operum, & exactoribus po-
7. puli dicens: * Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad con-
ficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant, & colligant stipu-
8. las. * Et mensuram laterum quam prius faciebant, imponetis su-
per eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, & idcirco vocife-
9. rantur, dicentes, Eamus, & sacrificemus Deo nostro. * Oppri-
mantur operibus, & compleant ea: vt non acquiescant verbis
10. mendacibus. * Igitur egressi præfecti operum & exactores, ad
11. populum dixerunt: Non do vobis paleas: * Ite, & colligite sicu-
bi inuenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro.
12. * Dispersusque est populus per omnem terram Aegypti ad col-
13. ligendas paleas. * Præfecti quoque operum instabant, dicentes:
Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quan-
do dabantur vobis paleæ: Flagellatique sunt qui præerant operi-

bus

bus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis dicentibus: Qua-
re non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec ho-
15. die? * Veneruntque præpositi filiorum Israel & vociferati sunt
16. ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra seruos tuos? * Pa-
leæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli
17. tui flagellis cædimur. * Qui ait: Vacatis otio, & idcirco dicitis, ea-
18. mus, & sacrificemus Domino. * Ite ergo & operamini paleæ
19. non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.
* Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quod di-
20. ceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos
dies. * Occurreruntque Moysi & Aaron, qui stabant ex aduerso,
21. egredientibus à Pharaone: * & dixerunt ad eos: Videat Domi-
nus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram
22. Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret
nos. * Reuersusque est Moyses ad Dominum, & ait: Domi-
23. ne cur afflixisti populum istum? quare misisti me? * Ex eo enim
quo ingressus sum ad Pharaonem vt loquerer in nomine tuo,
afflixit populum tuum: & non liberasti eos.

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Posthæc ingressi sũt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meũ vt sacrificet mihi in deserto.

6. PAVLO infrà versu tertio eadem verba referentes Moses & Aaron, expresserunt, quod prius tacuerunt, quàm longè secessuri essent in solitudinem, trium scilicet dierum itinere. Sic enim locuti sunt Pharaoni: *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis aut gladius*. Sed enim locus hic duas adfert quæstiones: priorẽ quidem excitant prima illa verba huius capitis quinti: *Posthæc ingressi sunt Moses & Aaron, & dixerunt Pharaoni, &c.* Nam supra capite tertio Deus dixit Mosi: *Ingredieris tu & seniores Israel ad regem Aegypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.* Cùm igitur præcepisset Mosi, vt expositurus mandata sua Pharaoni, duceret secum seniores populi; quomodo hic dicitur, solos Mosem & Aaron ingressos esse ad Pharaonem, nulla seniorum facta mentione?

Quæstio cur seniores Israel nõ secum duxerit Moses ad Pharaonem, sicut ei Deus mãdauerat.

Lyranus putat, etiam seniores vnà cum Mose & Aaron ingressos esse ad Pharaonem; sed hic nominari tantum Mosem & Aaron, quod isti essent aliorum principes, & illorum nomine loquerentur Pharaoni. Inclinat etiam Caietanus in hanc opinionem: ait enim verba illa Pharaonis; *Ite ad onera vestra*, non tam Mosi & Aaron, quàm alijs senioribus, qui illic aderant, dicta esse.

Lyranus, et Caietanus.

Sed ab istis dissentit Thostatus, censens solos Mosem & Aaron ingressos esse ad regem Aegypti: illud namque mandatum datũ Mosi de senioribus Israel secum ducendis ad Pharaonem, datum ei fuit, antequã Deus adiunxisset ei Aaron: is enim ei datus est loco seniorum, tanquam adiutor & interpres eius apud Regem & populum. Hoc etiam mihi videtur ad veritatem propensius. Idemque sentiũt Hebræi: verum, more suo, nugãtur, aientes, metu regis nõ esse ausos senio-

Thostatus.

res populi ad Pharaonem ingredi: eosque postea ob eam culpam punitos esse à Deo. Cùm enim Deus legem daturus Hebręis descendisset in montem Sinai, vetuit seniores propius ad se accedere. Quasi verò non itidem filij Aaron, qui erât iuuenes, propiori ad Deum accessu prohibiti fuerint: quin etiã ipsi Aaron idem quoque interdictum est.

2. Obserua bone Lector, quemadmodũ Moses & Aaron in exequendo mandata Dei de liberando populo Hebræo, gesserint se cum rege Aegypti. Cùm enim rex ille non solùm veri Dei esset ignarus, sed etiam irrisor atque contẽptor; & cùm Hebræos iniqua & tyrannica seruitute oppressos teneret; Moses tamen non excitauit popularem tumultũ & seditionem; non inflammauit populũ aduersus Regẽ; non solicitauit Hebręos ad defectionem, & rebellionem; nec suasit, vt arma caperent, quibus regem & Aegyptios, clandestino aggressu, trucidarent: sed pacificè Regem ipsum adiuit; & rogauit, vt Hebræis potestatem faceret proficiscendi in desertum, & sacrificandi Deo suo. Reflecte nunc (Lector) cogitationem ad hæc nostra tẽpora, & reputa, an itidẽ se gesserint huius ætatis Hæretici: qui specioso quodã obtentu, nescio cuius nouæ libertatis, & religionis Euangelicæ, omnia humana, iuxta ac diuina iura confundentes, ac peruertentes; rapinis, incendiis, ac cædibus sectas suas fundare ac propagare & confirmare conati sunt; non modò Christianæ religionis hostes, verùm etiam communis hominum societatis violatores atque euersores.

3. *Quæstio cur Deus iussit peti à Pharaone triduanã tãtum Hebræorũ profectionẽ in desertũ, cũ ipse constituisset eos perducere in terrã Chanaan.*

Alteram quæstionem pariunt verba illa: *Vt eamus viam trium dierum in solitudinem.* Quæritur enim, cur Deus iusserit peti à Pharaone triduanam tantum profectionem in desertum: cùm ipse cõstituisset, Hebræos omninò educere ex Aegypto, & perducere in terram Chanaan: & imperasset, vt Hebræi profecti ex Aegypto, sacrificarent ipsi in monte Horeb; ad quem montem sciebat ipse, non ante tertiũ mẽsem, quàm egressi fuissent ex Aegypto, Hebræos peruenturos? Quidam Hebræorum aiunt, sumi hoc loco nomen diei pro mense; siquidem post iter trium mensium, vt infrà dicitur cap. 19. peruenerunt Hebræi ad Montem Horeb: & ibi sacrificauerunt Deo: nec mirum videri debere aiunt, poni hoc loco diem pro mense, cum apud Ezechielem capite quarto dies sumatur pro anno. Sed nugæ sunt & figmenta Hebræorum: sic enim petitio illa Mosis captiosa fuisset atque fallax, & ad decipiendum regem astutè concinnata; quod non est fas de Mose, multò autem minus de Deo dicere. Propositæ igitur huic quæstioni breuiter hoc modò respondendum est. Quamuis Deus vellet omnino educere Hebræos ex Aegypto, & ducere in terram Chanaan; iussit tamen peti a Pharaone triduanam tantùm profectionem in desertum: quã sciebat Regem nequaquam concessurum; quò clarius videlicet appareret inhumanitas & inclementia, atq; obstinata malitia regis, tam facili & iustæ petitioni superbè cõtradicentis ac repugnãtis: ex eoque palam fieret, iustè ipsum à Deo fuisse punitum. Consimili ratione quæstionem hanc explicarunt Lyranus & Thostatus super c. 3. Exodi. At ego solutionis, quam tradidi, auctorem habeo B. August. in quæst. 13. in Exodum ita disserentem: Quæritur, quo modo Hebræis dictum sit, Deum velle, eos ex Aegypro deducere in terram Chanaan: Pharaoni autem dictũ est, iubere Deũ, Hebræos ire viam trium dierum in desertum ad sacrificandum ipsi. Sed intelligẽdum est, quamuis Deus sciret, quid esset facturus; quoniam tamen præsciebat, non cõsensurum Pharaonem ad dimittendum populum Hebræum, illud primò dictum esse, quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret: vt enim sic fierent omnia, quemadmodum consequens Scriptura testatur, Pharaonis cõtumacia meruit & suorum. Neq; enim mendaciter Deus iubet, quod scit non facturum, cui iubetur, vt iustum iudiciũ consequatur. Sic Augustinus.

Lyranus. Thostatus. S. August.

4. *Varia expositio mystica itineris trium dierum.*

Illud porrò iter trium dierum in solitudinem ad sacrificandum Deo, variè, secundum mysticum intellectum & tractatum exponitur à Doctoribus. Vel enim referunt ad tres partes Sacramenti Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem & Satisfactionẽ: vel ad illud q̃d dixit Propheta: *Post duos dies viuificabit* *Osea 6.*

bit nos, & die tertia suscitabit nos. Vel ad mysterium sanctæ Trinitatis: vel ad illud Apostoli dictum 1. ad Thessalonicenses 5. *Vt integer sit spiritus, anima & corpus, sine querela*: vel quia tripartitam Philosophiam, rationalem, naturalem, & moralem, referre debemus, & accommodare ad diuina dogmata: uel quia bene cogitando, & bene loquendo, & bene agendo, triplex Deo gratum sacrificium, cordis, oris, & operis exhibetur. De sacrificio cordis
Psal. 50. scriptum est: *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. De sacrificio oris legi-
Psal. 49. mus: *Immola Deo sacrificium laudis*. Et
Ibidem. item: *Sacrificium laudis honorificabit me*. De sacrificio etiam operis proditum
Psal. 4. est: *Sacrificate sacrificium iustitia, & sperate in Domino*. Lubet hîc adscribere verba Sanct. Augustini super hac ipsa re in
6. August. sermonibus suis de tempore, & in Exordio sermonis nonagesimi hunc in modum pulchrè disputantis. Videamus quid sit illud quod dixit Moses: *Viam trium dierum ibimus in desertum, vt sacrificemus Domino Deo nostro*. Hæc quidem volebat Moses, sed contradicebat Pharao, nolens filios Israël à se longè discedere. Non enim volebat Princeps huius mundi, trium dierum Sacramenta cognoscere. Illa vtique sacramenta,
Osea 6. de quibus Propheta dixit: *Viuificabit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit nos*. Prima dies, passio Domini Saluatoris est: Secunda dies, descensus eius ad infernum: Tertia verò, resurrectio-
Exodi 13. nis est dies: & ideo die tertia Deus antecedebat eos per diem in columna nubis; ducebaturque populus per mare rubrum. Tres autem dies non incongruè possumus dicere mysterium Trinitatis, Patrem, & Filium, & Spiritū; nā & Pater dies est, & dies Filius est, & Spiritus sanctus dies est, & hi tres vnus dies. Via quoque trium dierum, per quam Hebræi de Aegypto exierunt, si-
Ioan. 14. gnificauit eum, qui de seipso dixit: *Ego*
Ibidem. *sum via, & veritas, & vita*: quia nemo venit ad Patrem nisi per ipsum. Ipse est via, per quam populus Dei educitur ex Aegypto, id est, de Idolorum obseruatione, & educitur per mare rubrū, Christi sanguine rubicundum, & quodammodo iam tunc Baptismi mysterio consecratum: tanquam per Baptismi Sacramentum Pharaone submerso, populus Dei eripitur. Sic Augustinus. Ac demum via trium dierum qua itur ad sacrificandum Deo, est cultus Dei per fidem, spem, charitatem; hoc enim cultu Ioan. 4.
gaudet Deus, & in spiritu & veritate ritè adoratur.

Iuuat etiam hîc commemorare mira- 5.
cula, quæ in hoc primo Mosis ingressu ad Pharaonem contigisse, vetus auctor prodidit Artapanus, referente Eusebio Artapanus
in lib. 9. de præparatione Euangelica, apud Euse-
cap. vltimo, sic enim ait; Cum Mo- bium.
ses à Deo quotidie liberationem popu- Miracula
li sui peteret, accidit, vt quodam die, quæ Mosi
repentè coram eo ignis è terra, vbi nul- adeūti Pha
la incendio apta materies erat, subitò raonem cō-
erumperet, voce edita, liberandos ab tigerunt,
ipso breui esse Hebræos, & in antiquam Artapano
patriam perducendos. Hoc Dei ora- auctore.
culo fretus Moses, priusquam exercitum compararet, ad regem Aegyptiorum, soceri consilio, descendit: dixitque ei, orbis Domini nomine, ac iussu, vt Hebræos dimitteret. Quo rex audito, in carcerem detrudi eum iussit. Sed inde nocte, custodibus mortuis, ac repentè portis patentibus, ianuisque omnibus, quæ inibi erant, confractis, exiuit Moses: rectaque via in regiam, ad vsque regis cubiculum, ipsumque regem, ianuis apertis intrauit. Interrogatus porrò à stupente rege, quodnam esset eius Dei nomen, à quo missus esset; inclinata Moses ceruice, cùm in aurem Regi, nomen Dei dixisset, protinus id audiens Rex, mutus cecidit; sed mox à Mose ad sanitatem atque integritatē reuocatus est. Scripsit præterea Moses ipsum Dei nomen in tabula: quas literas cum nonnulli sacerdotum deriderent, legere nescientes; spasmo animam omnes expirarunt. Hactenus ex Artapano. Sed ego ægrè adducor, vt credam Artapano, ista esse vera: non enim verisimile fit, vt res tam insignes ac memorabiles Moses scribere prætermiserit, qui multa in eo negotio facta, minoris sanè admirationis & momenti, diligenter exposuerit.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super intoleranda Pharaonis superbia & blasphemia in Deum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 2. Quis est Dominus? vt audiã vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel nõ dimittam.

6. SI verba hæc dixit Pharao ex ignorantia; quæ potuit esse turpior, & miserabilior ignorantia, quàm ne scire Deum: siquidem verè illud scriptum est in libro Sapientiæ, cap. 13. *Vani sunt omnes in quibus non sub est scientia Dei.* Cuius item vecordiæ est, gloriari de diuitijs, nobilitate, fortitudine, multarumque rerum scientia; si quod est omnis sapientiæ, omnisq; boni caput, ignoretur Deus? Ab eo quippe homo effectus est; ab eo regitur & conseruatur, & vsquequaque pendet: & in eo supremum eius bonum, cuius adeptione beatus esse potest, collocatum est. Nempe verissimũ est, quod per Hieremiam dixit Dominus: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Sin autem Pharao responsum illud dedit non ex ignorantia Dei, sed ex superbia, & contemptu; quæ potest esse detestabilior, atque intolerabilior arrogantia, quàm esse Diuini numinis contemptorem? hoc vtique euidens signum est hominis ad extremum malitiæ prouecti, & in profundo peccatorum demersi. Nam vt Salomon dixit: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Sicut enim boni sic procedunt in bono, vt à Dei amore incipientes, perueniant vsque ad contemptum & odium sui: ita mali contrà, sic in malo procedunt, vt incipiẽtes ab amore sui, vsque ad Dei contemptũ prouehantur.

Locus Hieremiæ 9.

Locus Prouerb. 18.

7. Cæterùm quæritur, cum Deum esse, sit per se notum, quomodo potuit Pharao nescire Deum? Paulus Burgensis super hoc loco ait, pro eo quod Latinus interpres vertit, dixisse Mosem: *Hæc dicit Dominus*, protulisse Mosem nomen ipsum Dei Tetragrammaton, & quia nomen illud planè incognitum, & inauditum Pharaoni erat, idcirco respondit se nescire Dominum. Sed hoc simile videtur commento Artapani, quod suprà memorauimus. Quorsum enim Moses in tam graui legatione, ac negotio vsurpasset nomen Dei, quod sciebat omnino ignotum Pharaoni? Existimare enim potuit, ad consequendum id quod petebat, atque optabat, futurum id impedimento potius, quàm adiumento. Thostatus hîc longam texit disputationem, An Deum esse, sit per se notum: cuius in ea disputatione, hæc denique sententia est: Deum esse, per se notum est, non solùm quia prædicatum est de ratione subiecti, nam esse & essentia idem omnino sunt in Deo; quapropter solus ipse verè potuit dicere, quod dixit Mosi: *Ego sum qui sum:* verùm etiam quia si notum sit, quid significetur nomine Dei, nemo potest ignorare, aut dubitare Deũ esse. Etenim nomen Dei significat id, quod est omnium rerum optimum, atque perfectissimum: Oportere autem tale quippiam esse in rerum vniuersitate, per se manifestum est: nam seriem & ordinationem rerum esse infinitam, nec sursum aut deorsum determinari, euidenter aduersatur rationi. Potest tamen ignorari an illud optimum & perfectissimum sit incorporeum, & omnia intelligens, & agens liberum, & infinita potestate præditum, atque omnium rerum curam, & prouidentiam habẽs. Pharao igitur non dixit, se nescire Deũ, sed nescire Dominum, quod nomen significat prouisorem atque gubernatorem. Sic Thostatus.

An Deum esse, sit per se notum. *Burgensis opinio refellitur.* *Thostati opinio excutitur.* *Exod. 3.*

8. Sed opinio ista Thostati habet quidem subtilitatem doctrinæ scholasticæ verùm sententiæ verborum Scripturæ minimè congruit. Neque enim Pharao, cum dixit, se nescire Dominum, cogitabat id, quod dicit Thostatus; nec tacitus apud se distinguebat vocẽ Domini à vocabulo Dei. Nec per se manifestũ, & cuilibet hominum euidens est, vt

putat

putat Thostatus, feriem caufarum, atq; ordinationem rerum non effe infinitam, fed extremitate aliqua determinari oportere. Si enim id per fe effet manifeftum, etiam quoad nos (fic in fcholis loquimur) fuperuacaneum atq; adeò ftultum effet, id argumentari, & demonftrare velle. At fapientiffimus Philofophorum, in libro fecundo Metaphyficorũ, id accuratiffimis rationibus probare conatus eft. Sed audiat Lector fuper hac ipfa re beati Thomæ fententiam. Cenfet enim, quod fecundum fe quidē Deũ effe, fit per fe notum; quia prædicatum eft idem cum fubiecto, Deus enim, eft fuum effe. Quia tamen ignoramus de Deo, quid eft; ideo non eft nobis per fe notum Deum effe: fed id indiget demonftrari per ea, quæ funt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, fcilicet per effectus. Quod fi Deũ effe etiam quoad nos, per fe notum effet, ergo nullus poffet cogitare, Deum non effe; nullus enim cogitare poteft oppofitum eius, quod eft per fe notum omnibus, vt docet Philofophus in 4. Metaphyficor. textu 9. & in priori libro pofteriorum, textu vltimo, vt patet in primis principijs: at Deum non effe, quidam non modò cogitarunt, fed etiã dixerunt, fecundum illud quod dicitur Pfalmo quinquagefimo fecundo: *Dixit infipiens in corde fuo, Non eft Deus.* Ergo Deum effe, non eft per fe notum quoad nos. Hactenus ex B. Thoma.

Ariftoteles. — *S. Th. in 1. par. q. 2. artic. 3.* — *Locus Pfal. 52.*

9\. *Auctoris fententia.* Verius igitur dictũ fuerit, fi dicamus, Pharaonem idcirco dixiffe, fe nefcire Deum, quia erat atheus, putans mundũ nec à Deo regi, nec ab eo factum effe. Vel quia, cũ plurimos Deos, ritu Aegyptiorum, coleret, non putauit vnum aliquem certum Deum fibi admodum effe reuerendum ac timendum. Vel, cum dixit, fe nefcire Dominum, non fignificauit fe abfolutè ac fimpliciter nefcire Deum, fed nefcire fe quis effet Deus Hebræorum, qui fibi tanta auctoritate imperaret, vt Hebræos dimitteret.

Vnde accidat, vt qs neget Deũ. Quatuor porrò ex caufis accidere poteft, vt quifpiam dicat fe nefcire Deũ: vel repentino ac nimio timore perturbatus; vt fi pro confeffione Dei, paratã fibi mortem videret: quemadmodum cum Beatus Petrus præ timore negauit Chriftum. *Matth. 26.* Vel vanitate quadam humani fenfus, craffaque ignorantia, ficut dicitur Sapientiæ 13. *Vani funt omnes homines, in quibus non fubeft fcientia Dei.* Vel impia quadam infipientia, quam parit inueterata & corrupta fceleribus vita. Hoc enim fignificatur verbis illis, quæ funt in Pfalmis 13. & 52. *Dixit infipiens in corde fuo, Non eft Deus. Corrupti funt, & abominabiles facti funt in ftudijs fuis: non eft qui faciat bonum, non eft vfque ad vnum.* *Locus Pfal. 13.* Poftremò, ingens bonorum temporalium abundantia, diuturnaque profperitas, nonnunquam facit, vt quis putans fe fufficientem effe fibi ad omnia, neget Deum. Hoc timẽs Salomon rogabat Deum, ne fibi diuitiarum copiam largiretur, ne fortè ad negandum Deum adduceretur. Hæc eft enim ad Deum oratio eius in libro Prouerbiorũ cap. 30. litteris prodita: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceffaria: ne fortè faciatus illiciar ad negandum, & dicam Quis eft Dominus?* *Locus Prouer. c. 30.* Dauid quoque loquens de hominibus bonorum temporalium abundantibus, ait: *Ideò tenuit eos fuperbia, operti funt iniquitate & impietate fua. Prodijt quafi ex adipe iniquitas eorum, tranfierunt in affectum cordis; cogitauerunt, & locuti funt nequitiam, iniquitatem in excelfo locuti funt: pofuerunt in cœlum os fuum, & lingua eorũ tranfiuit in terra.*

TERTIA DISPVTATIO.

De paleis, quibus Hebræi coquebant lateres in Aegypto.

SVPER ILLIS VERBIS.

Nequaquã vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, ficut prius: fed ipfi vadãt, & colligant ftipulas. *Verfu 8.*

QVIS erat palearum vfus in coquendis lateribus? An pro incẽtiuo, fimulq; nutrimento & pabulo ignis vtebantur illis? Verùm tenuis admodum materies, leueque nutrimentum ignis eft palea. 10. *De vfu palearum.*

Lyranus non temerè putat, palearum *Lyranus.*

in coquendis lateribus, apud Aegyptios eum fuisse vsum, quod comminutæ & contritæ paleæ permiscebantur luto, quò tenacius fieret & firmius. Sic enim scribit super hoc loco Exodi: Paleæ dicuntur, quicquid remanet de messe, excusso grano: & paleæ commiscebantur cum luto, vt lateres fortiores essent; ex talibus autem fiebant ædificia in Aegypto, quia rari lapides sunt ibi. Verùm non modò propter penuriam lapidum, lateritia ædificia faciebant Aegyptij, præsertim regia & publica, sed præcipuè maioris firmitudinis, & diuturnitatis causa: talia enim ædificia solidiora & firmiora esse, testis est Plinius in libro 35. cap. 14. ita scribens: Græci, præterquam vbi ex silice fieri poterat structura, parietes lateritios prætulere: sunt enim æterni, si ad perpendiculum fiant: ideo & in publica opera, & in regias domos adduntur. Sic extruxere murum Athenis, qui ad montem Hymettum spectat: sic ædes Ioui Patris, & Herculis, quamuis lapideas columnas, & epistylia circumdarent. Idem Plinius lib. 7. cap. 56. Epigenis grauissimi auctoris testimonio firmat, apud Babylonios, septingentorum annorum obseruationes syderum, coctilibus laterculis inscriptas, conseruatas esse. Hoc ipsum indicant illa Ezechielis in cap. 13. verba: *Ipse ædificabat parietem, & illi liniebãt eum luto absque paleis, &c.*

Plinius.

Lateritij ædificij firmitas & diuturnitas.

11. *Quid palea secundum mysticum sensum significent.*

Verum enimuerò labor ille Hebræorum seruientium Aegyptijs, in paleis, luto, & fornacibus, vbi coquebantur lateres, multa continet mysteria, & documenta ad eruditionem moralem & spiritualem pertinentia. Primum de paleis dicamus. Significat moraliter palea turpem delectationem: sicut enim palea citò accenditur, & citò absumitur, sic turpis cogitatio citò mentem accendit, sed breui transit, atque euanescit. Lutum, id est, praua cogitatio, delectatione coquitur, cum in actum transit: sed cum ducitur in consuetudinem, solidatur atque duratur in lateres. Miratur Beatus Augustinus in lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 4. naturam paleæ, cuius est tam frigida vis, vt obtectas niues seruet: simulque tam feruida virtus, vt poma immatura maturet. Talis videtur carnalis & mundana voluptas. Hæc nempe frigiditatem spiritus in bono, torporemque fouet, & conseruat: inchoatas verò malas cogitationes, & quasi immaturas cupiditates maturat ad vitium. Superius autem illud, quod de paleis diximus, firmari, atque illustrari potest pulcherrima quadam Bernardi sententia, quæ est in sermo. 34. eorum sermonum, qui appellantur Parui. Sub iugo, inquit, Pharaonis fiunt lutea opera, id est, dissoluta & sordida. Ab ipso dantur paleæ, id est, leues cogitationes. Palearum est, leuiter accendi, & in momento consumi: sic & malæ cogitationes à Diabolo immissæ, citò in mentibus nostris accenduntur, carnis mollitie consentiente: sed si viriliter studeamus resistere, Deo iuuante, protinus extinguuntur. Paleis accensis coquebatur lutum, & solidabatur in lateres: similiter prauæ cogitationes, quæ sunt lutum, paleis delectationis accenduntur. Quæ cum transeunt in actum, tunc decoquuntur. Cum verò ducuntur in consuetudinẽ, tunc tãquam in lateres solidantur. Hæc S. Bernardus.

S. August.

12. Quid autem lutum in sacris litteris, secundum mysticam intelligentiam significet, bene declarat Sanctus Gregorius in libro 34. Moralium, cap. 9. tractans illa verba Iob capitis quadragesimi primi: *Seruet sibi aurum quasi lutum*: Nomen, inquit, luti aliquando in sacro eloquio significat terrenarum rerum multiplicitatem; aliquando sordidam doctrinam; aliquando desiderij carnalis illecebram. Per lutum namque terrenarum rerum multiplicitatem figurari, significatum est per Habacuc prophetam dicentem: *Væ ei, qui multiplicat non sua; vsquequò aggrauat contra se densum lutum?* denso enim se luto aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicãs, peccati sui oppressione se coangustat. Rursum luti nomine, doctrina sordidum sapiens designatur, sicut per eundem Prophetam Domino dicitur: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*: ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius seculi, sordida & terrena sapientes.

S. Greg.

Triplex significatio mystica luti, in Scriptura.

Locus Habacuc. 2.

Baruch 3.

tes: Per lutum quoque, desiderium sordidæ delectationis exprimitur, sicut Psal.68. Psalmista deprecans ait: *Eripe me de luto, vt non inhæream*. Luto quippe inhærere, est sordidis desiderijs concupiscentiæ carnalis inquinari. Quia igitur Leuiathan, multos, qui intra sanctam Ecclesiam fulgore iustitiæ resplendere videbantur; vel terrenarum rerum concupiscentia, vel errantis doctrinæ contagio, vel carnalibus voluptatibus sibi subijcit: idcirco aurum sibi quasi lutum sternere dicitur. Aurum enim, quasi lutum sternere, est, in quibusdam vitæ munditiam per illicita desideria conculcare: vt hi etiam sordidis eius vestigijs seruiant, qui contra illum prius vitæ tutum splendore rutilabant. Hæc S. Gregorius. Fornax verò, vbi ex luto coquebantur lateres, significat ardorem concupiscentiæ; in qua prauæ cogitationes, & cupiditates terrenarum rerum & carnalium voluptatum coquuntur in vitia; & solidantur atque durantur in prauos habitus, & consuetudines. Ergo tria illa Aegyptiaca, palea, lutum, & fornax, significāt tria item illa, de quibus Apostolus Ioannes scripsit: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*.

Fornax Aegyptiaca qd mysticè.

Locus prima Ioan.c.2,

13\. *Pharao dās primò paleas Hebrais, postea denegās illis, quid significet.*

Sed quid mysterij est in eo, quod fecisse dicitur Pharao, primò dans paleas Hebræis, postea verò denegans illis? Dupliciter possumus hoc mysticè interpretari, per Pharaonem intelligentes Diabolum. Etenim Diabolus seruis suis, & mundi amatoribus, aliquando dat paleas, id est, bona temporalia; vt tali esca illectos, in omnia vitia facilè deijciat. Interdum easdem paleas detrahit, & aufert bona tēporalia, vt acerbè dolentes, de amissione bonorum, quæ flagrantissimè amabant, cadant in desperationem. Vel aliter hoc explicari potest, vt palea significet inanem gloriam. Diabolus enim dat paleas viris bonis & spiritualibus, id est, inspirat vanam gloriam circa bona opera quæ faciunt; vt quando impedire non potest ne benè operentur, saltem faciat vt labe inanis gloriæ ac superbiæ illorum opera inquinentur. Peccatoribus autē paleas detrahit, vt, qui prius propter appetitum gloriæ, nonnulla, in speciem, bona faciebant, & propter metum infamiæ, à nonnullis se flagitijs & sceleribus abstinebant; detractis paleis, id est, restincto appetitu gloriæ, ac metu infamiæ adempto, quasi freno abiecto, in omne turpitudinis genus, nullo respectu timoris, aut honoris sese præcipitent.

Sed quid est illud, quod dixerunt præpositi Hebræorum Mosi & Aaron: *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius?* versu 21. Chaldaicè est ad verbum: *Malum fecistis esse odorem nostrum*. Est autem figurata locutio, ducta à re graueolenti, à qua faciem & nares auertimus. Sensus igitur est: viles & abominabiles nos reddidistis coràm Pharaone, & Aegyptijs; oderunt & abominantur nos, atque huius rei, vos præcipuè, fuistis auctores. Sanctus Paulus simili locutione, sed in contrariam sententiam, vsus est, cum dixit, bonos Christianos, Christi bonum esse odorem, odorem vtique accipiens pro fama. Tunc enim bonus odor sumus, cum ita nos gerimus, vt grati & accepti simus, & homines benè de nobis existiment ac loquantur. Verba Pauli hæc sunt: *Deo gratias, qui semper triūphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quia Christi bonus odor sumus Deo, in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt: Alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.* In fine capitis trigesimi quarti libri Genesis, vbi Latinus interpres, verba, quæ dixit Iacob Simeoni & Leui auctoribus cædis Sichemitarum, sic vertit: *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis, habitatoribus terræ huius.* Scriptura Hebraica, sic ad verbum ibi habet: *Turbastis me, vt fœtere me faceretis coram habitatoribus terræ huius.* Quasi diceret; vilem & abominabilem & exosum me fecistis.

Fœtere odorē alicuius corā alio, quid sit.

Locus 2. 2.Cor.2.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 22. & 23. Domine cur afflixisti populum istum? quare misisti me? ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum, & non liberasti eos.

14. *S. Aug. q. 14. in Exodum.* VERBA hęc Mosis ad Deű, inquit Augustinus, non sunt verba contumaciæ, nec indignationis, sed inquisitionis & orationis. Quod satis apparet ex ijs, quæ Dominus Mosi respondit: Non enim arguit infidelitatem eius, sed quid esset facturus, aperuit ei. Sic Augustinus. Sed quo modo verè dixit illud Moses: *Domine cur afflixisti populum tuum?* non enim Deus affligebat Hebræos, sed Pharao, & Aegyptij: nec satis probabile videtur responsum, dicere, propterea Deum dici affligere Hebræos, quia permittebat eos affligi: non magis profectò, inquit Thostatus, quàm si diceretur Deus mẽtiri, quia permittit hominẽ mentiri. Verius igitur responsum, hoc est: Iusserat Deus peti à Pharaone dimissionem Hebræorũ: qua petitione vehementer aspe ratus rex, magis aduersus Hebræos irritatus, atq; efferatus est; atque ob eã causam etiam atrociora in eos edicta fecit, iussitq; crudelius eos quàm antea tractari. Quoniam igitur ex occasione illius legationis Dei ad Pharaonem, ac petitionis, maior Hebræorum excitata fuerat afflictio, idcirco Moses dixit: Deum afflixisse Hebræos: id enim fieri iusserat; ex quo secuta est maior Hebręorum afflictio. Est enim consuetudo sacræ Scri- *Cõsuetudo Scriptura.* pturæ, quam in Commentarijs nostris in Genesim non semel exposuimus. Si quid dicat, vel faciat quispiam, ex quo sequatur aliquid vel bonum vel malũ, id attribuere illi tãquam effectori; etiãsi præter consilium & voluntatem eius illud euenerit.

15. *Cur passus sit Deus, cũ Hebrai liberandi erant, tunc vehementius ab Aegyptijs affli ctari.* Sed cur passus est Deus, vt Hebræi, quò propius aberãt ab egressu ex Aegypto, & à liberatione ex seruitute Aegyptiaca, eò magis affligerentur ab Aegyptijs? Multas sanè ob causas: Primum vt Deus iustiorẽ haberet causam castigãdi Aegyptios ob tantam eorũ inhumanitatẽ & crudelitatem: tum quò maiorem atq; illustriorem haberet occasionẽ declarandi potentiam suã tot & tantis in Aegypto edendis ꝓdigiis. Deinde, quò maiori odio, & detestatione, Aegyptiorum conuersationem, moresq; ac superstitiones prosequerẽtur Hebręi. Adhęc, quò ardẽtius cuperent egredi ex Aegypto, & venire in terrã promissionis: nec vnquam cupido eos incesseret regrediẽdi in terram Aegypti, vbi tantis perfuncti malis fuerant. Nam si tot & tãtis calamitatibus in Aegypto afflictati & contriti, nihilominus tamen postea sæpius in Aegyptum regredi voluerunt; vt videre licet in hoc ipso lib. inf. c. 14. & in libro Numerorum, c. 11. 14. & 21. q d eos facturos fuisse putamus, si antea in Aegypto cõmodè, iocundè, prosperéq; vixissent? His consona scribit Theodoretus q. 13. in Exodum. *Theodoret.* Cur, inquit, Hebræos ista pati permisit Deus? nimirum, vt odio prosequerentur nõ tantũ Aegyptios, sed & illorum Deos: & vt diligenter parerent ijs, quæ mandarẽtur à Deo. Nam si miserijs illis afflicti, nihilominus recordabãtur deliciarum Aegypti, & sæpè illuc redire conati sunt: quis illis nullam ibi molestiam passis, persuadere potuisset, vt Aegyptum relinquerent? Sic Theodoretus.

16. Sic obseruanda est hoc loco admirãda consuetudo Dei. Solet enim Deus, quibus magnifica promittit beneficia, sinere, vt ad breue tempus quædam eis *Mira Dei prouidẽtia in præstan dis suis pro missis.* omnino contraria datis promissis eueniant: quò videlicet fidei eorum firmitudinem, & fiduciæ constantiam magis ꝓbet. Exempli causa, promisit Deus Abrahæ, daturum se ei posteritatem, instar *Gen. 13. & 15.* pulueris terræ, numerosissimam; & postea iussit filium suum Isaac sacrificare *Infrà 22.* sibi; vnicum scilicet filium; à quo vno pendebat promissa posteritatis multiplicatio. Atque hoc egregiè ponderat Paulus *Locus Pauli ad Hebraos, c. 11.* scribens ad Hebræos, c. 11. & dicẽs: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur; & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: ad quem dictũ est, quia* *Gen. 17.*

in

in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus: vnde eum & in parabolam accepit. Alterũ exemplũ eiusdem rei habemus in libro Iudicum, c. 20. Cùm enim in tribu Beniamin infandum quoddam atq; immane scelus patratũ esset, idq; vlcisci cęteræ tribus decreuissent: consuluerunt Dominum Deum tam de gerẽdo bello, quàm de belli duce & imperatore. Diuino resposo iussi sunt pugnare in Beniamitas; & primo congressu, ingenti accepta clade, victi sunt, cæsis duobus & viginti millibus suorum. Rursus consulunt Deũ, an iterum pugnare debeant: respõsum est, vt pugnent. Pugnant iterũ, atq; iterum vincuntur, decem & octomillibus suorũ interemptis. Sed cũ tertiũ consuluissent Deũ, & similiter iussi essent pugnare, tertio prœlio, amplissimã victoriã reportarunt. Tertium exemplum præbet nobis locus hic Exodi. Cùm enim Deus iussisset, Mosem, verbis suis, prædicere Hebræis libertatẽ mox futurã, & egressum ex Aegypto, & profectionẽ in terrã Chanaan lacte & melle fluentem; hoc ipso tempore passus est Hebræos vehemẽtiùs quàm antea, vexari, & durissimis laboribus opprimi ab Aegyptijs: quasi pro libertate promissa grauiorẽ permittẽs seruitutem; & pro requie, duriores labores. Vult enim Deus in beneficijs ab ipso promissis paratos nos esse ad tẽtationes. Ideoq; cũ magnã cuipiã spem dat, mox eũ tentat per ea, quæ videtur afferre desperationẽ; & videtur spem, quam dedit, demoliri velle, aut dubiam, & incertam facere.

17. *Volẽtes ad Deum sese conuertere, vehementius à Dæmone tentari.* Iam verò quod Hebræi cùm essent liberandi ab Aegyptijs, tũc atrocius ab illis afflictati sunt, figurã habet eius rei, quã emergere volẽtibus è peccato cõtingere, quotidianis experimẽtis videmus. Cũ enim quis peccati statũ deserere conatur, tũc crebrioribus, atq; grauioribus à Dæmone tentationibus oppugnatur, vrgetur, & afflictatur: nolens enim Dæmon prædã sibi è manibus eripi, omnes tũc nocẽdi artes suas adhibet, omnesque tentationũ machinas admouet. Quemadmodũ Laban generũ suũ Iacob, qui sibi per viginti annos laboriosissimã seruitutẽ seruierat, discedentẽ à se, hostili odio insecutus est. *Genes. 31.* Fidũ igitur & prouidẽs est consiliũ traditũ Ecclesiast. c. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Audiat Lector B. Bernardum in serm. 18. de Cõuersione ad Clericos, hanc ipsam rẽ confirmantẽ hisce verbis: *B. Bernar.* Quotidianis discimus experimentis, eos, qui cõuerti ad Deũ deliberãt, tentari acrius à cõcupiscentia carnis; & vrgeri grauius in operibus luti & laterũ, qui Aegyptũ egredi, & Pharaonis imperiũ effugere moliũtur. Hæc Bernard. Cassianus quoque in Collat. 21. c. 28. tradit, seniores & magistros vitæ monasticæ exploratẽ obseruasse, in diebus Quadragesimæ, quibus solent homines ad meliorẽ se statum vitæ recipere; & monachi acriori studio, & cõtentione animi, atq; corporis, ad maiorem virtutis, & spiritus perfectionẽ adipiscendã cõtendere, tũc solito acrius, & molestius infestari à Dæmonibus monachos, & incitari ad egrediendũ è monasterijs, deserendamq; solitudinẽ: similiter atq; Pharao volẽtes ex Aegypto egredi Hebræos, pluribus, durioribusq; laboribus & operib9 fatigabat & afflictabat. *Cassianus.*

18. *B. Gregorij praclara sẽtentia.* Verùm disertissimis, & grauissimis, super hac re, verbis & sententijs disputauit S. Grego. in lib. 29. Moral. c. 14. cuius ego partẽ disputationis, pulcherrimam, hic adscripsi, iucũdissimã, legẽtibus hęc, simulq; vtilissimã fore nõ dubitans. Tractãs enim verba illa Iob: *Per quam viam spargitur lux, & diuiditur astus super terrã?* ad hũc modũ scribit: Cùm diuina lux in mẽtes humanas spargitur, mox ab occulto aduersario, cõtra fulgentẽ mentẽ tentamenta succrescunt. Vnde, postquã dixisset: *Per quam viam spargitur lux?* Rectẽ subiũxit: *Diuiditur astus super terram.* Hostis namque callidus, quos iustitiæ luce splẽdescere cõspicit, eorũ mẽtes illicitis desiderijs inflãmare cõtendit: vt plerũq; plus se vrgeri tentationibus tũc sentiãt, quã cũ lucis internæ radios nõ videbant. Vnde & Israëlitę, postquã à Deo per Mosem vocati sunt, cõtra Mosem & Aaron de excrescẽte labore cõquerũtur, dicentes: *Videat Dominus, & iudicet; quoniã fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & prabuistis eis gladium, vt interficeret nos.* *Exodi 5.* Volẽtibus quippe ex Aegypto discedere, Pharao paleas subtraxerat, & tamẽ eiusdẽ mẽsurę opera requirebat.

bat. Quasi ergò contra legem mens submurmurat, post cuius cognitionem, tentationis stimulos acriores portat: & cum sibi labores crescere conspicit, in eo, quòd aduersario displicet, quasi fœtere se in oculis Pharaonis dolet. Post lucem ergo æstus sequitur, quia post illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur. Rectè porrò diuidi æstus dicitur: non enim omnibus omnes, sed quibusdam sibi vicinis ac iuxta positis vitijs singuli fatigantur. Prius enim propensionem vniuscuiusque Diabolus perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namq; lętis, alius tristibus, alius elatis moribus existit. Quò igitur facilius capiat, vicinas propensionibus deceptiones parat: Nam quia iuxta lætitiam est voluptas, idcirco lętis moribus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facile labitur, tristibus poculum discordię porrigit. Quoniam verò timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcunque voluerit, blandis fauoribus trahit. Quia ergo in tentationis ardore callidè singulis insidians, vicinos moribus laqueos abscondit, rectè dicitur: *Diuiditur æstus super terram*. Sed cùm præmittitur: *Per quam viā spargitur lux*; Et mox adiungitur: *Diuiditur æstus super terram*. per eandem viam, qua lux spargitur, etiam diuidi æstum indicatur. Alta quippe & incomprehensibilis Spiritus sancti gratia, cum luce sua mentes nostras irradiat, etiam Diaboli tentationes, dispensando modificat: vt simul multæ non veniant; aut ipsæ tantùm, quæ ferri possunt, illustratam iam à Deo animam tangant: vt cum tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant; Paulo attestante, qui ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere*. Hunc ergò tentationum æstum, aliter diuidit callidus supplantator, & aliter misericors conditor. Ille ita diuidit, vt per eum citius interimat: hic vt eum tolerabilem reddat. Hactenus ex B. Gregorio.

Callidissimum Diaboli, in tentando hominē artificium.

Benignissima Dei erga suos prouidentia.

Locus 1. Corinth. 10.

BENEDI-

BENEDICTI PERERII
IN CAPVT SEXTVM EXODI,
DISPVTATIONES QVATVOR.

Indicatur excellentia Mosis in cognitione Dei super antiquos Patriarchas: & tribus ac genus Mosis, atque Aaron enarratur.

CAPVT SEXTVM EXODI.

DIXITQVE Dominus ad Moysem: Nunc vide- *Versu 1.*
bis quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim
fortem dimittet eos, & in manu robusta eijciet il-
los de terra sua. * Locutusq; est Dominus ad Moy- 2.
sem, dicens: Ego Dominus * qui apparui Abra- 3.
ham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum
Adonai non indicaui eis; * Pepigique fœdus cum eis, vt darem 4.
eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fue
runt aduenæ. * Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Aegy 5.
ptij oppresserunt eos: & recordatus sum pacti mei. * Ideò dic fi- 6.
lijs Israel: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Aegy-
ptiorum, & eruam de seruitute: ac redimam in brachio excelso,
& iudicijs magnis. * Et assumam vos mihi in populum, & ero ve 7.
ster Deus: & scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui
eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum: * & induxerim in ter- 8.
ram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abra-
ham, Isaac, & Iacob: daboque illam vobis possidendam, ego
Dominus. * Narrauit ergo Moyses omnia filijs Israel: qui non 9.
acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissi-
mum. * Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: * Ingre- 10.
dere, & loquere ad Pharaonem regem Aegypti, vt dimittat fi- 11.
lios Israel de terra sua. * Respondit Moyses coram Domino: Ec- 12.
ce filij Israel non audiunt me: & quomodo audiet Pharao: præ-
sertim cùm incircumcisus sim labijs? * Locutusque est Dominus 13.
ad Moysen & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel, & ad
Pharaonem regem Aegypti vt educerent filios Israel de terra
Aegypti.

14. Aegypti. * Isti sunt principes domorum per familias suas. * Fi-
lij Ruben primogeniti Israelis: Henoch & Phallu Hesron &
15. Charmi. * hæ cognationes Ruben, filij Simeon: Iamuel & Ia-
min, & Ahod, & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananiti-
16. dis. hæ progenies Simeon. * Et hæc nomina filiorum Leui per
cognationes suas: Gerson & Caath & Merari. Anni autem vi-
17. tæ Leui fuerunt centum triginta septem. * Filij Gerson: Lob-
18. ni & Semei per cognationes suas. * Filij Caath: Amram & Isaar,
& Hebron & Oziel. anni quoque vitæ Caath centum triginta
19. tres. * Filij Merari: Moholi & Musi. hæ cognationes Leui per
20. familias suas. * Accepit autem Amram vxorem Iochabed pa-
truelem suam: quæ peperit ei Aaron & Moysen. Fueruntque an
21. ni vitæ Amram, centum triginta septem. * Filij quoque Isaar:
22. Core & Nephec & Zechri. * Filij quoque Oziel: Misael, & Eli-
23. saphan & Sethri. * Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth fi-
liam Aminadab, sororem Nahason, quæ peperit ei Nadab, &
24. Abiu, & Eleazar, & Ithamar. * Filij quoque Core: Aser, & El-
25. cana, & Abiasaph. hæ sunt cognationes Coritarum. * At verò
Eleazar filius Aaron accepit vxorem de filiabus Phutiel: quę pe-
perit ei Phinees. hi sunt principes familiarum Leuiticarum
26. per cognationes suas. * Iste est Aaron & Moyses, quibus præce-
pit Dominus vt educerent filios Israel de terra Aegypti per tur-
27. mas suas. * Hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem regem Aegy-
28. pti, vt educant filios Israel de Aegypto: * Iste est Moy-
ses & Aaron, in die qua locutus est Dominus
29. ad Moysen in terra Aegypti. * Et locutus est
Dominus ad Moysen, dicens: Ego
Dominus, loquere ad Pharao-
nem regem Aegypti, omnia
30. quæ ego loquor tibi. *
Et ait Moyses co-
ram Domi-
no,
En, incircumcisus labijs sum,
quomodo audiet
me Pha-
rao?

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Super nomine Dei quod vocatur Tetragrammaton.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 3. Ego Deus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicaui eis.

1. *Decẽ nomina Dei.* DECEM narrantur Dei nomina in Scripturis sæpe vsurpata, & ab Hebræis celebrata: quæ beatus Hieronymus in epist.136. quã scripsit ad Marcellam, cursim commemorat, strictimque interpretatur. Primum nomen est (*El*) quod septuaginta ΘEON, id est, Deum, Aquila etymologiam eius exprimens, ἰσχυρὸν, id est, Fortem interpretatur. Alterum nomen est *Elohim*, & tertium *Elohe*: vtroque autem ipse Deus dicitur: Quartum, *Sabaoth*, quod septuaginta, Dominum virtutum, Aquila, exercituum vel copiarũ Dominũ transtulerunt: quo modo etiã frequenter interpres Latinus vertit. In Psalmo 23. sic est: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prœlio, Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Quintum *Helion*, quod nos *excelsum* dicimus; quod Epithetum crebrò tribuitur Deo: vnde est illud Dauidis: *Psal. 112.* *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius.* Et in cap.14. libri Genesis, prope finem, ter, paruo interuallo, hoc nomen ponitur, illis verbis: *Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum, & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Et paulò post dixit Abram: *Leuo manum meam ad Dominum meum excelsum, possessorem cœli & terræ.* Triplicem porrò celsitudinem ac sublimitatem veneramur in Deo: primam Entis, quia est primum, & summum Ens: alteram Causalitatis, quia est prima causa, à qua omnino pendent ceteræ omnes causæ: tertiam Perfectionis; quia est prima, & suprema, & infinita perfectio. Sextum nomen, *Eser Ehele*, quod in Exodo legitur: *Qui est siue, Qui erit, misit me.* Septimũ *Adonai*, quẽ nos Dominũ generaliter appellamus. Octauũ (*Ia*) quod in Deo tantùm ponitur, & in Alleluia extrema quoque syllaba id sonat. Nonum est Saddai, quod Aquila interpretatur AAKIMON, quod nos & robustum, & sufficientem sibi ad omnia perpetranda, & omnipotentem possumus interpretari. Hoc nomen positum est in exordio capitis 17. Genesis; *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus:* & in cap. 31. *Ego Deus omnipotens, cresce & multiplicare.* Est autem Deus solus sibi sufficiens; & quantum ad esse, quia non pendet ab alio producente, vel conseruante ipsum: & quantum ad potentiam, quoniam per se ipsum sine alieno adminiculo, potest quodlibet facere, & subest ei posse, cum vult: Denique quantum ad bonorum omnium copiam, & beatitudinem; quoniam à se ipso, & in se ipso beatissimus est, & infinitum pelagus bonorum. Decimum est nomen *Tetragrammaton*, quod ineffabile putauerunt, & his litteris scribitur, *Iod, He, Vau, He*, &c. ideo Tetragrammaton, id est, quadrilitterum, appellatur.

2. Quoniam verò in omnibus ferè libris sacris aliqua istorum nominum leguntur, inde argumentari voluerunt quidam Hæretici, librum, qui inscribitur Cantica Canticorum, non esse sacrum, sed profanum, in quo videlicet amores suos Salomon decantauerit: & idcirco Salomonem religione adductum, non esse ausum amatorijs carminibus sanctissimum Dei nomen immiscere, *Exodi 20.* ne contra legis præceptum, nomen Dei in vanis sermonibus assumeret. Verùm istiusmodi homines, stolidi, atque *Cur in libro Canticorum prædictũ Dei nomen non legatur.* impuri, non animaduerterunt, quale esset illius libri argumentum. Est enim Epithalamium & quasi nuptiale carmen inter Christum, &c. Ecclesiam, tanquam inter sponsum &c. sponsam. Et idcirco Salomon abstinens à nominibus Dei magnificis, & terrificis, consultò vsus est blandissimis & dulcissimis nominibus, ardẽtissimo nẽpe inter Christũ & Ecclesiam amori mutuo conuenientissimis. Quocirca appellat se inibi spõsum,

sum, pastorem, fratrem, amicum, sponsum, dilectum, desiderabilem. Cũ enim cœlestis ille sponsus in eo Cantico consolari vellet mysticam sponsam illam, tamdiu dilecti sposi sui oscula expectantem, & tanta dilatione desiderij sui tabescentem: omisit vetultam diuinorũ nominum appellationem, ipso penè sono formidabilem, & in eorum loco vsurpauit blandissima & suauissima nomina: pro Omnipotente, Pacificum & Pastorem: & pro Domino fratrem, amicum, dilectum, & sponsum; pro Robusto ac Forti, vulneratum ac saucium: pro Ineffabili, vnguentum effusum, fasciculum myrrhæ, botrum cyprium, hinnulum ceruorum, electum ex millibus, omniũ pulcherrimum, totum desiderabilem, & amabilem. Vicissim porrò sponsam suã vocat, non sicut antea filiam Sion, vel Iuda, vel ancillam & seruam: sed sororem, sponsam, amicam, columbam, dilectam, vnicam, mulierum pulcherrimã, alijsq; blandissimis nominibus ad sponsæ animum, diuturno sponsi sui desiderio æstuantem, atque confectam efficaciter recreandam, & consolandam mirificè accommodatis.

3. *Quæ tradant Hebræi de nomine Tetragrammato.* Mira porrò de nomine Tetragrammato tradunt Hebræi, & de nostris quicunque traditiones & commentationes Hebræorũ studiosè sectantur. Primò aiunt, nomen illud esse præstantissimum omnium nominum Dei, immò esse quasi fundamentum & radicem aliorum omnium nominum: quorum quadruplex ratio & distinctio assignari potest.

Quadruplex ratio nominum Dei. Quædam enim de Deo dicuntur propter diuinas operationes ad intrà, vt esse Patrẽ, vel genitorem, & Filium, vel natum, & Verbum. Alia dicuntur de Deo propter quandam relationem eius ad creaturas secundum aliquod genus caussalitatis, quod habet Deus in creaturas, vt esse creatorem, gubernatorem, conseruatorem, & dominum, & Deum. Nonnulla tribuuntur Deo per negationem & remotionem quandam imperfectionum, quæ sunt in creaturis, vt esse incorporeum, immortalem, immutabilem. Quędam porrò nomina Dei denotant certam quampiam perfectionem, qualis quodammodo cernitur etiam in creaturis, vt esse sapientem, potentem, iustum. Nomen autem Tetragrammaton significat ipsum Esse, prout in seipso est per se subsistens, independens, infinitum, idemque prorsus cum ipsa Dei essentia, atque idcirco incommunicabile alijs: Et sicut ipsum esse, atque essentia Dei est incomprehensibilis homini: ita nomen hoc significans eam, est ineffabile, &c. secundum propriam vim & notionem suam incomprehensibile: de quo nimirum intelligitur illud Salomonis Prouerbior. 30. *Quod est nomen eius & quod nomen Filij eius, si nosti?* (*Locus Prouer. c. 30.*) Et sicut in hac vita hoc nomen propter eius maiestatem, silentio reuerẽtiæ reticeri debet: ita post hanc vitam in cœlis, hoc præcipuè nomine à Beatis nominabitur, & inuocabitur, & laudabitur, &c. celebrabitur Deus, secundum illud quod legimus apud Zachariam capite vltimo: *In die illa erit Dominus rex super omnem terram: & erit Dominus vnus & nomen eius vnum.* Tradunt præterea Hebræi huius nominis litteras apud Hebræos dici litteras flatus, & item quietis: & sic eo nomine indicari verum Deum, qui solus spiritum & flatum omnia viuificantem suppeditat. Quemadmodum Daniel dixit regi Balthasari: *Deum qui habet flatum tuum in manu sua, non glorificasti.* (*Daniel 5.*) Et alibi dicitur tribuere spiritum omni carni. Habet etiam id nominis litteras, vt vocant, quietis; quo significatur, in solo Deo verãm & perfectam esse quietem, hoc est, æternam felicitatem: nec præter Deum, vlla in re posse animum hominis conquiescere, secundum illud: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* (*Psal. 102.*) Et: *Qui animam esurientem satiat bonis.* (*Psal. 108.*) Et item illud: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* (*Psal. 114.*)

4. *In ipso nomine Tetragrammato contineri operte mysterium Trinitatis.* Galatinus porrò in lib. 2. cap. 10. 11. & 12. multa, quæ videntur memorabilia, refert ex Rabbinis Hebræorum exprompta: Et in primis est illud, quod quidam celeberrimi nominis Rabbinus scripto prodidit, nomen Tetragrammaton, sicut ab Hebræis scribitur, significare Deum generantem: & quia fieri non potest, vt Deo generante, non sit etiam Deus generatus, genitum enim necessariò infertur ex generante, eique consubstantiale esse, necesse est; ex eo concluditur esse Deum generantem, &c.

Deum

Deum genitum. Impossibile quoque est, vt inter Deum generantem, & Deum generatum, non sit mutuus amor vtrique consubstantialis & coæternus. Quocirca in nomine Tetragrammato opertè atque inuolutè continetur myste rium Trinitatis, significans Deum generantem, Deum generatum, & Deum amorem. Vocant etiam Hebræi nomen Tetragrammaton, nomen expositum, cum enim nomen illud, vt reuera est, enunciare in vulgus religioni verterent; exponebant illud per alia nomina, præsertim autem per duo; quorum alterum vocabatur nomen duodecim litterarũ, alterum quadraginta duarum. Non quod possit esse nomen aliquod duodecim, aut quadraginta litteris constans; sed erat complexio multorum nominũ, tot numero litteras habens, ad illud vnũ nomen sacrum exponendum accommodatas: per quam videlicet loco illius nominis quod non proferebant, occultam eius nominis vim Rabbini populum docebant. Nomen duodecim litterarum constabat tribus nominibus Hebræis, in quibus coniunctè sumptis erant duodecim litteræ: nomina verò illa, si exprimantur Latinè, hæc sunt, *Pater, Filius, Spiritus sanctus, siue Spiritus sanctitatis.* Nomen autem quadraginta duarum litterarum, erat oratio quædam continens huiusmodi nomina Latinè reddita: *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; verùm non tres Dij, sed vnus Deus.* Atque hæc vocum & nominum complexio, Hebraicè continet quadraginta duas litteras.

Cur nomen Tetragrammaton vocetur nomẽ expositum.

Tradunt præterea Hebræi, vltimum sacerdotum, qui in templo pronunciauit nomen Dei Tetragrammaton, fuisse Simeonem iustum, qui Dominum nostrum in templo accepit in vlnas suas. Post illud verò tempus nunquam fuisse, aiunt, nomen illud pronunciatum: nec Iudæos scire legitimam illius nominis, & propriam pronunciationem: ideoque preces eorum inanes esse, nec exaudiri à Deo. Fore tamen sperant, vt cum veniet Messias, doceat populum suum nomen illud, sicut prædictum est ab Isaia capite quinquagesimo secundo, illis verbis: *Sciet populus meus nomen meum.* Et tunc exaltabitur à Deo populus Iudaicus, sicut ipsemet Deus per Dauidem promisit, dicens: *Protegam eum quoniam cognouit nomen meum.* Quin etiam putant quidam ex Christianis auctoribus, hoc esse nomen de quo Dominus dixit ad Deum Patrem suum in Oratione, quam habuit proximè ante mortem suam: *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus.* Manifestauit autem, cum sacræ Trinitatis mysterium eo nomine tectè inclusum, expositè atque apertè declarauit, cùm dixit discipulis suis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.*

Luce 2.

Psalm. 90.

Ioann. 17.

Matth. vlt.

5. Cęterùm duæ hoc loco existunt quæstiones, quarum prior est hæc: cùm in illis verbis, *Nomen meum Adonai non indicaui eis*, pro illo Adonai Hebraicè sit nomen *Tetragrammaton*, cur Latinus interpres id omisit, & loco eius substituit nomen Adonai, quod diuersum esse nomen ab illo, ex supradicta expositione decem nominum Dei manifestum est; & quia diuersis ista duo nomina litteris scribuntur. Sed respondendum est, Latinum interpretem secutum esse LXX. Interpretes, qui omisso nomine Tetragrammato, pro eo verterunt Græcè ΚΥΡΙΟΣ, id est, Dominus: idem autem significat nomen Hebraicum Adonai. Voluit item sequi communem Hebræorum, ab antiquis vsque ductam temporibus consuetudinem, non audentium nomen Dei Tetragrammaton, præ summa eius reuerentia ac veneratione, aut pronunciare, aut scribere, sed pro illo adhibebant, vel nomen Adonai, vel Elohim: & idcirco nomen illud, secundum B. Hieronymum, appellabatur ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile: secundum Theodoretum ἄφραστον, id est, indicibile; secundum verò Damascenum, ἄῤῥητον, id est, ineloquibile. Sic verò appellabatur, vel quia litteræ componentes hoc nomen, per se sunt insonæ, & nullam articulatam vocem exprimunt: vel quia, quod propriè significatur hoc nomine, est Diuina Essentia, vt est in se: ea verò nec verbis exprimi, vti est, nec intelligentia comprehendi potest: vel demum ob singularem reuerentiam Maiestatis Dei, qui hoc se nomine voluit præcipuè coli & cele-

Quæstio, cur pro nomine Tetragrammato ponatur in Scriptura nomen Adonai.

Nomen Tetragrãmaton cur diceretur ineffabile.

celebrari. Quo factum est, vt tale nomen nunquam proferretur extra solennes illas benedictiones, quarum formula describitur in libro Numerorum, capite sexto, aut nisi cum summus Pontifex in festo Expiationis, Sancta Sanctorum ingrediebatur. Quocirca apud Iosephum libro quarto de bello Iudaico, Ananus Pontifex in concione quã habuit ad populum, quasi gloriabundus dixit, se vestimentum pontificale, & omnium venerabilium Dei nominũ sanctissimum, & venerabilissimum hoc nomen ineffabile gestasse.

Iosephus.

6. Non ergo licebat, hoc Dei nomen extra templum Hierosolymitanum vsurpare, ac ne ibi quidem quolibet tempore. Quapropter ne in Synagogis quidem olim, nec hodie à Iudæis pronuntiatur: immo verò qua vocalitate id nominis propriè sit pronuntiandum, planè ignorant, propter temporis longinquitatẽ, vera eius pronuntiatione prorsus obliuioni tradita. Neque hoc sanè, quod de ineffabili Dei nomine diximus, latuisse videtur Platonem: sic enim de eo scribit Eusebius in libro 11. de præparatione Euangelica, cap. 8. Moses, omnesque Prophetæ ineffabilem rem, atque intellectu solum perceptibilem, Deum esse docent: in huiusque rei symbolum, scriptum apud eos quatuor litteris, nomen Dei fertur, quod proferre non possunt. Consona his etiam Plato in magna epistola dixit: Effabile, inquit, nullo modo est, Deus vel Dei nomen: sed ex multa inhæsione, vt ita dixerim, circa rem ipsam, & ex vitæ integritate, repente quasi ab igne accensum lumen animo innascitur, quod se ipsum alit. Sic Plato. Et illud quidem Platonis exemplum, multò ante Platonem eximius Hebræorum vates protulit, dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Et rursus: *In lumine tuo videbimus lumen*. Hactenus ex Eusebio.

Platonis de Deo admodũ notabilis sententia.

Psal. 4.
Psal. 35.

Alexandri Magni reuerẽtia aduersus Iaddum Pontificẽ Iudæorum.
Iosephus.

Hoc porrò Dei nomen non Iudæis solùm, sed etiam Gentibus, atque adeò earum potentissimis, & superbissimis regibus, summæ fuit venerationi. Narrat Iosephus extremo libro vndecimo Antiquitatum, Alexandrum Magnum procumbentem humi ad pedes Iaddi Pontificis, sacrosanctum Dei nomen, quod in fronte gestabat Pontifex, reuerenter adorauisse. Iosephi verba Latinè reddita, sunt huiusmodi: Alexander, vt vidit à longinquo candidatum populum, & sacerdotes, ante agmen, in amictu byssino, Pontificemque in stola hiacynthina auro distincta, thiaramque in capite gestantem, cum præfixa aurea lamina, cui erat insculptum sacrum Dei nomen, solus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem. Syriæ reges, qui comitabantur regem Alexandrum, obstupuerunt, vix eum credentes mentis compotem. Solus Parmenio propius accedens, rogauit familiariter, Quid ita, cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem? At ille, non hũc se adorare respondit, sed Deo, cuius pontifex esset, honorem illum habuisse. Sic Iosephus.

Altera quæstio, multò est difficilior: 7.
quæritur enim quonam modo pronuntiandum sit nomen Tetragrammaton: & an ex illis quatuor literis, Iod, He, Vau, He, vnum aliquod nomen formetur, & quodnam illud sit. Irenæus appellare videtur (Iaoth,) ita scribens: Si autẽ quidam secundum hebræam linguam, diuersa Dei nomina in Scripturis opponant, quale est Sabbaoth, & Elohe, Adonai & alia; ex his ostendere conãtes diuersas potentias, & diuersos Deos: discant, quoniam ista vnius & eiusdem Dei significationes & nuncupationes sunt. Quod enim dicitur Elohe, secundũ Iudaicam vocem, Deum significat: & Elloeuth secundum hebraicam linguam, significat id, quod continet omnia. Adonai verò aliquando significat nominabile & admirabile: aliquando verò duplicata litera delta, & præfixa aspiratione, vt si dicas Haddonai, significat præfiniẽtem, & separantem terram ab aqua, ne vnquam postea exurgat super eam. Similiter Sabbaoth, per omega scriptum, significat voluntarium; per omicron verò, primum cœlum manifestat. Eodem modo & Iaoth, extensa cum aspiratione in nouissima syllaba, mensurã præfinitam manifestat; cùm autem non per omega, sed per omicron; scribitur, significat eum, qui dat fugã malorũ. Cætera

Irenæus.
Iaoth.
Quomodo pronuntiãdum sit nomen Tetragrammaton.

tera itidem nomina, licet multa, & diuersa videantur, vnius tamen eiusdemque sunt vocabula & nuncupationes. Sic Ireneus. Isidorus nomen Tetragrammaton facere videtur (Iodiod:) ait em̃ illud nomen confici ex duplicata litera (Iod.)

Isidorus. Iodiod.

Diodorus Siculus. Diodorus Siculus Deum Iudæorum appellat, Iao: Nam cum in libro secundo, cap. 5. disputaret, veteres legumlatores simulasse, leges quas ferebant, datas sibi fuisse ab aliquo insigni Deo, quo videlicet, promptiores ad eas religiosè accipiendas populos haberent, & ad obseruandas obedientiores, memoratis aliquot exemplis legumlatorũ, subdit de Mose: *Iao.* Apud Iudęos quoque Moses ab Iao, quẽ Deum Iudæi inuocant, acceptas leges dare præseferebat: siue putans, rem mirandam ac diuinam, maximeq; mortalibus vtilem leges esse: siue vt Dei timore, populi citius obtemperarent legibus. Hæc

Macrobi⁹. Diodorus. Apud Macrobium etiam libro 1. Saturnalium cap. 18. Deus Iaò ceu omnium Deorum summus celebratur. In oraculo, inquit, Apollinis Clarij, aliud quoque nomen Soli adijcitur; quippe in sacris versibus inter cætera vocatur Ιάως. Consultus enim Apollo Clarius, quis Deorum habendus sit, qui vocatur Ι Α Ω Σ; ita respondit:

Φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω. Id est:

Summum cunctorum diuum tu dicito Iao. Huius autem vocabuli vim, & huius numinis atque nominis interpretationem, qua Sol dicitur Ιάως executus est Cornelius Labeo in libro, cui titulus est, De oraculo Apollinis Clarij. Hæc Macrobius.

Clemẽs Alexandrin. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum nomen Tetragrammaton, vocat (Iao) siue vt græcè legitur Ἰαού nisi fortè mendum sit, & legi oporteat (Ἰάω) verba Clementis hæc sunt: Quin etiam mysticum illud nomen Tetragrammatũ quod his solis imponebatur, qui poterant ingredi adytum, dicitur (Iao) quod exponitur: (Qui est, & Qui futurus est.) Ita Clemens. Vbi Gentianus eius interpres pro Iao, vel Iau, vertit Iehouah; nempe de suo sensu affingens vetustissimo scriptori nomen, hoc sęculo inuentum. Auctor quoque Commentariorum in Psalmos, qui fert nomen B. Hieronymi, ap-

Iaho. pellat inserta aspiratione (Iaho) exponẽs enim prima illa verba Ps. 8. *Domine Dominus noster*. Prius, inquit, nomen Domini apud Hebræos quatuor literarũ est, Iod, He, Vau, He,: quod propriè Dei vocabulum sonat, & legi potest (Iaho) & Hebræi vocant ineffabile. Posterius autem nomen Domini, est hebraicè Adonai, omnium commune, & quod sæpe in hominibus ponitur. Sic ille.

9. *Theodor.* Theodoretus in quæstione 15. in Exodum, tractans hunc ipsum locum Exodi, super quo nunc disputamus, scribit, nomen Tetragrammatum vocari à Samaritanis *Iauæ*: ab Hebræis autem Ia. Sic em̃ scribit: Hoc nomen apud Hebræos dicitur inenarrabile: ꝓhibetur enim apud eos lingua pronuntiari; scribiturq; quatuor literis, & ob id Tetragrammatõ appellatur. Inscribebatur etiam id nominis in lamina aurea, quæ vittæ capitis alligata, pendebat ad frontem Pontificis. Samaritani vocant illud nomen Iauæ, Iudæi verò Ia. Sic ibi. Idem verò in Epitome Diuinorum decretorum, in capite de sancto Spiritu; Stolidi, inquit, Hæretici hebraicorum nominũ ignorantes significationes, diuersos esse Deos existimarunt Adonai, Eloi, Sabaoth, sed nomen Eloth, Deus, interpretatur: Eloi autem Deus meus. El, verò si tenuetur quidem, etiam ipsum significat Deum; sin autem aspiretur, significat Fortem. Adonai significat Dominum. Dominus Sabaoth, Dominus copiarum, vel exercituum interpretatur. Saddai, sufficientem & potentem significat. Aia verò, (nisi fortè sit mendum, & vt suprà, sic etiam hîc legi debeat, Ia significat eum, Qui est. Id autem erat etiam apud Hebręos ineffabile. Samaritani porrò id nominis vocant Iauæ, ignorantes verbi virtutem. Hactenus ex Theodoreto.

SECVNDA DISPVTATIO.

An nomen Tetragrammaton, sit Iehouah.

10. *Communis opinio Hebraizantiũ huius sæculi.* IN hac ætate nostra communis iam est Hebræorum atque Hebraizantiũ opinio, quam permulti etiam alij magno assensu, & approbatione sequuntur, nomen Dei Tetragrammaton

maton non aliter pronuntiari debere, quàm hac voce *Iehoua*, vel per cõtractionem *Ioua*: vnde, creditur à quibusdam, esse tractum nomen Iouis, quem Gentilitas pro summo Deo colebat. Varro quidem certè Romanorum doctissimus, existimauit Deum Iudæorum esse Iouem, quo nihil superius colerent Romani: Sic
S. Augu. de Varrone. enim de eo scribit Augustinus in lib. 1. de consensu Euangelistarum, ca. 22. Varro, quo doctiorem apud se neminem inueniunt Romani, Deum Iudæorum Iouem putauit: nihil interesse censens, quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligitur, credo illius summitate deterritus. Nam quia nihil superius solent colere Romani, quàm Iouem, quod Capitolium eorum satis, aperteque testatur, eumque regem omnium Deorum arbitrãtur: cùm aduerteret Iudæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari, quàm Iouem. Sic ibi Augustinus. Et mox sub initium proximè sequentis capitis, adiungit hæc: Nos (aiunt Romani) Iouem colimus, de quo dixit Maro:
Ecloga 3. *Iouis omnia plena*,
id est, omnia viuificantem Spiritũ. Meritò igitur & Varro Iouem opinatus est coli à Iudæis: quia eorum Deus dixit
Hier. 23. per quendam Prophetam: *Cœlum & terram ego impleo*. Hæc de Varronis sententia, referente Augustino. E quibus licet intelligere, Varronem nõ propterea existimasse Deum Iudæorum esse Iouem, quòd legisset, vel audisset ab ipsis appellari Iehoua, vel Iouem; hoc enim nec ipse dixit, nec Augustinus, qui eius sententiam retulit: sed quia censuit à Iudæis coli summum Deum, quem non esse alium putauit, quàm Iouem, vt quem Romani pro summo Deo colerent.

11. *Disputatio super nomen Iehoua, an sit verum & propriũ nomen Tetragrammatõ. Genebrardus.* Illud porrò nomen *Iehoua* fuit ignotum ferè omnibus, qui ante centum annos tam inter Hebræos, quàm inter Christianos floruerunt: vt satis appareat nouitium esse inuentum atque commentũ: quin etiam id nominis non aptè responderе literis nominis *Tetragrammati*, secundum præcepta & regulas Grammaticæ hebrææ, à viris hebraicè doctis, obseruatum & probatum est. Genebrardus certè vir hebraicæ linguæ, rerumq; hebraicarum scientissimus, in epistola ad Lectorem, quam præfixit vltimæ editioni Commentariorum suorum in Psalmos, omnino abijcit, & auersatur ista nomina, Iehoua, & Ioua, hunc in modum scribens: Vnde manare potuit Iouæ vocabulum, vel Iehouæ, nisi à Ioue finitimo nomine? cum Ioua, siue Iehoua neque sit vocabulum Christianũ, neque Iudaicũ; quibus duntaxat populis Deus suis nominibus innotuit. Nos Christiani à nullis Apostolis, vel Patribus didicimus, Deũ sic esse vnquam appellatũ: etiamsi olim Dionysius, Hieronymus, Theodoretus, Rabanus Maurus, Ioachimus Abbas, nostraque memoria Reuclinus, complu-resque alij, integros libros de Nominibus Dei latinè, græcèque scripserunt: ac hebraicas voces suis sonis expresserunt. Iudæi certè ad hunc vsque diem, inficiantur se vllũ huius prolationis habere Dei nomen: quinetiam detestantur profanationem illorum, qui Deum ista nuncupatione afficiunt. Nam hoc, inquiunt illi, non latuisset, cũ omnes maiores nostros, tum etiam vniuersos minores, præsertim Rabbi Mosem Aegyptium, & Ioseph, & Alboné, & Iacob, & Mosem auctorem Maiemonim, & Abraham, & Aben Ezram, & Lyranum, & Paulum Burgẽsem, & Ritium & Felicẽ, è Iudaismo ad Christum conuersos: quorum alij de cunctis Dei nominibus hebraicis, alij de nomine Tetragrammato, quod isti in Iehouam trãsformant, ex professo opuscula, syntagmata, capita, vel tractatus condiderunt. Taceo cæteras clarissimas rationes à me alibi de hoc copiosè commemoratas. *Origenes.* Esse autem maximè detestandũ Gentilium errorem, nomen nouum, incertum, peregrinum, & inusitatum Deo imponere, docet contra Celsum Origenes. Taceo nunc, per istos ab inferis reuocari Varronis spiritum, putãtis Deum Iudæorum esse Iouem, & tale delirium mundo persuadere conantis, ad Dei veritatem obruendam; quemadmodum multis testatur, & deplorat Augustinus. Nõnulli etiam istis nominibus subesse suspicantur venenum Caluiniticum de Αὐτοθεῷ, & αὐτουσίᾳ; vt Dei Filius, cui verè quoque ac propriè competit nomen *Tetragrammaton*, à se diuinam Essentiam, non à Patre consecutus videatur. Hæc Genebrardus.

12. Horum similia & arbitratus est, & scri-

pta

Cardinalis Bellarmin. pta reliquit Cardinalis Bellarminus, vir, etiam litterarum Hebraicarũ sciẽtia præstans, non solum in doctrina Patrum, & disciplina Ecclesiastica, omnique Theologia, & sacra Scriptura doctissimus. Is enim in exercitatione gramatica super Psalmo 33. exponens priora illa verba: *Benedicam Dominum in omni tempore*. Vbi pro vocabulo (*Dominus*) hebraicè est nomen *Tetragrammaton*, scribit veram atq; germanam pronũtiationem eius nominis esse prorsus ignotam: & idcirco eos, qui primi puncta vocalia repererũt, cum eius nominis sonum proprium ignorarent, pũcta ei aliena, id est, nominis *Adonai* subiecisse: eo scilicet consilio, vt vbicunque nomen *Tetragrammaton* inueniremus, per aliud nomen Dei, sonum eius efferremus. Quod autem puncta nominis *Tetragrammati*, sint ipsamet puncta nominis *Adonai*, & quod cùm occurrit nomen *Tetragrammatum*, legendum ibi sit *Adonai*, non autem *Iehouah*, quatuor rationibus, quæ apud ipsũ legi possunt, probat. Neque verò, ait, Rabbinos punctorum inuẽtores, fuisse putet quispiam primos, qui nomen *Tetragrammaton*, per nomen *Adonai* efferre cœperunt: sed ante ipsos id esse à multis factitatum constat. Siquidem B. Hieronymus illis vetustior, idem obseruauit; nam in hoc loco Exodi vertit: *Et nomen meum Adonai non indicaui eis*. Et Origenes in Tetraplis, atque Exaplis suis, in ea columna, in qua voces Hebraicas Græcis literis descripsit, vbique pro nomine *Tetragrammato* posuisse fertur nomẽ *Adonai*. Quin etiam LXX. Interpretes semper vocem *Tetragrammaton* per nomen ΚΥΡΙΟΣ reddiderunt, quod est hebraicè *Adonai*, & latinè *Dominus*. Et quod est omnium maximum, Christus & Apostoli, cum sæpenumero ex veteri Testamento proferant testimonia, in quibus hoc Dei nomen continetur; nunquam tamen ipsum pronuntiarunt *Iehoua*, sed *Dominus*; cum tamen alia nomina propria, suis vocibus expresserint, vt Adam, Noë, Abraham, Euam, Saram, Mariam. Denique apud veteres omnes inauditũ fuit nomen Iehoua: & licet aliqui nomen *Tetragrammatum* per *Iaho*, alij per *Iaue*, vel *Iah* exprimi posse crediderint; plures tamen id nomen ineffabile, atque impronuntiabile vocauerunt. Non displicet tamen Cardinali Bellarmino eorum coniectura, qui nomen hoc Dei nihil aliud esse credunt, quàm tertiam personam futuri verbi substantiui (*Haiah*;) & hunc in modũ scribi & efferri debere (*yhie*) quod significat *Erit, siue Erat, siue Est*: id autem propriè soli Deo conuenire, docemur Exodi 3. Sic ille.

13. Auctoris sẽtentia. Ego doctis istis viris assentior. Censeo autem nomen *Tetragrammatum* non esse simpliciter impronuntiabile, alioqui non esset nomen: nec dubitari potest, quin cum Deus dixit Mosi: *Nomen meum Adonai non indicaui eis*. Tunc eius nominis pronuntiationem audiuisse, & cognouisse Mosem. An verò eam pronunciationem Moses postea tradiderit proceribus Synagogæ ac Pontificibus, & illi alijs, atque ita deinceps omni æuo, inexploratum est. Illud fit verisimile, germanam eius nominis pronuntiationem, iam tempore LXX. Interpretum aut fuisse simpliciter ignotam, aut certè paucissimis cognitam: atque ob eam causam LXX. Interpretes nomen istud, vti est, nunquam expressisse, sed pro eo posuisse nomen ΚΥΡΙΟΣ. Nec temerè creditur à nonnullis, veram pronuntiationem eius nominis perijsse in captiuitate Babylonica, sicut alia multa, & in primis lingua & sermo Hebræorum notabiliter contaminatus, & corruptus est. Non esse autem nomẽ *Tetragrammatum* reuera idem atque nomen *Adonai*, probabile admodum facit auctoritas veterum omnium, qui de nominibus Dei disserentes, distinxerunt, & diuersa fecerunt nomina *Adonai* & *Tetragrammaton*.

Quin etiam in lectione Scripturæ sæpe occurrit vtrumq; nomen simul, *Tetragrammaton*, & *Adonai*: & tunc nomen *Tetragrammatum* effertur per nomen *Elohim*.

TERTIA DISPVTATIO.

Super eisdem Scripturæ verbis: Quomodo intelligendum sit; Deum, nomen suum Tetragrammaton non reuelasse antiquis suis Patriarchis, sed id primum reuelasse Mosi.

14. NOn est putandum, reuelasse Deũ Patriarchis alia sua nomina, nomen tamẽ *Tetragrammatum* non reuelasse illis, sed primùm manifestasse Mosi: id enim falsum est. Deus enim dixit Abrahæ Genes. 15. *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum.* vbi hebraicè pro voce *Dominus* est nomen *Tetragrammaton.* Nec digna est commemoratione quorundam opinio, qui propter ignorantiam Scripturæ Hebraicæ, putantes nomen Dei nõ reuelatũ Patriarchis, sed Mosi, esse nomẽ *Adonai*, quod hìc legitur, & Latinè sonat Dominus, dixerũt, Deum non manifestasse Patriarchis illis nomẽ suũ, qui vocatur Dominus, id est, non declarasse illis generale suum dominium, quod habet in omnes creaturas; faciendo in eis, sicut vult, etiam præter naturalem earum ordinem cursumq;, vt cũ facit prodigia & miracula: hoc autem liquidò manifestauit Mosi, tot tantaq; in Aegypto per ipsum miracula patrando. Sed isti dupliciter errant: tum quod hoc in loco Hebraicè est aliud nomen quàm *Adonai*: tum quia Deus ante Mosem maiora fecerat miracula, vti fuit generale diluuium, repentinaq; euersio quinque ciuitatum, & mira cõuersio vxoris Loth in statuã salis: hæc enim multò insigniora sunt, quàm vel submersio Aegyptiorũ in mari rubro; vel decem plagæ Aegypti; vel virgæ Mosis transformatio in serpentem siue draconem.

Gen. 7. et 8. Infrà 19. Ibidem. Exod. 14. Suprà 7.

15. *Prima expositio Rabbi Salomonis.* Esse verò locum hunc, locum obscurissimum, & perdifficilem ad explicandũ, satis declarat multiformis expositionum varietas: sex enim celebriores, memoratuq; digniores feruntur huius loci expositiones. Rabbi Salomon ait, nomen *Tetragrammatum* propriè significare veritatem & cõstantiam, & immutabilitatem esse Dei, tam in se, quàm in dictis & promissis suis. Quapropter ad veritatẽ huius nominis pertinet, vt Deus ea, quæ fore promisit, faciat esse, id est, opere ipso compleat & præstet. Sensus igitur huius loci est hic: Dicit Deus se apparuisse tribus illis Patriarchis in Deo omnipotente, hoc est, demonstrasse diuitem se esse, & copiosum, & sufficientem, vt qui pollicitus illis fuerit plurima & amplissima bona, & cum primis feracissimam, & amœnissimam terram Chanaan. Sed nomen suum *Tetragrammatum* non eis manifestasse, hoc est, nõ fecisse actu esse sua promissa, sicut nomine suo significatur: hæc autẽ promissa per Mosem se aggressurũ implere, & idcirco ei præcipuè manifestatum esse nomen Tetragrammatõ. Sic ille. Cuius interpretatio probatur maximè Sixto Senensi in libro secundo Bibliothecæ sanctæ ita scribenti: Dicitur fidelis & verax, qui perstat in sententia, & seruat promissa, ea complens opere: & hanc significationẽ habet vox Iehoua, deducta à radice (Haia) quæ significat fuit, & esse fecit. Vnde Iehoua significat eum, Qui est, & qui aliquid esse facit. Iuxta quem sensum dixit Deus ad Mosem: *Nomen meum Iehoua non indicaui eis*, hoc est, Nondum me reuelaui per impletionem earum rerũ, quas promisi Abrahæ, Isaac, & Iacob: nunc autem reuelabo me nomine Iehouah, hoc est, præsenti & manifesta impletione promissionum mearum, & iuxta significationem nominis mei *Iehoua*, faciam esse quod promisi. Promisi autem me daturum terram Chanaan filijs illorum, quam mox ipsis exhibens manifestabo nomen meum *Iehóua*: ex nunc esse faciens, quæ ego verax & fidelis pollicitus sum. Hæc ille. Verùm hæc interpretatio eo minus probabilis videtur, quod nomen Dei Tetragrammaton non significat veritatem diuinorum promissorum, aut pactorum, sed ipsum Esse Dei.

Sixtus Senensis.

16. *Secũda expositio Pauli Burgensis, & Ruperti.* Paulus Burgensis germanam sententiam illorum verborum dicit esse huiusmodi: Non reuelaui eis nomen meum Tetragrammaton, id est: Non dedi Patriarchis potestatem faciendi prodigia & miracula, sicut dedi tibi ô Moses; & idcirco nomen hoc meum terribile, & miracula faciens, non ostendi illis. Sed neque nomen *Tetragrammaton* propriè

propriè significat id, quod tradit Burgẽsis; esse videlicet operatiuum prodigiorum & portentorum. Ab hac item expositione non multum distat interpretatio Ruperti super hoc loco Exodi, ita scribentis lib. 1. Commentariorum in Exod. cap. 24. Quod hîc dicitur, *Nomen meum Adonai non reuelaui eis*, sic est accipiendum, vt subaudias, nõ indicaui eis, quantæ esset potentiæ, & virtutis. Magnifica namque & terribilia in Aegypto facturus, hæc loquitur ad ostensionem gloriæ nominis sui, quod talia non fecerit in diebus Abrahæ, Isaac, & Iacob; quibus tamen in Domino omnipotẽte apparuit. Et illi hoc ipso quod omnipotens esset, non quæsierũt oculis explorare; vnde & fides eorum gloriosior, & maioris habetur meriti. Contrà verò, Pharaonis duritia, quæ faciendorum causa fuit talium signorum, detestabilior extitit: & quãto plura facta sunt, tanto iustius, æternum contẽptor incurrit interitum. Ergo cùm dicit. *Nomen meum Adonai non indicaui eis*. Subaudiendum est, quod iam nunc, poscente causa, indicabo tibi, quàm sit gloriosum, & terribile. Nam & paulò ante dixerat: *Nunc videbis quæ facturus sum Pharaoni*. Et postmodum dicturus est eidem Pharaoni; *Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam*.

Exodi 9.

17. Glossa sic interpretatur hunc locum: Deum illis Patriarchis reuelasse quidem nomen suum, verum subobscurè & confusè: Mosi verò tam clarè, & distinctè, & copiosè, vt illorum cognitio Dei, propè nulla dici possit, præ cognitione Dei, quam habuit Moses. Est autem hæc Glossa sumpta ex B. Gregorio, qui in hom. 16. super Ezechielem docet, cognitionem Dei ab initio mundi per gradus procedendo, noua sumpsisse incrementa: maiorem enim fuisse in Mose, quàm in Abraham, Isaac, & Iacob, vt ex hoc ipso loco Exodi elicitur: maiorem porrò fuisse in Dauide, quàm in Mose, sicut ipse dixit in Psalmo 118. Se super senes, & super docentes se intellexisse: multò deniq; maiorem fuisse in Apostolis, quàm in prioribus Patribus: illis enim dixit Dominus, Lucæ decimo: *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis, &c.* Ponam hic verba beati Gregorij: Sciendum est, inquit, quod per incrementa temporum, creuit scientia spiritualium Patrum. Plus enim Moses quàm Abraham, & plus Prophetæ quàm Moses, & plus Apostoli quàm Prophetæ in Dei scientia eruditi sunt. Fallor, si hæc ipsa Scriptura non loquitur: *Pertransibunt plurimi*, ait Daniel, *& multiplex erit scientia*. Quis nescit, quod Abraham cum Deo locutus est? & tamen Mosi dixit Dominus: *Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, & nomen meum Adonai non reuelaui eis*. Ecce plus Mosi quàm Abrahæ innotuerat, qui illud de se Mosi manifestauit, quod Abrahæ non reuelauerat. Dauid porrò ait: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est*. Et iterum: *Super seniores intellexi, quia mandata tua quæsiui*. Quibus verbis maiorem se diuinorum eloquiorum scientiam accepisse, quàm Mosem manifestat. De Apostolis verò Veritas ipsa dixit; *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ videtis; & audire, quæ auditis, sed non viderunt*. Plus ergo quàm Prophetæ de diuina scientia nouerunt Apostoli: quia quod illi solo spiritu viderant, ipsi etiam corporaliter videbant. Impleta itaque est ea, quam superius diximus, Danielis sententia: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*.

Tertia expositio Glossæ, & B. Gregorij.

Locus Lucæ cap. 10.

Daniel. 12.

Exo. 3. et 6.

Psal. 118.

Lucæ 10.

18. Lyranus tractans hunc locum Exodi, sic eum exponit: Licet Abrahæ, Isaac, & Iacob, alia mea nomina, inquit Deus; quin etiam hoc nomen *Tetragrammatũ*, quantum ad ipsam vocem manifestauerim: propriam tamen atque intimam eius nominis vim & rationem, qua significatur ipsummet esse Dei, vt est in se, illorum nemini aperui, sed primùm tibi, ô Moses, declaraui. Declarauit autem Deus vim eius nominis Mosi primùm, cùm ex rubo dixit ei: *Ego sum qui sum*, & *Qui est, misit me*: deinde cum in raptu vidit Diuinam *Essentiam*, sicut indicatur Numerorum duodecimo: idque arbitratus est aliquot locis Beatus Augustinus. Verba Lyrani sic se habent: Deus indicauit nomen *Tetragrammatum* Mosi, non solùm quantum ad vocem, sed etiam quantum ad significatum, quod est propriè declarare nomen aliquod. Et hoc primò indicauit Mosi, quando dixit: *Ego*

Quarta expositio Lyrani, Thomæ, Abulensis & Caietani.

Ego sum qui sum: quia per hoc nomen significatur necessitas, & stabilitas essendi, & plenitudo ipsius Esse, & tanquam infinitum quoddam *Substantiæ* pelagus, vt dixit Damascenus. Et hoc est proprium nomen Diuinæ Essentiæ, & competit ei, circumscripto omni alio, nec significatur per modum cuiusdam dispositionis diuinæ essendi, sicut sapientia, & potentia, & similia. Secundò nomen hoc ostendit ei clarius, quando in raptu concessum est ei videre diuinā *Essentiam* nudè & clarè, vt dicit Augustinus in lib. 13. super Genesim, & ad Paulinum in libro de videndo Deo. Idque significatur Numerorum duodecimo, vbi dicitur de Mose: *Palam, & non per ænigmata, & figuras Deum videt.* Neutro autem prædictorum modorum legitur, Deū nomen *Tetragrammatū*, manifestasse Patribus, qui fuerunt ante Mosem: nam licet loquens Abrahæ, Genesis decimo quinto, vsus sit nomine *Tetragrammato*, dicens: *Ego Dominus, qui eduxit te de Vr Chaldæorum*, proprium tamen significatum eius nominis non expressit. Similiter nec ipsi, nec alij cuiquam ostendit Essentiam suam clarè sicut Mosi. Rectè igitur dicitur hic: *Apparui in Deo omnipotente* hoc est, Indicaui me eis sub nomine importāte respectum ad creaturas. *Nomen autem meum Adonai non reuelaui eis*, videlicet prædictis modis, sicut reuelatum est Mosi. Hæc Lyranus.

Damasc.

S. August.

19. *Thostatus.* Idem sentit, atque eodem modo interpretatur hunc locum Exodi Thostatus in tractatu quæstionis primæ super caput sextum Exodi. Nec istis diuersa *Caietanus.* opinatur, & scribit Caietanus. Exponens enim hunc locum Exodi: Duplex, inquit, occurrit hic quæstio; vna est circa veritatem horum verborum: *Nomen meum Iehoua*, sic enim est Hebraicè, *non indicaui eis*: tum quia nomen istud reuelatum fuerat Abrahæ cum dixit ei Genesis decimo quinto: *Ego Iehoua, qui eduxi te de Vr Chaldæorum:* Imo verò ante diluuium nomen hoc cœptum fuit inuocari tēpore Enoch, filij Seth, vt traditur in fine quarti capitis Genesis. Altera quæstio est, quorsum hæc dicantur Mosi in hoc loco, quia non videntur facere ad propositum. Solutio primæ quæstionis hæc est. Non esse hic sermonem de notitia huius nominis Dei, quātū ad ipsam vocem, & confusam quandam eius notitiam; sic enim notum fuisse Patribus nomen Iehouah, non aduersatur præsenti textui. Sed est hîc sermo de notitia distincta rationis nominis *Iehouah:* talem enim notitiam Patres nō habuerunt, sed illam docuit Deus Mosem, & per Mosē filios Israël, quando è rubo dixit: *Ero qui ero*, vt declaratū est supra Exodi tertio. Sententia igitur in hoc consistit: quod Deus prioribus Patribus manifestauerat attributa sua, fortitudinē, potentiam, sapientiam, bonitatem, & huiusmodi; non autem manifestauit eis *Essentiam* suam: manifestauit illis communia sibi, & creaturis: sed non manifestauit illis, quod sibi soli proprium est, & incommunicabile creaturis. Nam tam nomen *El* quàm *Saddai* attributa sunt communia Deo, & alijs: nomen autem *Iehoua* proprium Dei nomen est. Solutio autem secundæ quæstionis, huiusmodi est: Voluit Deus per hæc verba declarare, se pluris quodammodo facere Mosem, & filios Israël modernos, quàm Patres antiquos, dum eis communicat notitiam sui, quam Patribus negauit. Et fuit valde opportuna hęc comparatio, vt afflicti Hebræi, ex perceptione tanti doni, sperarent firmiter futuram liberationem. Hactenus ex Caietano. Lippomanus in Catena tres primas expositiones, refert, atque vt cęteris probabiliores complectitur. *Lippoman.*

Oleaster denique à superioribus longè discordans, & diuersissimam nominis *Tetragrammati* significationem atque interpretationem sequens, super illis verbis: *In Deo omnipotente apparui illis; nomen autem meum Iehouah non indicaui eis*; hūc in modum disputat. In Hebræo, inquit, pro *Omnipotente*, est vox *Saddai*, & pro illo *Adonai* est *Iehoua*; disquirenda est igitur germana & ꝓpria significatio vtriusque vocis, tam *Saddai* quàm *Iehouah*, recurrendo ad radices earum vocum. Ac nomē quidem *Saddai* deriuari potest vel à Sad, quod mammam significat; vel à Sadad, quod significat prædari, & expilare. Si deducatur à (Sad) dictum de Deo, significabit Deum, quatenus præbet vbertatem, & bona sua in nos effundit: quemadmodum ab vbere, lac diffunditur. Sin autem deriuetur à *Sadad*, quod

20. Quinta expositio Oleastri.

Sadad.

quod est prædari, seu expilare, significabit Deum, quatenus est fortis prædator. Ergo cum dicitur: *In Deum Saddai apparui eis*: dupliciter exponi potest Primò sic: Ostendi me Patribus, vt beneficum, & dantem illis, & promittentem bona magna: deinde, ita ostendi me illis tanquam fortem deprędatorem, & expilatorem, accipiendo videlicet bona ab aliis, & tradendo eis: quemadmodum bona Laban transtulit in Iacob, sicut vxores eius dixerunt, Genes. 31. *Tulit Deus opes patris nostri, & dedit nobis*. Et Isaac ditatus est bonis Philistinorum, vt dicitur Genes. 26.

21. *Iehoua*. Similiter vox Iehouah deriuari potest à radice (Hauah) quod significat Esse, & ab Houah, quod significat cōtritionem, siue malum euentum, vt patet Ezechielis, capite septimo, vbi dicitur: *Houah al Houah*, id est, contritio super contritionem veniet. Videtur autem nomen Iehouah potius deriuari ab Houa, quod est conterere, quàm ab Hauah, quod est esse: quia maiorem conuenientiam habet cum Houah, quàm cū Hauah. Quare nomen Iehouah ꝓpriè significat Deū, quatenus est conterens, & mactans, & destruens, & malos euentus immittens: vt sit hic germanus illorum verborum intellectus: Antiquis Patribus manifestaui me vt fortem, & prædatorem, vel copiosum ad largiendum; sed non vsus eis sum nomine Iehouah, id est, cōterentis, vastantis & destruentis regna & gentes propter vos, sicut nunc ostendam me: vnde subiūxit Dominus: *Dic filijs Israël: Ego Iehouah, & educam vos ex oneribus Aegypti, & eruam vos ex seruitute eorum: & redimam vos in brachio extento & in iudicijs magnis* Quibus verbis videtur explicare vim & notitiam nominis Iehouah. Quod autem omnes ferè interpretātur, Saddai, Omnipotentem, nō video quomodo quadrare possit; cum non conueniat vllo pacto significationi radicis, quę cumque illa sit, vt ante diximus. Hæc Oleaster. Cuius extrema verba contra eos, qui vocē Saddai interpretantur Omnipotentem, dicta videntur in Latinum nostrum interpretem, qui plurifariam ita Latinè reddere solet id nominis. Sed esse falsam Oleastri opinationem, & iniquam reprehensionem, demōstrauimus in tertio Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim, super caput 18 Genesis, ad numerum marginalem quartū.

Quænam igitur est nostra illorum verborum, *Nomen meum Adonai*, id est, *Tetragrammaton, non indicaui eis*, Interpretatio? Dicam breuiter, si vnum illud antè docuero, esse morem Scripturæ, ac phrasim linguæ Hebrææ, vsurpare nomē pro re nominata, & significata illo nomine; vt nomen hominis pro ipso homine, & nomen Dei pro ipso Deo. Multa sunt huius rei, & passim obuia, in sacris litteris exempla. Nomen hominis pro ipso homine, legere est in Actis Apostolorum, capite primo, in illis verbis: *Erat turba hominum simul ferè centum viginti*. Pro *hominum*, Græcè est ὀνομάτων, id est, nominum: sed Latinus interpres, fugiens Hebraismum permultis ignotū, sensum maluit, quàm verba reddere, perspicuitatis causa. Item Apocalypsis tertio sic est: *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua*; pauca nomina dicit, id est, paucos homines: quamobrem non dicit: *quæ non inquinauerunt vestimenta sua*, sed, *qui non inquinauerunt*, haud dubiè indicans, cùm dixit, *nomina*, non vocem, sed rem significatam intelligi oportere. Simile in eodem libro legitur capite 11. ibi: *Occisa sunt in terræmotu, nominum septem millia*, id est, septem mille homines. Nomen etiā Dei frequentissimè in Scriptura vsurpatur pro ipso Deo: vt cum dicitur nomen Dei æternum, omnipotens, ineffabile, atque incomprehensibile, id est, ipse Deus. Huiusmodi etiam sunt illa: Credere in nomine Dei vel sperare, id est, in ipso Deo: & illa, Nomen Dei timere, inuocare, diligere, id est, ipsum Deum: Eodem spectant illa: *Turris fortissima, nomen Domini*. Et. *Ostendam illi (Saulo) quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Et. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Et: *Propter nomen tuum deduces me, & enutries me*. Et illud Isaiæ cap. 30 *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & cætera*. Ex his liquidò intelligitur, frequentissimam esse in sacris literis vsurpationem nominis pro re, cuius est nomē.

His verò expositis, ac benè perceptis, non est difficile intellectum capere illorum 23.

Margin notes: 22. *Sexta expositio Auctoris.* — *Mos Scripturæ nomē rei pro re ipsa sæpe vsurpātis.* — *Locus Actorum c. 1. & Apocalypsis, c. 3.* — *Prouer. 18.* — *Actor. 9.* — *Psalm. 30.*

rum verborum: *Nomen meum Adonai non indicaui eis*. Sensus enim est: Manifestaui me quidem Patribus ante Mosem, ea ratione, vt sum fortis & sufficiens ad omnia patranda, & præstanda, & vt sum omnipotens: sed illis non manifestaui me perfectissimo illo modo, quo sum nominabilis, & cognobilis mortalibus, & vt significor nomine illo *Tetragrammato*: id est, vt sum ipsum Esse subsistens, & independens, atque infinitum, atque immutabile, atque æternum, eminenterque omnia, & causaliter omnia; quæ quidem omnia inuolutè significantur nomine *Tetragrammato*. Quare nomen hoc, quantū ad claram rei per illud nomen significatæ notitiam, non reuelaui Abraham, Isaac, & Iacob, sicut reuelaui tibi, ô Moses, cum è rubo dixi tibi; *Ego sum qui sum*, quibus verbis clarè docui te, q̄d hoc nomine significatur. Ergo Deus nomen suum *Tetragrammaton* primò reuelauit Mosi: quia seipsum, secundum id quod tali nomine significatur, distinctè ac dilucidè manifestauit ipsi. Hinc autem sequitur, ampliorem & præstantiorem Dei cognitionē, quàm tres illos Patriarchas, habuisse Mosem; sicut ex hoc loco Exodi rectè cōcludit, & demonstrat Beatus Gregorius in Homil. 16. super Ezechielem, cuius verba paulò antè commemorauimus. Et hoc ipsum est, quod Lyranus, Thostatus, & Caietanus tradiderunt, nomen *Dei Tetragrammaton* licet quantum ad vocem, & confusam quandam notitiam, non fuerit ignotum illis Patriarchis: tamen quantum ad rem illo nomine significatam, & quantum ad claram eius rei cognitionem, non illis, sed Mosi primùm fuisse reuelatum. Hoc porrò Deus dixit Mosi, & per ipsum, Hebræis illius temporis: vt inde cognoscētes quanto ipsos dono, super maiores suos, dignatus esset Deus, certissimè sperarent, se ab eo liberatum iri à seruitute Aegyptiaca, & deinceps sub eius semper cura & protectione futuros. Audiat Lector Theodoretum ita scribentem in quæst. 15. in Exodum: Quidnam hoc est: *Et nomen meum (Dominus) non indicaui illis?* ostendit his verbis Deus, quanto honore, quantaque beneuolentia sit Mosem prosecutus. Nam qui Patriarchas celauerat nomen suū, hoc ipsum aperuit Mosi; dixit enim illi: *Ego sum qui sum*, & cætera. Sic ille.

Theodor.

QVARTA DISPVTATIO.

Super ætate Leui, qui fuit proauus Mosis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Anni vitæ Leui fuerunt centum triginta septem. *Et item de annis vitæ Caath & Amram, quorum ille auus; hic autem, pater fuit Mosis.* *Versu 17. 19. & 20.*

Narraturus Moses progeniem suam, repetijt eam à Leui pro auo suo, & principe tribus, quę ab eo appellata est tribus Leui. Sed quia Leui fuerat tertius filiorum Iacob; primus enim fuerat Ruben, & secundus Simeon: idcirco ante prænarrauit familias Ruben & Simeonis. Nam quia visus est Iacob primis istis tribus filijs maledixisse; Ruben quidem propter nefarium eius concubitum cum Bala, vxore patris sui; Simeoni autem & Leui propter iniquam & atrocem Sichemitarum cædem: ne putarentur tres istæ tribus à Deo prorsus repudiatæ & abiectæ, voluit in hoc loco Scriptura, illorū trium filiorum Iacob multas atque illustres familias commemorare. Vbi animaduertere conuenit, recenseri in hoc loco filios Ruben, ac Simeonis & Leui, eos, qui cum Iacob ingressi fuerant in Ægyptum, & qui fuerant principes familiarum ex ipsis descendentium: nam qui numerantur hoc loco posteri Ruben, Simeonis & Leui, eosdem in lib. Genes. c. 46. recensuit Scriptura, tanquam ingressos cum patribus suis, & auo suo Iacob in Aegyptum. Ruben porrò appellatur in hoc capite, primogenitus Iacob, cum tamen ab eo priuatus fuerit primogenitura: sed primogenitus erat secundum carnem, & ordinem nascendi; reuera tamen prærogatiuam primogenituræ amiserat. Etenim duplex erat prærogatiua primogenituræ, altera hæreditatis bonorum; primogenito enim duæ partes hæreditatis

24. Genes. 35. Suprà 34.

hæreditatis dabantur, cum alijs filijs singulæ singulis partes darentur. Et hæc prærogatiua translata est à Ruben in Ioseph, cuius filij duas partes in diuisione terræ Chanaan, sortiti sunt, tanquã duas distinctas tribus cõstituentes, sicut prædixerat ipsemet Iacob, vt traditur Genes. 48. & prioris libri Paralipom. cap. 5. Altera primogenituræ prærogatiua erat honoris & dignitatis, in eo posita, quod primogenitum cæteri fratres tanquam principem & dominum suum honorabant, & venerabantur: quod perspicuè cernere licet in eo quod Isaac dixit filio suo Iacob, constituens eum primogenitum suum, Genes. 27. *Seruiant*, inquit, *tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum: & incuruentur ante te filij matris tuæ*. Et paulò post, idem dixit filio suo Esau, loquens de Iacob, cui tanquã primogenito suo benedixerat: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui*. Hæc verò prærogatiua honoris adempta est Ruben, & collata in Iudam, licet is ordine generationis, quartus fuisset: illi namq; benedicens Iacob, dixit: *Iuda, te laudabunt fratres tui, & adorabunt te filij patris tui*. Verùm his breuiter prænarratis, primo loco excutiamus, atque perpensitemus ætatẽ Leui in hoc loco strictim expositam.

25. *Chronologia vitæ Leui, qui fuit proauus Mosis.* Dicitur in hoc capite versu 17. vixisse Leui annos centum triginta septem: fuerat autem Leui natus quatuor annos ante Ioseph: nam cum Iacob quatuor primos filios suos continuata generatione procreauerit, vt colligitur ex cap. 29. & 30. libri Genesis; indidem etiam liquet, tertium ordine generationis fuisse Leui, natum vtique in tertio anno secundi septennij seruitutis Iacob: in cuius septennii vltimo anno natus est Ioseph: Erat ergo Leui quatuor annis natu antiquior, quàm Ioseph. Ex hoc autẽ multa licet concludere memoratu digna. Ac primò quidem loco hinc apparet, Leui fuisse triũ & quadraginta annorũ, cum intrauit Aegyptum vnà cũ patre suo Iacob; tunc enim Ioseph fuisse triginta nouem annorũ, elicitur ex cap. 41. simulq; ex cap. 45. lib. Genes. at Leui quatuor annis vt dictum est, grandior natu erat quã Ioseph. Secũdò colligitur, Leui tribus & viginti annis mortuũ fuisse post obitum Ioseph: Ioseph enim vixit centũ decem annis, vt traditur Genesis vlt. cap. Leui autem vixit centũ triginta septẽ annis, vt in hoc loco scriptũ est; eratq; quatuor annis prior natu quam Ioseph; ergo fuit illi superstes viginti tribus annis. Tertiò colligitur, post ingressum Iacob cũ omni familia sua in Aegyptum, vixisse Leui in Aegypto annos nonaginta quatuor. Patet hoc, quia Leui erat quadraginta trium annorum, cũ intrauit Aegyptum vnà cũ patre suo Iacob, vt dudum est dictum: Omne autem tempus vitæ eius definitur in hoc capite annis centũ triginta septẽ: quare si ex hoc numero detrahas annos quadraginta tres ante ingressum in Aegyptum, reliqui erũt anni nonaginta quatuor, quos exegit in Aegypto. Quartò colligitur, mortuũ esse Leui annis vno & viginti super centum, ante egressum Hebræorũ ex Aegypto. Siquidem ab ingressu Iacob in Aegyptũ, vsq; ad egressum Hebræorum inde, fluxerũt anni ducenti quindecim, vt alibi docuimus: sed Leui post ingressum Iacob in Aegyptum, vixit inibi, vt proximè dictum est, annis nonaginta quatuor: ergo post mortem Leui, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, reliqui fuerunt anni centum & viginti, & vnus. Quintò colligitur, mortuum esse Leui vno & quadraginta annis ante ortum Mosis: siquidem ipse mortuus est, vt diximus, ante egressum Hebræorum ex Aegypto, vno & viginti, centumque annis: sed Moses erat octoginta annorum, cùm eduxit Hebræos ex Aegypto, vt proditum est in cap. 7. huius libri Exodi: ergo mors Leui, vno & quadraginta annis ortum Mosis antecessit.

Caath verò, qui fuit auus Mosis, dicitur in hoc capite, versu 18. vixisse annos centũ triginta tres: & hunc ipsum numerum habent Codices Hebræi & Græci, & Paraphrasis Chaldaica. Quare miror quomodo Eugubinus in Recognitione Pentateuchi super hoc loco scriptum reliquerit, Caath secundum LXX. Interpretes, vixisse annos tantùm centũ triginta. Si autem Caath vixit centum triginta tribus annis, necesse est eũ mortuum esse, minimùm duobus annis ante Mosis 26. *Chronologia vitæ Caath, qui fuit auus Mosis.*

Mosis ortum, & quod est consequens, duobus & octoginta ante egressum Hebræorum ex Aegypto. Etenim ipse dicitur Genes. 46. intrasse Aegyptum vnà cum patre suo Leui, & auo Iacob: Ponamus igitur, eum eodem illo anno natum esse paulò ante ingressum in Aegyptum. Certum autem est, ab ingressu Iacob in Aegyptum, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, annos fluxisse ducentos quindecim; ad vsque verò Mosis ortum centum triginta quinque, vt alibi probatum est. Sed Caath vixit centum triginta tribus annis, ergo duobus annis ante ortum Mosis, & octoginta duobus ante egressum ex Aegypto mortuus est. Ex his apparet, errasse

Alexãdrũ Polyhistoris erratũ.

Alexandrum Polyhistorem, qui (vt refert Eusebius lib. 9. de præparat. Euangel cap. vlt.) prodidit, cum mortuus est Leui, fuisse eo tempore Caath, quadraginta annorum. Si enim Caath ingressus est Aegyptum cum auo suo Iacob, vt traditur Genes. 46. & pater eius Leui post ingressum in Aegyptum, vixit inibi nonaginta quatuor annos. vt paulò supra demonstratum est, fuisse Caath, minimum nonaginta quatuor annorũ, cum excessit pater eius Leui, necesse est.

Chronologia vitæ Amrã, qui fuit pater Mosis.

Alexander Polyhistor.

27. Amram porrò, pater Mosis, dicitur in hoc capite, versu 20. vixisse annos centum triginta septem: licet codex græcus Romanus in hoc loco omnem eius vitam definiat annis duntaxat centum triginta duobus. Quoniam verò Alexander Polyhistor, apud Eusebium loco proximè nominato, tradit, Amram esse natum quatuordecim annis ante mortem Ioseph: & cùm esset septuaginta septem annorum, genuisse Mosem: hinc efficitur, eum esse mortuum viginti annis ante egressum Hebræorum ex Aegypto, & sexagesimo anno ætatis filij sui Mosis. Si enim Amram natus est quatuordecim annis ante obitum Ioseph; is autem obijt vno & septuaginta annis post ingressum Iacob in Aegyptum, & annis centum quadraginta quatuor ante egressum Hebræorum ex Aegypto, vt alibi probatum est: ergo Amram natus est quinquaginta septem annis post ingressum Iacob in Aegyptum; & centum quinquaginta octo ante egressum Hebræorum ex Aegypto, ante ortum verò Mosis septuaginta octo. Cum igitur Amram vixerit centum triginta septem annis, necesse est, vt diximus, obijsse eum vno & viginti annis ante egressum Hebræorum ex Aegypto. Sed aduertat Lector, secundum Eusebium in Chronicis, ortum Mosis signari in septuagesimo anno vitæ patris eius Amram: Ex quo sequitur, cum Amram vixerit centum triginta septem annis, vixisse eum post genitum Mosem, sexaginta septem annis; & obijsse ante egressum Hebræorum ex Aegypto tredecim annis.

Quid sit, incircumcisum esse labijs.

Sed quid est illud, quod in extremis verbis sexti capitis scriptũ est: *Et ait Moses coram Domino, en incircumcisus labijs ego sum, quomodo audiet me Pharao?* Circumcisio propriè dicta, erat amputatio præputij, quod est quid superfluum, & apud Hebræos pro re admodum fœda & abominabili ducebatur. Illi enim, probri & contumeliæ loco, vocabant aliquem incircumcisum. Sic enim Dauid appellauit Gigantem Goliath, vt scriptum est in 1. Reg. cap. 17. Hinc porrò per similitudinem quandã, translatitia significatione, abscissio & remotio cuiuslibet rei vitiosæ, aut noxiæ, aut quæ impedimentum erat agendi aliquid boni & præclari, vocabatur circumcisio. Vnde sunt illa in sacris literis, circumcisio cordis & mentis, & linguæ. Contra verò, qui talibus vitijs & defectibus præditi erant, appellabantur incircumcisi corde, vel mente, vel lingua. Generaliter itaque ac præcisè, incircumcisum esse, metaphoricè significat vitio aliquo, vel defectu, vel impedimento esse præditum. Hac igitur significatione Moses dixit, se incircumcisum esse labijs, hoc est, impeditæ linguæ, & rudem atque ineptum ad loquendum. Chaldaica paraphrasis hoc loco habet: *Grauis loquelæ ego sum.* Apud septuaginta est; *Gracilis voce sum.* Super quo dubitabundus ita scribit Augustinus quæst. 17. in Exod. Non videtur tantùm propter magnitudinem populi excusare se de vocis gracilitate; verùm etiam propter vnum hominem, videlicet Pharaonem: ait enim: *Ecce ego gracili voce sum, & quomodo exaudiet me Pharao?* 28.

S. Augustinus.

Pharao? Mirum igitur est, tam gracili voce Mosem fuisse, vt ne ab vno quidem homine posset audiri. An fortè regius fastus non permittebat, eum de proximo loqui secum? Hæc Augustinus. Sed lectio Hebraica & Latina, & Chaldaica non tantùm gracilitatem vocis, sed alia quoque vitia, & defectus linguæ & sermonis denotant. Dignum profectò est obseruatione, & admiratione, Deum, qui tot tantaque dona largitus fuerat Mosi, noluisse paruum illum linguæ defectum ei adimere; sed voluisse, indigere eum fratre suo Aaron tanquam Interprete. Verùm ita solet vsu venire, vt quibus Deus maxima tribuit, ijs nõnunquam minima deneget; ne donorum magnitudine superbè extollantur; ne alios præ se contemnant; & vt palam fiat, neminem esse posse in hac vita, vsquequaque perfectum, & nullius indigentem. Moses repræsentabat legem veterem, quæ poterat dicere, se nescire loqui: tum, quod licet indicaret peccata, non tamen auferendi ea, potestatem haberet; licet Diabolo repugnaret, eum tamen superare, ac tyrannica mundi dominatione spoliare nõ poterat: suadebat bona, sed paucis persuadebat: docebat diuina, verũ pleraque non apertè, nec explicatè, sed tectè atq; inuolutè per figuras & ænigmata.

BENE-

BENEDICTI PERERII
IN CAPVT SEPTIMVM EXODI,
DISPVTATIONES TREDECIM.

Moses constituitur tanquam Deus Pharaonis, & Aaron Propheta eius: facit signa, & Magos similia item facientes superat: & prima plaga ferit Aegyptios, omni aqua in sanguinem conuersa.

CAPVT SEPTIMVM EXODI.

Versu 1. DIXITQVE Dominus ad Moysem: Ecce consti-
tui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit
2. Propheta tuus. * Tu loqueris ei omnia quæ man-
do tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat
3. filios Israel de terra sua. * Sed ego indurabo cor
4. eius, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Aegypti, * &
non audiet vos: immittamque manum meam super Aegyptum,
& educam exercitum & populum meum filios Israel de terra
5. Aegypti per iudicia maxima. * Et scient Aegyptij quia ego sum
Dominus, qui extenderim manum meam super Aegyptum, &
6. eduxerim filios Israël de medio eorum. * Fecit itaque Moyses
7. & Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt. * Erat autem
Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando
8. locuti sunt ad Pharaonem. * Dixitque Dominus ad Moysen &
9. Aaron: * Cum dixerit vobis Pharao: Ostendite signa: dices ad
Aaron: Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, &
10. vertetur in colubrum. * Ingressi itaque Moyses & Aaron ad
Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus: tulitque Aa-
ron virgam coram Pharaone, & serui eius, quæ versa est in colu-
11. brum. * Vocauit autem Pharao sapientes & maleficos, & fece-
runt etiam ipsi per incantationes Aegyptiacas & arcana quæ-
12. dam similiter. * Proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ
13. sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorũ. * In-
duratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut præcepe
14. rat Dominus. * Dixit autem Dominus ad Moysem: Ingraua-

tum

tūm est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. * Vade ad 15.
eum manè, ecce egredietur ad aquas,& stabis in occursum eius
super ripā fluminis: & virgā, quæ conuersa est in draconē, tolles
in manu tua. * Dicesq; ad eum: Dominus Deus Hebræorum mi 16.
sit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi
in deserto: & vsque ad præsens audire noluisti, * Hæc igitur di- 17.
cit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: Ecce percutiam
virga quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in san-
guinem. * Pisces quoque qui sunt in fluuio, morientur,& com- 18.
putrescent aquæ, & affligentur Aegyptij bibentes aquam flumi-
nis. * Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Tolle 19.
virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Aegypti, &
super fluuios eorum,& riuos ac paludes, & omnes lacus aquarū,
vt vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni terra Aegypti,tā
in ligneis vasis,quàm in saxeis. * Feceruntque Moyses & Aaron 20.
sicut præceperat Dominus: & eleuans virgam, percussit aquam
fluminis coram Pharaone & seruis eius: quæ versa est in sangui-
nem. * Et pisces qui erant in flumine, mortui sunt: computruit- 21.
que fluuius,& non poterant Aegyptij bibere aquam fluminis; &
fuit sanguis in tota terra Aegypti. * Feceruntq; similiter malefi- 22.
ci Aegyptiorum incantationibus suis. Et induratum est cor Pha-
raonis, nec audiuit eos sicut præceperat Dominus: * auertitque 23.
se,& ingressus est domum suam,nec apposuit cor etiam hac vice.
* Foderunt autem omnes Aegyptij per circuitum fluminis aquā, 24.
vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. * Imple 25.
tiq; sunt septem dies,postquam percussit Dominus fluuium.

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 1. Dixit Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.

1. QVÆRITVR quomodo intelligere oporteat, quod his verbis dicitur, Mosem esse constitutum Deum Pharaonis. Germana horum verborum hæc est sententia. Moses ferociam,& impiam superbiam,& crudelitatem Pharaonis vehemēter formidabat; & ideò legationem ad eū obire quoquo modo refugiebat. Dominus autem his verbis ostendit,nō esse formidandum ipsi Pharaonem, sed contrà facturum se,vt ipse formidabilis esset atque horribilis Pharaoni, propter ingentia prodigia, quæ facturus erat coram ipso,& terribiles plagas, quibus ipse percussurus erat Aegyptios. Dabo,inquit,Deus tibi tantam auctoritatem, & potentiam in Pharaonem, vt ipse reueneatur, & pertimescat te quasi Deum. Cuius rei clarissimum illud fuit indicium, maximumque argumētum,quod Pharao toties à Mose tam atrociter & calamitosè percussus, non fit ausus eum attingere,nedum occidere: timebat videlicet ne si quid tale tentaret, prorsus ipse cum vniuersa gente Aegyptiorum periret.

S.Hi-

2\. *Quinq; modis ex sacra Scriptura cognoscitur Iesum Christum esse Deũ, vt probat S. Hilarius.*

S. Hilarius in libro septimo, de Trinitate disputat, ex ipsa Scriptura cognosci, Dominum nostrum Iesum Christũ esse verum Deum, quinque modis; nomine, natiuitate, natura, potestate, & professione. Nomine, quia simpliciter & precisè vocatur Deus, vt in principio Euangelij Ioannis: *Deus erat Verbum*, & in fine primæ epistolæ eiusdem: *Vt simus in vero Filio eius: hic est verus Deus*. Et apud Paulum ad Romanos 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Natiuitate & generatione, quoniam sæpè in Scriptura vocatur verus Filius Dei, id est, non per voluntariam gratiæ adoptionem: sicut autem filius hominis, est homo, ita Filium Dei necesse est Deum esse: quia naturalis natiuitas consubstantialitatem generationis & geniti necessariò habet. Natura, quoniam ipse dixit: *Ego & Pater vnum sumus*, non *vnus* quod personam denotat; est autem distincta persona, Patris & Filij; sed *vnum*, quod substantiam demonstrat: hæc verò prorsus vna atque eadem est Patris & Filij: alioqui non vnus tantùm esset Deus Potestate, ipse enim dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Et Patri dixit: *Omnia mea tua sunt*. Et: *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*. Denique professione; quoniam ipsemet Christus profitebatur se habere Deum Patrem, eique se consubstantialem & æqualem esse: qua de re accusabant eum Iudæi, & semel lapidare eum voluerunt. Audi quæ scribit Ioannes capite quinto: *Propterea*, inquit, *magis quærebant Iudæi eum interficere, quia non solùm soluebat Sabbathum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Et apud eundem Ioannem cap 10. ita scriptum est: *Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Sed Hilarius obijcit sibi locum hunc Exodi, in quo etiam Moses appellatur Deus. Verùm is facilè diluit eam obiectionem: non enim ibi dicitur Deus genuisse Mosen Deum, sed constituisse eum Deum: nec præcisè & absolutè vocatur Deus, sed cum hac adiunctione (Deus Pharaonis) Nõ est data Mosi natura, qua Deus esset: sed data ei est auctoritas & potestas, qua velut Deus Pharaonem terreret, puniret, & nolentem cogeret dimittere Hebræos. Hactenus ex Hilario.

Ioann. 10.

Matth. vlt.

Ioan 16. et 17. Matth. 11.

Ioan. 5.

Ioan. 10.

3\. *Secũdũ B. Gregorium Deus ĩ Scriptura dicitur vel essentialiter, vel nuncupatiuè.*

Beatus Gregorius in Homilia octaua in Ezechielem: In Scriptura, inquit, aliquando Deus nuncupatiuè dicitur, aliquando verò essentialiter dicitur. Nuncupatiuè Deus appellatus est Moses, cui dictum est: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*. & ipse Moses sacerdotes & iudices appellauit Deos, dicens: *Dijs non detrahes*. & rursum: *Applicabitur ad Deos*. & Dauid Psal. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum; in medio autem Deus discernit*. Essentialiter porrò Deus dicitur, sicut ad Mosem dictum est Exodi tertio: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*. Vnde Paulus volens nuncupatiuum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est dicens: *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula*. Nam qui nuncupatiuè Deus dicitur, is est inter omnia: qui verò essentialiter Deus dicitur, is est super omnia. Vt igitur ostenderet Christum naturaliter esse Deum, nõ hunc Deum tantummodo, sed Deum super omnia esse memorauit. Quem autem Paulus Deum super omnia vocat, hunc Ezechiel propheta Deum sublimem nominauit, dicens: *Audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei*. Sic B. Gregorius.

Exodi 22.

Ibidem.

Loc. ad Roman. 9.

Ezech. 1.

4\. *Auctoris sentẽtia de multifaria vsurpatione nominis Dei.*

Sed lubet hæc ipsa paulò distinctius atque enucleatius tradere. Sciendum est, Deum appellari quadrifariam in sacris litteris: vel essentialiter, & sic nomen hoc, præterquàm tribus Personis diuinis, est incommunicabile: sicut scriptũ est in libro Sapientiæ contra Idololatras, qui incommunicabile Dei nomen lapidibus, & lignis imposuerunt. Vel personaliter, & hac ratione solus homo Christus, verè dicitur Deus. Vel secundum vanam existimationem, & appellationem hominum, vt dij Gentilium, qui re vera non erant Dij, sed opinionis errore, pro Dijs stultè colebantur. Idcirco Paulus ad Galatas quarto dixit: *Iis, qui naturà non sunt Dij, seruiebatis*. Et in prioris epistolæ ad Corinthios capite octa-

Locus libri Sapientiæ, cap. 14.

uo

uo de huiusmodi Dijs loquens: *Nullus est Deus*, inquit, *nisi vnus: nam etsi sunt qui dicantur Dij siue in cœlo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi, & Domini multi) nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Vel dicitur Deus per similitudinē quandam & participationem, idque quadrifariam. Primò propter participationem diuinæ gratiæ, propter quam efficimur diuinæ consortes naturæ, vt dixit B. Petrus: vt patet in sanctis Angelis, & hominibus beatis. Vel ob participationem scientiæ, quæ est propria Dei, qualis est scientia futurorum contingentium, & rerum supernaturalium, & quæ vocantur secreta cordium, quam habuerunt Prophetæ, ob idque vocabantur antiquitus videntes. Vel ob participationē eximiæ cuiusdam auctoritatis atque potestatis alios regendi, & iudicandi, atq; puniendi, vt erant Iudices, atque Principes. Vel demum propter sanctitatem diuini muneris, cui obeundo cōsecrati & sanctificati fuerant, vti sacerdotes, quorum erat proprium munus, quæ ad cultum & religionem Dei pertinent, administrare ac peragere.

2. Petri 1.

5. *Quid secūdū B. Dionysiū significet nomen* ΘΕΟΣ.

Quid autem propriè significet nomē Dei Græcum ΘΕΟΣ, & quæ vis & notio ei voci subiecta sit, præclarè beatus Dionysi[a] Areopagita declarat in capite 12. libri de Diuinis nominibus scribēs: ΘΕΟΣ appellari Deum, quòd is perspiciat cuncta mirabili prouidentia & bonitate, & circum omnia currat, cunctaque contineat, & seipso repleat omnia, atque vniuersa transcendat, quæ prouidentia illius vtuntur. Et interiectis quibusdam, subdit: Sanctos autem viros, & reges, & dominos, & deos Scripturæ appellant, quæ in singulis sunt magis principales distinctiones, per quas secundæ atque sequentes, diuina percipientes munera, distributionis illarum simplicitatem, circa suas multiplicant differētias; quarum primæ varietatem prouidè ac diuinè ad suam colligunt vnitatem. Ita Dionysius.

6. *Locus Lucæ cap. 14.*

Licet porrò videre in hoc loco, quàm vera sit illa Domini nostri sententia: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*. Ecce tibi, Moses vsque eo abiecit seipsum, vt minimè omnium, obeundæ legationi, quam sibi Deus imponebat; idoneum se iudicaret: vnde paulò ante deprecans eam legationem, dixerat Deo: *En, incircumcisus labijs ego sum, quomodo audiet me Pharao?* At Deus, tantam eius viri humilitatem in tam sublimem honoris atque dignitatis gradum extulit, vt eum constitueret quasi Deum quendam Pharaonis, & ipsius fratrem Aaron, Prophetam eius faceret. Rectè igitur super hoc loco Rupertus: Gloriosa, inquit, virtutum regina humilitas, quæ in cœlum volare consueuit, locuta est in Mose, dicente, se incircumcisum esse labijs: & idcirco dignum, ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus, regnantis hominis se esse Deum. Nec dixit Deus auctor Deorum: *Ecce constituam*, sed, *ecce constitui te Deum Pharaonis*, subauditur enim *à constitutione mundi*, nec enim ille Deus Deorum, nouo quicquam consilio constituit, aut destituit. Ac si dicat; Quoniam tu mitissimus virorum, pro tam glorioso negotio, cum Pharao ne dimicare, & cum regibus configere indignum te ducis, atque hoc modo vsque ad infima terræ te deprimis: ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamque te Deum, non quem ille fideliter adoret, sed quem seruiliter formidet: vt imperes aquis pro potestate Dei; vt ranas crees; vt imperes terræ ac cineri, faciasque in rege, & in exercitu eius cyniphes & vesicas; vt imperes aëri, & pestem admodum grauem generet; vt imperes igni, & cum grandine mixtus feratur super peccatores. Sic imperando elementis, Deus eris Pharaonis. Hæc Rupertus.

Rupertus primo libro Commentariorum in Exodum cap. 26.

Sequitur altera pars huius loci, Exodi: *Et Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.* Super quibus verbis hæc annotauit S. Augustinus in quæst. 17. in Exodum: Notandum, inquit, quod cum Moses mitteretur ad populum, non ei dictum est: Ecce, dedi te Deum populo, & Aaron erit Propheta tuus: sed dictum est: *Frater tuus Aaron loquetur tibi ad populum, & erit os tuum, & tu illi eris in his quæ sunt ad Deū:* non est autem dictum: Tu illi eris Deus. At Pharaoni datus esse Deus dicitur: & secundum analogiam propheta

7. *S. Augustinus.*

Mosi

Mosi datus est Aaron, sed ad Pharaonē. Hinc autem insinuatur nobis, ea loqui Prophetas Dei, quæ audiunt ab eo: nihil que aliud esse prophetam Dei, nisi enūtiatorem verborū Dei hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire. Sic Augustinus. Sed Theodoretus, secundum eius interpretem Latinum, secus legit hunc locum, quàm est in Scriptura Hebraica, vel Græca, vel Latina, vel Chaldaicā. Nam pro Deo Pharaonis legit Deū Aaronis. His enim verbis tractat quæst. 17. in Exodū: Quomodo Moses fuit Deus ipsius Aaron? Quemadmodum Deus imperabat Mosi, ita Moses ipsi Aaron: quamobrem etiā Aaron appellatus est propheta Mosis. Sic ille. Sed in Notationibus ad Biblia Græca Romæ nuper edita, in prima Notatione super hoc caput septimū Exodi proditum est, in manuscripto Codice Theodoreti non Aaronis, sed Pharaonis legi: nec sanè possum animum inducere, aliter scripsisse Theodoretum.

Animadversio in Theodoretum.

8. Rupertus tractans hæc verba Exodi: Quoniam, inquit, non est dignus Pharao tecum, ô Moses, qui Deus eius es constitutus, loqui, Aaron tuus erit propheta; plagas, quas tu facies, pronūtiaturus, siue tanquam minister tuus, illaturus: Ego Deus Deorum tecum, qui Deus es Pharaonis, loquar facie ad faciem, vt loqui solet homo ad amicum suum, non igitur dignaberis tu multa loqui, vel orationem prolatare cū rege Aegypti, vel faciem tuā aperire popularibus ineruditis; sed loqueris prophetæ tuo Aaron, & contra Pharaonem, & ad populū tuum: exemplo videlicet mei, qui nec verborum indicijs ago cum principe tenebrarum, nec passim visibiliter appareo mortalibus; sed per prophetas meos mando, vel quæ illis denuntianda sunt, vel quæ sunt à me facienda. Porrò tu illis eris in his, quæ ad Deum pertinent: de te enim loquente pariter & audiente, ille accipiet quid loquatur. Et isti duo homines ita profectò egerunt, alter potestatem in sermone habens; alter potestatem in faciendis coram Pharaone signis exercens. Hæc Rupertus.

Rupertus.

Num. 12.

9. Cæterùm nomen Prophetæ, ac verbū Prophetandi multiformes in sacris literis vsurpationes habent. Ac germana quidē ac propria eius vocabuli significatio ponitur in eo, qui diuina, & mortalibus occulta videt, & multo antè futura prænuntiat. Quamobrem Prophetæ antiquitus dicebantur videntes, vt traditum legimus in primo libro Regum, cap. 9. Nec eo nomine vetus tantū Propheta, sed etiam falsus, pro vero tamen existimatus, & honoratus, appellatur. Quocirca B. Paulus in primo capite Epistolæ quam scripsit ad Titum, Epimenidem, qui dixerat, Cretenses semper esse mendaces, & malas bestias, & ventres pigros, proprium Cretensium Prophetā appellauit. Prophetare item in Scriptura, significat psallere & cantare diuinas laudes, modulis atque instrumentis musicis. In prioris namque libri Paralipomenon, cap. 25. Legimus filios Asaph & Heman prophetasse in cytharis & cymbalis & psalterijs: & ibidem dicitur idithun prophetasse in cythara super confitentes & laudantes Dominum. Dicitur etiam prophetare idem atque desipere, & furere, & more freneticorum, aliena atque inepta loqui: qua quidem significatione in primo libro Regum, cap. 18. dicitur Saul, cum inuasisset eum spiritus malus, prophetasse eū in medio domus suæ. Quin etiam alicubi prophetare significat in Scriptura, miraculum quodpiam facere, ad declarandum fuisse aliquem Prophetam. Ad hanc nempè sententiam in libro Ecclesiast. cap. 48. dicitur mortuum Elisæi corpus prophetasse; quod alterius hominis cadauer in sepulchro Elisæi positum, repentè contactu eius ad vitam excitatum est. Prophetare demùm sæpe in sacris litteris idem significat quod res sacras, & diuinas, nec multis peruias atque cognobiles, interpretari atque exponere. Hac vtiq; significatione vsus est B. Paulus in illa nobili disputatione, quam de comparatione Prophetiæ, & doni linguarum tractauit in cap. 14 prioris Epistolæ, quā misit ad Corinthios; vbi quod sit munus prophetantis, sic indicauit illis verbis: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem & consolationē. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Si enim omnes prophetent intret autem quis infidelis vel idiota; conuincitur ab omnibus,*

Quinque significationes vocis Propheta et Prophetare.

Locus 1. Paralip. c. 25.

Locus 1. Regū, cap. 18.

Locus Ecclesiast. ca. 48.

Locus Pauli 1. Corinth. 14

nibus, dijudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt; & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntiās quod verè Deus in vobis sit. Secundum hanc quoque significationem nominis Prophetæ accipiēdum est quod hoc loco dicitur, Aaron fuisse Prophetam Mosis, hoc est, interpretem, &, vt supra dictum est cap. 4, os eius. Aaron quippe mandata Mosis, & Dei data Mosi, apud Pharaonē & Aegyptios eloquebatur, & exponebat.

SECVNDA DISPVTATIO.

De Magis Pharaonis, qui sese Mosi opposuerunt, similia prodigia & signa facere conati.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 11. Vocauit autē Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Aegyptiacas & arcana quædam similiter.

10. Philo. HANC historiā denarrans Philo in primo libro de vita Mosis, ita scribit: Confluente ad regiam multitudine, frater Mosis baculū, elatum prius, vt esset conspicuus omnibus, in terram proijcit, qui mox in draconem mutatus est: Tunc circulus spectatorum præ metu, stuporeq; diffugit. Sophistæ verò & Magi quotquot aderāt: Quid vos terret? inquiunt: Nec nos sumus rudes talium artium: & nos talia patrare possumus. Tunc cùm suam quisque virgam proiecisset, multi dracones circa primum illum voluebantur sinuosis orbibus. At ille, arrecta ceruice, immaniq; hiatu, non aliter quàm obiectos pisciculos circumquaque positos absorbuit: atque ita ijs deglutitis, in pristinam virgæ naturam redijt. Id tam magnificum spectaculum, etiam iniquis animis omnem suspicionem exemit: ne putarent videlicet, agi hæc humanis artibus & fallacijs ad ludificationem sensuum excogitatis; sed diuina potentia, cui nihil difficile est perficere. Sic Philo.

Similia scribit Iosephus, sed paulo distinctius & expressius. *Iosephus.* Cùm, inquit, Moses contemptim audiri se à rege animaduerteret, exhibet illi specimen prodigiorum, quæ in Sinai monte viderat. Rex verò iratus, sceleratum eum appellat; qui Aegyptiorum quondam fugitiuus, nunc magicis instructus præstigijs ad decipiendos homines fidenter venerit. Habere se quoque iactat sacerdotes, qui eædem ostenta repræsentare nossent: nec esse cur Moses gloriari debeat, quasi solus diuina præ cæteris virtute polleat, & idcirco apud rudem multitudinem, tanquam supra mortalē conditionem positus, se venditet: cōfestimque cum illi suas virgas in terram proiecissent, in dracones sunt conuersæ. Tum Moses nihil his motus: Non ignoro, inquit, artes Aegyptiorum; sed quæ ego operor, tantò præstantiora sunt, quam istorum Magia, quanto interuallo res diuinæ humanas post se relinquunt. Iamque manifestè declarabo, non esse quæ facio præstigias, veritatis specie, parum cautis imponentes; sed ipsissimam Dei virtutem, argumentum omnipotentis diuinę volūtatis apud incredulos futuram. Atque his dictis, virgam in terram misit, quæ in draconem mutata, Aegyptiorum virgas, quæ draconum specie reptabant, vnam post aliam aggressa, ad vnam omnes deuorauit: moxque in pristinam virgæ speciem reuersam, Moses in manum sustulit. Hæc Iosephus.

Sed nos perpendamus, quæ de Magis illis in hoc loco tradit Scriptura: Ait, *11.* Pharaonem aduersus Mosem accersiri iussisse sapientes, & maleficos, qui per incantationes Aegyptiacas, & arcana quædā, similia operibus Mosis facerent. Sapientes vocat, vel Astrologos & Philosophos, præsertim verò Magiæ naturalis peritos: vel eo nomine significat sacerdotes, qui apud Aegyptios, existimatione sapientiæ omniū maximè celebrabantur. Maleficos autem appellat, qui magicas artes malo modo, & in malum vsum exercebant. Horum porrò nomine significantur præstigiatores, & Necromātici, & qui magicis artificijs abutebantur ad patranda scelera, vt adulteria & furta atque homicidia: ob idque

L nominati

nominati sunt malefici; nam & faciebãt mala, & malc modo; Dæmonum videlicet inuocatione, atque auxilio; adhibitisq́; multis fraudibus & mendacijs, atque hominum deceptionibus. Iosephus quidem certè Magos illos Pharaonis apertè tradit fuisse sacerdotes: apud Aegyptios enim tales erant, opinione sapientiæ, sacerdotes; quales apud Indos Brachmanes; apud Aethiopes Gymnosophistæ; apud Græcos Philosophi, & apud Iudæos Prophetę. Dicit autẽ hoc loco Scriptura, Magos illos Aegyptios operari solitos per incantationes Aegyptiacas, & per quædam arcana: operabantur enim cantando quædam verba modo carminum; sed quia vel illa verba erant secreta, vt non audirentur ab alijs, vnde Onchelus vertit, susurrationes; vel modus, quo operabantur, erat occultus; ideo vocantur arcana. Dicuntur autem Aegyptiaca, nõ quod primùm in Aegypto inuenta fuissent, sed quod verbis & ritibus Aegyptiacis constabãt; vel quia non idem erit genus & modus incantationum, idemque vsus Magiæ apud omnes gentes, sed alius alibi gentium. Septuaginta Interpretes hoc loco vocarũt illos, Sophistas, & Pharmacos, id est, Veneficos; Onchelus, Magos; Aquila vertit χρυφιασάς, id est, occultorum cognitores & patratores.

22. *Nomina illorũ Magorum.* Cæterùm quæri dignum est, qui fuerint nominatim Magi, qui restiterũt Mosi coram Pharaone. In veteri Scriptura, neque hoc loco, neque alibi vspiam, eorum nomina memorantur. Sed enim B. Paulus in cap. 3. posterioris Epistolæ; *Locus Pauli 2. ad Timoth. ca. 3.* quam scripsit ad Timotheum, eos, qui restiterunt Mosi coram Pharaone, nominat Iannem & Mambrem. S Chrysostomus *S. Chrysostomus.* illum Pauli locum exponens, scribit, illorum Magorum nomina comperta habuisse Paulum ex antiqua & certa Hebræorum traditione; vel ex reuelatione Spiritus sancti; idemq́; super eo loco tradũt Theodoretus & Theophylactus. *Theodoretus, Theophylactus. Origenes.* Origenes in Tractatu 35. in Matthæũ, citans supradicta verba Pauli, ait, nomina illa Magorum non inueniri in Scripturis publicis, sed in secreto quodã libro, qui inscribebatur liber Iannis & Mãbris. *S Ambrosius.* Vulgo putatus Ambrosius, eundem illius Epistolæ locũ explanãs: exemplum, inquit, hoc, de apocryphis est. Iannes enim & Mambres fratres erãt magi, vel venefici Aegyptiorum: qui magicis suis artibus virtuti Dei, quæ per Mosem operabatur, æmulatione commentitia, resistere se posse putabant. Sed cũ Mosis virtus in operibus cresceret, humiles facti, cum dolore vulnerum fateri coacti sunt, Deum in Mose operari. Sic ille. Gelasius Papa distinctione 15. cap. Sancta Romana Ecclesia, librum Iannis & Mambris reprobat, inter Apocryphos numerans. *Gelasius Papa.*

Numenius Pythagoricus in 3. lib. de Bono, vt refert Eusebius lib 9. de præparatione Euangelica, cap. 3. scriptum reliquit, Iannem & Mambrem Aegyptios, magicis artibus adeò præpotẽtes fuisse, vt Musæo Iudæorum duci, qui coniunctissimus Deo erat, soli cunctorum Aegyptiorum resistere posse iudicati sint. 23. *Eusebius.* Plinius verò lib. 30. cap. 1. horum Magorum mentionem faciens, vocat Iamne & Iotape, falsò dicens, eos fuisse Iudæos. *Plinius.* Sed in eo prætèrea fallitur, quòd eos multis annorum millibus posteriores facit Zoroastre: cum ex libro primo Iustini historici constet, Zoroastrem fuisse temporibus Nini primi Assyriorũ regis, quo regnante natus est Abraham; à cuius ortu ad tempus vsque istorum Magorum, siue egressus Hebræorum ex Aegypto, anni non plures quingentis quinq; fluxerunt, & ab ipso diluuio, septingenti nonaginta septem.

Mira porrò de istorum Magorum sepulchro narrat Palladius in vita B Macarij, ab eo visa & comperta, sibiq́; ab eo commemorata, quæ hoc loco adscribere putaui non iniucundum fore Lectori. 24. *Palladi' mira de istis magis scribit.* Dicebat Macarius, Iannem & Mambrem fuisse fratres, & propter Magicæ artis excellentiam, maximam apud Aegyptios habuisse auctoritatem atque potestatem. Hi dum viuerent, intra quãdam Aegypti solitudinem, in hortis quibusdam sepulchrum sibi construxerunt ex lapidibus quatuor pedũ magnitudine; multumq́; auri illic condiderunt, & omnis generis arbores plantauerunt, & magnum aquæ puteum foderunt: sperantes fore videlicet, vt post suũ obitũ, in illo paradiso delicijs fruerentur. Hic autẽ locus, vt cõmuni regionis illius fama

ma ferebatur, tenebatur à Dæmonibus atque custodiebatur. Incessit Macarium cupido visendi locum, profectusque, cum iam propè accessisset, obuiam illi processerunt ad septuaginta Dæmones, varijs formis: alij clamantes, alij exilientes, alij magno cum fremitu in eum dentibus stridentes, alij figura coruorũ in eum inuolantes. Quibus euanescentibus eiq; iam in paradisum illum ingredienti, occurrit Diabolus cum districta romphæa ei minitans; quem ille facto crucis signo repellens, ingressus est locum. Omniaque contemplatus, reperit cadum æneum, catena ferrea pendentẽ ex puteo, iam tempore consumptum: & fructum malorum punicorum, quæ nihil intus habebant; fuerant enim arefacta à sole, & plurima item aurea donaria. Hæc Palladius.

15. *Varia species Magiæ.* Cum autem Scriptura hoc loco dicit, Magos illos operari solitos per incantationes Aegyptiacas, & per quadã arcana, inter multas Magiæ species, duas hisce verbis indicauit. Varias enim species Magiæ demonstrat Plinius lib. 30. cap. 11. ab Osthane principe eius artis doctore, esse traditas. *Plinius.* Namque, ait Plinius, & ex aqua, & ex sphæris, & ex aëre, & stellis, & lauacris, & peluibus, securibusque, & multis alijs modis diuina promittit, præterea vmbrarum, inferorumq; colloquia. Sic Plinius. *Iamblicus.* *Proclus.* *Porphyr.* Iamblicus de Mysterijs Aegyptiorum, Proclus de Sacrificio & Magia, & Porphyrius de Sacrificijs, duplicem faciunt Magiã, sicut ex Porphyrij doctrina refert B. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 9. Alterã vocant Theurgiã, qua certis quibusdã hostijs & sacrificijs, & cũ munditia quadam corporis, & animæ, alijsque adhibitis cæremonijs bonis, ac beneficis, vt vocant, ipsi Dæmones inuocãtur; quorum afflatu & auxilio, & occulta manifestant, & futura prænunciant, & mira faciunt opera. Alteram Magiæ speciem appellant Goeticam & Necromantiam, quæ mortuos excitat, & consulit, & per eos responsa requirit de rebus occultis vel futuris. Vocatur Goetia à planctu, quo facto circa mortuorum sepulchra, animæ eorum ex inferis euocantur. Necromantia verò appellatur, quòd sit diuinatio ex mortuis euocatis petita. *Suidas.* Suidas has memorat species, Goetiã & Magiam, & Pharmaciã quas à Persis, & Medis inuentas dicit, easque ita distinguit: Magia, est inuocatio Dæmonum beneficorum, ad bonum aliquod efficiendum: huiusmodi fuerunt Apollonij Thyanæi oracula. Goetia, manes inuocatione elicit, dicta à lamentis & fletibus, quæ ad sepulchra fiunt. Pharmacia verò est, cũ venenum aliquod læthale per os ingeritur. Ita Suidas.

16. *Antiquitas Magiæ.* Nec verò existimet quispiam, quod in hoc Scripturæ loco primùm fit mentio Magorum, & artium Magicarũ, fuisse eas artes inuentum Aegyptiorum, & tunc primùm cœpisse, aut non multò ante: id enim falsum esse constat. Vetus enim opinio est, plurimorũ auctorũ firmata consensu, principem huius Magiæ doctorem, & quasi parentem, fuisse Zoroastrem Persam, vt Plinius, & Diogenes Laertius vocant, vel Bactrianum, vt Diodorus Siculus, alijq; nominant. *Diogenes. Laert.* De eo Plinius in lib. 30. cap. 1. ita scribit: *Plinius.* Sine dubio in Oriente orta est Magia, in Perside à Zoroastre, vt inter auctores conuenit. Eudoxus Zoroastrem sex millibus annorum ante Platonis mortẽ fuisse prodidit, sic & Aristoteles. Hermippus, qui de tota ea arte diligẽtissimè scripsit, & vicies centum millia versuum à Zoroastre condita, indicibus quoq; voluminum eius positis explanauit, præceptorem Zoroastris facit Azonacẽ, quinque millibus annorum ante bellũ Troianum. Hæc ibi Plinius, qui lib. 7. scribit, vnũ omniũ mortalium Zoroastrẽ, eodẽ quo natus est die, risisse; cerebrumq; ita ei palpitasse, vt impositam repelleret manum, futuræ præsagio scientiæ: viginti annis in deserto Magiæ vacantẽ, caseo vixisse, ita tẽperato, vt vetustatẽ nõ sentiret. Iustinus quoq; historicus initio libri primi inuentorem artis Magicæ, facit Zoroastrem: idemq; tradit B. Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei. cap. 13. *Iustinus.* *S. Augustinus.*

17. *Antiquitas Zoroastris, qui putatur inuẽtor Magiæ.* Cæterùm de antiquitate Zoroastris non satis conuenit inter scriptores. Eudoxus namque & Aristoteles, vt ex Plinio retulimus, faciunt eum sex millibus annorum Platone antiquiorẽ: Hermippus verò, vel vt citat Laertius, Hermodorus Platonicus in libro de Disciplinis, facit eum quinq; millibus annorũ bello

L 2 Troiano

Troiano vetustiorem: ex aduerso autem Xantus Lydius, referente Laërtio, multo recentiorem, dicens, sexcentis duntaxat annis fuisse ante Xerxis transitum in Græciam. Sed enim & illi longè plures verò, & hi pauciores annos computant. Constat enim Zoroastrem fuisse tempore Nini primi Assyriorum regis, quo regnante natus est Abraham: ab ortu autem Abrahæ vsque ad primã Olympiadem, fluxerunt anni mille ducenti sexaginta octo. Bellum porrò Troianum septem & quadringentis annis præcessit Olympiades. Xerxis autẽ transitus in Græciam, in septuagesimã quintam Olympiadem incidit: Platonis demum excessus in octauam, & centesimã Olympiadem competit. Ex quo apparet, multitudinem illam annorum, quã Eudoxus, Aristoteles & Hermippus antiquitati Zoroastris assignant, vel esse fabulosam, vel annos illos non quales nostri sunt, sed quales Aegyptij, vel Arcades habuerunt, hoc est, trimestres, esse censendos. Nec dissimile fuit eodem in loco erratum Plinij: is quippe Mosem multis annorum millibus facit posteriorem Zoroastre: cum subtilissima Chronologiæ ratione compertum sit, minus sexcentis annis Zoroastrem fuisse priorem Mose.

18. Auctor historiæ Scholasticæ super libro Genesis in cap. 39. suæ historiæ: Ninus, inquit, vicit Cham, qui adhuc viuebat, & regnabat in Bactria, seu in Thracia, vt alij volunt, & vocatur Zoroaster, inuentor artis Magicæ; qui & hanc, & septem liberales artes in quatuordecim columnis scripsit; septem æneis, & septem lateritiis, contra duplex orbis excidium, quod timebatur, vnum per aquam, alterum per ignem. Ninus verò libros eius combussit: hinc etiam orta sunt Idola. Sic ille. Apud Cassianum verò Serenus Abbas collat. 8. capite 21. originem Magiæ & maleficarũ artium priorem Diluuio facit, eo videlicet tempore, quo filij Dei, vt narrat Scriptura, permisti sunt filiabus hominum. Ait enim scientiam rerum cœlestium & sublunarium, quam à Deo acceperat Adam, tradidisse ipsum filio suo Seth: cuius posteritas eã seruauit incontaminatã, & donec profanata fuit à sacrilega propagine Caym, eam doctrinã ad Dei cultum, & ad communis vitæ vtilitatem contulit. Cum verò eius posteri mixti essent impiæ generationi Caym, quæ piè didicerant, ea, instinctu Dæmonum, ad res profanas atque noxias deflexerunt; curiosasq; ex ea maleficiorum artes, atque præstigias ac magicas superstitiones audacter instituerũt. Quod autem hæc curiosa & malefica doctrina diluuio non perierit, causa fuit Cham, vt antiquæ ferunt traditiones: qui superstitiosis & sacrilegis artibus infectus, eas artes, cum in arcam, in quam vnà cum Noe patre suo, & alijs fratribus ingressurus erat, inferre non auderet, diuersorũ metallorum laminis, quæ scilicet aquarum non corrumperentur iniuria; & durissimis lapidibus, qui vim ignis nõ sentirent, insculpsit: quæ diluuio peracto, eâdem, qua illas cælauerat, curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. Sic eo loco est apud Cassianum.

Chã fuisse inuẽtorem Magiæ, dictũ ab Ethnicis Zoroastrem.

Auctor histor. Scholastica.

Origo Magiæ auctore Cassiano fuit ante Diluuium. Genes. 6.

19. Fuisse autem ætate Mosis celebrem Magiæ vsum, præter Magos Pharaonis, qui se Mosi vehementer opposuerunt, similia miraculis eius facere conati, non dubiam fidem etiam facit lex à Deo per Mosem lata Hebræis. Nec enim Deus in ea lege tam graues pœnas aduersus Magos, aliarumque superstitiosarum artiũ administros constituisset, nec tam seuerè eorum congressum atque consuetudinem Iudæis interdixisset, nisi iam tũc istiusmodi artium vsus, sicut hominibus perniciosus erat, sic notus & celebris fuisset. Circa Troiani verò belli tempora claram fuisse Magiæ famam, non obscurè indicat Homerus, præsertim in Vlyssis erroribus, adeò vt totum illud opus non ex alio constare videatur. Siquidem Prothea, & Syrenum cantus, apud eum non aliter intelligi volunt: Circe verò & Inferorum euocatione, hoc solũm agi. Deinde apud Thessalas vrbes diu Magia magna celebritate viguit. Orpheus quoq; magnã ei fidem & auctoritatẽ addidit. Sed primus est, vt inquit Plinius, de ea cõmentatus Osthanes, Xerxem regẽ Persarum, bello quod Græcis intulit, comitatus: qui velut semina artis portentosæ sparsit, obiter infecto, quocunque commeauerat, mũdo.

Magia tempore belli Troiani.

Osthanes Magiæ doctor atque cõmẽtator insignis.

Et

Et hic maximè ad rabiem, non aviditatem modò, scientiæ eius, Græcorum populos egit. Ante hunc tamen, clarissimum in ea arte Pythagoræ nomen fuit: & post eum Empedocles, & Democritus, & Plato, ad hanc discendam artem nauigauere: exilijs verius, vt Plinij verbis vtar, quàm peregrinationibus susceptis; hanc reuersi prædicauere, hanc in arcanis habuere.

20. Multis post hos seculis, Apostolorum temporibus, apud Brachmanes Indorũ, Iarchas, & apud Gymnosophistas Aethiopum Tespesion, Magiæ fama perillustres fuerunt. Hoc item tẽpore Simonem, cognomento Magum, propter hãc artem, multum claruisse, omnis loquitur Ecclesiastica historia. Is enim Apostolorum æmulus, nõ apud Samaritanos modo, sed apud Romanorum etiam Principes, ad eius magicas præstigias attonitos, honores etiam diuinos obtinuit. Ex quo, velut parente, multiplex Hæreticorum soboles prognata, & sub Christiano nomine magicas artes professa, Christianam religionem & disciplinã apud ignares, infamem & odiosam fecit. Sed enim omnes ante postque se, eius artis fama celebres, longè superauit Apollonius Tyanæus, Domitiani principatu clarus. Is perdiscendæ Magiæ studio, totum penè orbem peruagatus est, & cum iis congressus, quicunque in ea tunc arte clari habebantur: tantamque Magiæ scientia, nominis claritatem adeptus est, tantaque sui admiratione animos hominum impleuit, vt quasi Deus (tanta est hominum inscitia, & stultitia) & viuus, & mortuus coleretur.

Simon Magus.

Apollonius Tyanæus.

21. Sed quæret aliquis, quomodo Magia, omnium artium vanissima, & fraudulentissima, tantùm in toto orbe terrarũ, totque seculis, viguerit ac valuerit. Huic quæstioni respondens Plinius in primo capite trigesimi libri, Auctoritatem, inquit, ei arti maximam fuisse, nemo miretur: quandoquidem sola artiũ tres alias superstitiosissimas humanæ mentis, complexa, in vnam se redegit. Natam primùm è medicina nemo dubitat; ac specie salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremq; quãdã medicinã: ita blandissimis optatissimisque promissis, addidisse vires religionis, ad quas maximè, etiam nunc caligat humanum genus. Atque, vt hoc quoque suggesserit, miscuisse artes mathematicas, nullo non auido futura de sese sciendi, atq; ea è cœlo verissimè peti credente. Ita possessis hominum mẽtibus triplici vinculo, in tantum fastigium adoleuit, vt & hodie in magna parte gentium prævaleat; & in Oriente, regum regibus imperet. Hæc Plinius.

Vnde tanta Magiæ auctoritas & celebritas.

Plinius.

22. Istiusmodi porrò improbarum & fallacium artium primum inuentorem, & doctorem fuisse Diabolum, à quo mortales earum cognitionem acceperint, & vsum didicerint, ita certum & manifestum est, vt probatione non egeat. Namque Diabolus, (vt de eo Dominus noster dixit,) *Homicida est ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est. & pater mendacij.* Atque hoc, ne ipsi quidem Magiæ propugnatores & laudatores, qui apud Ethnicos claruerunt, inficiantur. Porphyrius enim, vt refert Eusebius libro quinto de præparatione Euangelica, capite septimo, scripta hæc reliquit in libro de Responsis: Non solùm felicem conuersationem suam, verùm etiam quibus rebus gaudeant, & quibus alligentur, Dij hominibus significarunt. Adhæc, quibus ipsi rebus cogantur, & quæ sibi offerenda sint, & quos dies vitare oporteat, figuras quoq; ipsas simulachrorũ, quales esse deberent, & in quibus locis ipsi versentur, docuerunt mortales: & omnino nihil est, quod ab ipsis homines non didicerint. Ita Porphyrius.

Primũ Magiæ inuentorẽ & doctorem fuisse Diabolum.

Ioann. 8.

Porphyrius apud Eusebium.

23. Sed luculentissima est super hac re B. Cypriani sententia, & oratio, in libro de Idolorum vanitate, hunc in modum disputantis. Nequissimi, inquit, spiritus sub statuis atq; imaginibus consecratis delitescunt: hi afflatu suo, vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, auium volatus gubernant, fortes regũt, oracula efficiunt, falsa veris semper inuoluunt; nam & falluntur, & fallunt: vitam humanã turbant, somnos inquietant, irrepunt in corpora, mentes terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos accersunt: vt ad cultum sui cogant, vt nidore altarium, & rogis pecorũ saginati, remissis quæ cõ-

Præclara B. Cypriani sententia.

strinxerant, curasse videantur: hæc est ab illis medela, cùm illorum cessat iniuria. Nec aliud illis studium est, nisi à Deo homines auocare, & ad superstitionem ab intellectu veræ religionis auertere. Et cum sint ipsi pœnales, quærunt sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerint erroris participes. Hi tamen adiurati per Deum viuum, nobis statim obediũt & cedunt, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & operatione, quasi flagris cæsos, & igne tortos, eiulare, gemere, deprecari; audias, & vnde veniant, aut quando discedant, ipsis etiam, qui eos colunt, audientibus, confiteri: & vel exilire statim, vel euanescere gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis, illi cogunt; vt nos odisse incipiant homines, antequam nossẽ; ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. Hactenus ex Cypriano.

TERTIA DISPVTATIO.

An opera Magorum omnia sint simulata & fucata, An sint aliqua vera.

QVO sit expeditior ingressus in tractatum explicationemq; eorum, quæ in hoc capite de signis factis à Magis Pharaonis tradit Scriptura, duo ante omnia prædocenda esse putaui: Primò, an omnia opera Magorum sint simulata & non vera: An verò nonnulla eorum opera sint vera, & qualia videntur, verè talia sint. Deinde, quænam opera mira Magi, auxilio Dæmonum possint facere; & quas res nec Magi, nec Dæmones possint facere.

24. *Pleraq; Magorũ opera esse falsa.* Permulta opera Magorum opera esse simulata, & inani specie atque imagine veritatis, sensus hominum fallentia, manifestis exemplis & rationibus ostendi potest. Etenim huiusmodi sunt, quæ de socijs Vlyssis à Circe Maga, in varias bestiarum species transformatis tradita memoriæ sunt: & item de Arcadibus, qui traiecto quodam stagno vertebantur in lupos. Hoc, ne prorsus fabulosum & incredibile videatur, facit auctoritas beati Augustini, *S. Augustinus.* qui libro decimo octauo de ciuitate Dei, capite decimo octauo, narrat fuisse suo tempore in regione quadam Italiæ, stabularias *Mira trãsformatio Magica.* quasdam mulieres, quæ viatores, quibus caseum dabant veneficijs imbutum, mutare solebant in iumenta; eorumque opera ad portanda onera aliquandiu vsæ, rursus in pristinas hominum figuras reformabant.

25. Huius etiam generis multa sunt exẽpla apud Philostratum in libris, quos scripsit de vita Apollonij. Tale est illud, quod ab eo traditur libro tertio capite octauo. Cum enim Apollonius, & *Magica opera Iarchæ.* Iarcha, & alij Brachmanes mensæ accubuissent, tripodes lapideos, sua sponte fuisse motos; & ab æreis pincernis calices in gyrum circumlatos esse, certa mensura vinum & aquam miscentes, & cyathos offerrentes conuiuis. Eodem spectat, quod idem narrat libro quarto, capite decimo sexto, de puella, quæ tanquam mortua efferebatur: cuius funeri occurrens in via Apollonius, secretò quædam illi admurmurans, & ad aurem insusurrans, ad vitam, integramque valetudinẽ eã reuocasse visus est. Illud quoque memoratu dignum, quod ab eodẽ traditur libro sexto, capite tertio, de statua Memnonis: *Statua Memnonis.* quam vbi radius solis, circa eius exortum, attigisset, & ad os eius peruenisset, tunc illa, more, modoque hominum, loquebatur. Cuius affine est, quod in eodem libro capite quinto memoratur, iussu Vespesionis, qui princeps erat Gymnosophistarum apud Aethiopes, arborem vlmum, voce quidem clara & distincta, sed tenui admodum & quasi muliebri salutauisse Apollonium. Huc pertinent, quæ Dist. XXVI. quæst. 5. cap. Episcopi, de nonnullis strygibus narrantur, quorum Dæmones ita illudebant & corrumpebant imaginationem, vt putarent illæ longa se terrarum spatia, per aëra equitando conficere; & cum Diana & Herodiade in amœnissimis locis iucundissimè epulari ac ludere, cum nec loco mouerentur, nec personæ illæ adessent, sed omnia imaginationis tantùm ludificatione constarent. Ad hanc quoque sententiam multa scribit B. Augustinus in

libro

libro decimo octauo de ciuitate Dei, capite decimo sexto, & sequentibus.

26\. Hoc ipsum præterea, manifesta firmari ratione potest. Magi enim in spectaculis, subitò ex terra vel lapidibus aut lignis apparere faciunt vel Icones, vel lupos, quasi tunc ab illis procreatos: constat autem, huiusmodi animalia cùm sint perfecta, nulla ratione, (citra supernaturalem Dei potentiam) generari posse, nisi ex semine, & à sui similibus: nec subitò perfectam magnitudinem corporis habere, verùm statis quibusdam temporum interuallis, ad eam peruenire posse. Faciunt etiam statuas ligneas ambulare, ac loqui: quæ actiones cum sint humanæ, à statuis verè non possunt effici. Dicuntur etiam mortui à Magis reuocati ad vitam, sicut traditum est de puella illa, quæ Apollonij opera, vt suprà dictum est, reuixisse vulgò credita est. *Plinius.* Plinius etiam libro septimo cap. 37. narrat, Asclepiadem, celeberrimum, tempore Pompeij Magni, medicum, hominem quendam mortuum è funere retulisse ac seruasse. Non posse autem verè mortuos, à Magis verè ad vitam reuocari, hac ratione concluditur. Si animus hominis est mortalis, non potest semel extinctus, idem numero reuiuiscere: sin autem est, vt reuera est, immortalis, non potest vllis hominum, vel Dæmonum artificijs, vllisue naturalium causarum viribus, rursus ad corpus suum animandum, & viuificandum reduci: tum quia cum sit incorporeus, atque immaterialis, eum supra omnis naturæ corporeæ potestatem esse, nec vllius rei creatæ facultati subiacere, necesse est; tum quia non potest anima rationalis verè iterum vniri corpori, nisi tale fieret corpus mortuum, quale fuerat antea viuum, habens videlicet humano corpori conueniens temperamentum, & calorem naturalem ac viuificum, & spiritus naturales & animales, & verum atque humanum sanguinem. Has porrò atque alias res, sine quibus corpus humanum animæ rationalis capax esse non potest, nec Dæmon, nec vlla naturalis causa præstare valet corpori humano: cùm earum rerum naturalis & propria causa sit, primò quidem naturalis virtus seminalis & formatrix humani corporis, postea verò naturalis virtus animæ sentientis & alentis. Ex his itaq; concluditur, resurrectiones mortuorum, quæ à Magis factæ narrantur, vel esse fabulosas, vel tantùm simulatè atque in speciem esse factas.

27\. Sed enim vt multa sint opera Magorum simulata & falsa, nonnulla tamen vera eos facere posse, & aliquando fecisse minimè negandum est. *Nonnulla opera Magorū esse vera.* Hoc sanè videtur ex ipsa sacra Scriptura demonstrari posse. Deus enim, (vt scriptum est Deuteronomij 13.) denūtiauit Hebræis, *Locus Deuteron. c. 13.* venturos Pseudoprophetas, qui prædicerent futurum aliquod portentum, idq; ita eueniret, vt ab illis fuerat prædictū. Dei verba hæc sunt: *Si surrexerit in medio tui Propheta, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est; & dixerit tibi; Eamus, & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Constat præterea, inter auctores Ecclesiasticos, Apolloniū Tyanæum, omnium maximè fuisse Magum; eius tamen non pauca opera & facta, fuisse naturalia & vera, affirmat B. Iustinus Martyr in Responsione ad *Iustini Martyris de opeibus Apollonij iudicium.* Quæstiones Orthodoxorū. Ponit enim huiusmodi quæstionem, quæ est numero vigesima quarta: Si Deus est opifex & dominus naturæ, qui fit, vt Apollonij dictata, in pluribus mundi partibus polleant? Nam & maris impetus, & ventorum cursus, & murium ac ferarum incursiones, vt videmus, arcent. Ac si quæ facta sunt à Domino miracula, sola narratione feruntur, illius verò plurima in rebus ipsis ostenduntur; nonne eos decipiunt, qui ea vident? Quod si Dei permissione, illa facta sunt, nonne dux ad Gentilitatem fuit ista permissio? sin minus, nonne potestate Dæmonum acta sunt illa? Rursùm, si Deus rebus illis, vt bonis delectatus, illū adiuuit, cur nō per Prophetas & Apostolos talia facta sunt? Sin ea vt falsa & praua ei displicebant, cur quod falsum & prauum erat, aut statim nō impediuit, aut paulò post nō dissoluit, sed in posterum vigere permisit?

Ad hanc quæstionem ita respondet B. Iustinus Martyr. Apollonius, vt vir

naturalium causarum & virtutum, & dissensionum earum inter se atque consensionum peritus, ex hac scientia faciebat illa dictata, non diuina auctoritate. Hanc ob rem in suis omnibus dictatis, indiguit assumptione idonearum materiarum, quæ adiuuarent eum ad id perficiendum, quod efficiebatur. At Saluator noster Christus, diuina auctoritate miracula faciens, minimè indiguit materia: sed eius iussa & imperium res ipsæ sequebantur & sequuntur. Et Apollonij quidem dictata, quoniam facta sunt ex scientia causarum & virtutum naturaliũ ad corporalem actionem & vsum hominum, non euertit Dominus. At ipsum Dæmonem intra illius statuam latentẽ, qui homines oraculis suis ita deceperat, vt Apollonium tanquam Deum honorarent & venerarentur, obmutescere fecit, abolitis eius oraculis: vt similiter etiã reliquorum Dæmonum, qui Deorum nomine à Gentilibus colebantur, potestatem sustulit, vt res indicat. In his itaque cum habeamus diuinæ Christi potestatis argumenta, non est dicendum Christi miracula, in nuda narratione esse posita. Et hactenus quidem fuit B. Iustini disputatio.

28\. *S. Augustinus.* *Locus Matthai ca. 24.* Eadem est doctrina B. Augustini in libro 3. de Doctrina Christiana, cap. 7. & 8. Verùm disertissimè in opere Octoginta trium quæstionum, & præcipuè in Tractatu quæstionis 79. vbi disputans super illis verbis Domini, quæ refert Matthæus cap. 24. *Surgent Pseudochristi & Pseudopropheta, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* hunc in modum scribit: Quod autem Dominus dixit, Pseudoprophetas multa signa & prodigia facturos, ita vt fallant etiam (si fieri potest) electos; admonet vtique, vt intelligamus, quædam miracula etiã sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt; nec ideò tamẽ potiore loco apud Deum esse, arbitrandi sunt. Non enim acceptiores Deo quàm populus Israël, erant Magi Aegyptiorũ, quod nõ posset populus ille facere, quod illi Magi faciebant: quamuis Moses in virtute Dei maiora facere potuerit. Sed ideò non omnibus Sanctis ista tribuuntur; ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quàm in operibus iustitiæ, quibus æterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibuit gaudere discipulos, cùm ait: *Nolite in hoc gaudere, quoniam spiritus vobis subijciuntur: sed in hoc gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.* *Locus Luca cap. 10.* Cùm ergo talia faciunt Magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt, talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diuerso fine, & diuerso iure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt per quædam, potestatibus concessa in ordine suo, qua si priuata commercia vel beneficia: isti autem publica administratione, iussu eius, cui omnis creatura subiecta est. Sic Augustinus.

Idem sentit, & tradit B. Thomas exponens supradictum illum Matthæi locum de magnis signis & prodigijs Pseudoprophetarum: sed præcipuè sententiam suam aperit in prima parte, quæst. 114. 29. *S. Thomas.* Dæmones, inquit, non possunt facere miracula propriè dicta; quia miraculum propriè dicitur, quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum largè, quicquid excedit humanam facultatem & considerationem. Et sic Dæmones possunt facere miracula, faciendo scilicet ea, quæ homines mirentur, eorumque facultatem, & cognitionem excedant. Nam & vnus homo, in quantum facit aliquid, quod est supra facultatem & cognitionem alterius hominis, ducit alium in admirationem sui operis, vt quodammodo miraculum videatur operari. Sciendum tamen est, quod licet eiusmodi opera Dæmonum, quæ nobis videntur miracula, ad veram miraculi rationem non pertineant; sunt tamen quandoque res veræ: sicut Magi Pharaonis, per virtutem Dæmonum, veros serpentes & ranas fecerunt. Et quãdo ignis de cœlo cecidit, & familiã Iob vnà cum gregibus pecorum vno impetu consumpsit; & turbo domum deijciens, filios eius occidit, ea fuerunt opera Sathanæ, non sanè phantastica, sed vera, vt docet Augustinus de ciuitate Dei. Hæc B. Thomas. *Iob 1.* *B. Augustinus.*

Potest

30. *Probatur, Dæmones posse facere mira, quæ vulgò putãtur miranda.* Poteſt hoc ipſum præterea demõſtrari hac ratione. Dæmones naturali ſolertia, quæ ſumma illis eſt, & ſcientia cunctarum rerũ naturalium, quam propter peccatum non amiſerunt, quin etiam longiſſimi tẽporis experientia, qua præpollent; occultas & admirandas rerum facultates & virtutes, ipſarumq; rerum inter ſe vel ſympathiã, vel antipathiam, & quemadmodũ ad inuicem res iſtæ applicari, & componi, ac temperari debeant, optimè nouerunt, & vel per ſeipſos, vel per Magos miniſtros ſuos præſtare poſſunt. Enimverò non ſolùm mira ſunt, & pro ingenti miraculo habita, quæ multi ſcriptis prodiderũt de piſce, *Remora. Plinius.* Latinis dicto Remora: ſed ea vera eſſe, confirmat Plinius, manifeſtum pluribus ſui temporis, experimẽtum eius rei commemorans. In libro enim 32. cap. 1. hunc in modum ſcribit: Ruant venti licet, & ſæuiant procellæ, imperat furori vnus ac paruus admodum piſciculus, Echneis appellatus; vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare nauigia: quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus, & domat maris rabiem, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærẽdo. Hæc tantilla res, contra tot impetus ſatis eſt, vt vetet ire nauigia. Sed armatæ claſſes imponunt ſibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur, velut è muris. Heu vanitas humana, cum roſtra illa, ære, ferroq; ad ictus armata, ſemipedalis inhibere poſſit, ac tenere deuincta piſculus. Fertur, Actiaco Marte, tenuiſſe prætoriam nauem Antonij, properantis circumire & exhortari ſuos, donec tranſiret in aliam: ideoq; Cæſariana claſſis, impetu maiore protinus venit. Tenuit, & noſtra memoria, Caij Principis, ab Aſtura Antium remigantis: nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta; cum è tota claſſe, quinqueremis ſola non proficeret: exilientes protinus qui id quærerent circa nauim, inuenere adhærẽtẽ gubernaculo remorã, oſtẽderũtq; Caio, indignanti, hoc fuiſſe quod ſe reuocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret, in nauigium receptus. Qui tunc, poſteaque videre, eum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. Hæc ibi Plinius: idemque lib. 9. cap. 25. plura de illo piſciculo tradit. Si Magus igitur quiſpiam, Diaboli opera, iſtum piſcem occultè cuipiam naui admouẽs, curſum eius ſiſteret, multis ſpectantibus & admirantibus, rem ille proculdubio veram faceret, quæ tamen pro ingenti miraculo haberetur.

Præterea extra controuerſiam eſt, longè maiorem atque perfectiorem eſſe in Dæmone, quàm in vllo ſapientum hominum ſit aut fuerit vnquam, cognitionem artium omnium & doctrinarum, rerumque mirabilium, quæcunque aut occultis virtutib⁹ naturalibus, aut ingenioſis hominum artibus poſſunt effici. Si homines igitur per artem quampiam poſſunt verè nonnulla facere, quæ videantur miracula: quantò magis facere ſimilia, aut etiam maiora per Magos Dæmon poterit? Archimedes ingentem nauem onerariam, quam plurima hominum turba, vix, labore maximo, mouere poterat, hominibus inſuper multis, multiſq; ponderibus impoſitis, procul aſſidẽs, & quieta impellens manu, vi cuiuſdã multifidæ machinæ, quaſi tranquillo mari prolaberetur, ad ſe adduxit. Cumque Marcellus Imperator Romanorum, maximo exercitu Syracuſas terra mariq; obſideret, Archimedes ad vrbis propugnationem, mirabiles & terribiles omnis generis machinas, telaque, abditiſſima Mathematicæ doctrinæ ſcientia, quæ vocatur Mechanica, adinuenit: quibus tantas hominum ſtrages paſſim edebat; vt Romani, admiratione incredibili, ſimulque terrore perculſi, dicerent, ſe nõ contra homines, ſed contra Deos pugnare. Memorabiliſſimum quoque eſt factum illud Architæ Pythagorici; quẽ ferunt ſimulachrum columbæ è ligno, ratione quadam Mechanica, ita feciſſe, vt volaret; ſic erat videlicet libramentis ſuſpenſum, & aura ſpiritus incluſa atque occulta concitum. Seuerinus Boëtius, in Epiſtola quadam ſiue à Caſſiodoro, ſiue à Theodorico ad eum ſcripta, dicitur miracula quædam feciſſe: nempe, vt metalla mugirent; æneus anguis ſibilaret; aues ſimulatæ canerent dulciſſimè; homines aërei in aëre buccinarent. 31.

Mira opera Archimedis. *Plutarchus in Marcello.* *Gell. lib. 10. cap. 12.* *Archita columba lignea volans.*

32. *Mira probatio pudicitiæ.* Hoc ipſum denique comprobari poteſt clariſſimis exemplis duarum nobilium fœminarum Romanarum. Cum enim mater deorum ex Peſſinunte Phrygiæ, naui Romã adueheretur, ita dicitur hæſiſſe nauis in Tyberi, vt non hominũ, non boum vi moueri loco poſſet. *Claudia Veſtalis.* Claudia Veſtalis, quò ſuam caſtitatem probaret, diſcinxit ſe, zonamq; naui alligans, eam quò volebat deduxit. *Tucia Veſtalis.* Tucia quoq; Veſtalis, quo ſuam etiam probaret pudicitiam, aquã è Tyberi hauſtam cribro, tulit vſque ad Capitolium, Anno vrbis conditę ſexcenteſimo nono, vt tradit Plinius libro 28. cap. 2. & S. Auguſt. lib. 10. cap. 16. de ciuitate Dei. *Vide Liuiũ lib. 2. de bello Punico & Val. Maxim. lib. 8. S. Auguſt.* Hæc duo facta proculdubio vera fuerunt, ea tamen pro miraculis habita ſunt. Quanquam exiſtimat S. Thomas in quæſtionibus de Potentia, quæſtione 6. artic. 5. etiam miniſterio bonorum Angelorum, opera illa fieri potuiſſe, Deo nimirum ſic volente, caſtitatis virtutem & præſtantiam hominibus commendare. *Notabilis opinio Sancti Thomæ.* Verba B. Thomæ in Reſponſione ad V. argumentum illius articuli huiuſmodi ſunt. Non eſt à fide remotum, quod Deus verus in commendationẽ caſtitatis, per ſuos Angelos bonos, huiuſmodi miraculum per retentionem aquæ fecerit: quia ſiqua bona in Gentilibus fuerunt, ea fuerunt à Deo. Si autem per Dæmones illud factũ eſt, nec hoc repugnat prædictis: nam quieſcere, & moueri localiter, ab eodem principio ſunt: per quam enim naturam aliquid mouetur ad locum, & quieſcit in loco. Vnde ſicut Dæmones poſſunt mouere corpora localiter, ita poſſunt & à motu retinere. *B. Thom.* Sic ibi B. Thomas.

QVARTA DISPVTATIO.

Quaſnam res miras, & quæ vulgò putantur miracula, Dæmon aut per ſeipſum, aut per Magos facere poſſit, & quas res verè non poſſit facere.

33. *Duplex actio tranſiens Dæmonum.* Duplex actio eſt Dæmonum, vt vocari ſolet, tranſiens: vna eſt immediata, & eſt motus localis, quo Dæmon mouet alia corpora: nam ſicut Angeli, non per aliqua mediа inſtrumenta, ſed immediatè mouent orbes cœleſtes, ita Dæmones immediatè poſſunt mouere alia corpora ſecundum locum. Ponamus autem hîc, vt certum & manifeſtum ex ſacris litteris Dæmonem poſſe moueri ex vno loco in alium locum, variaque loca, etiam diſiunctiſſima, maxima celeritate obire, vt licet intelligere ex principio libri Iob, & ex cap. 12. Matthæi: & item, Dæmonem poſſe mouere alia corpora ſecundum locum, ad eum modum, quo Angelus ille Prophetam Habacuc capillo apprehenſum, ex Iudęa Babylonem vſque tranſtulit, & inde retulit: *Dan. 14.* & Dominus noſter paſſus eſt aſſumi & duci ſe à Dæmone in pinnaculum templi, & in montem excelſum. *Matth. 24.* Altera Dæmonis actio tranſiens, eſt mediata; ea nempe, quæ motionem localem à Dæmone factam conſequitur. Etenim Dæmones afferendo ex varijs locis, & inuicem applicando cauſas naturales, & agentia, atque patientia inuicem componendo, varios producunt effectus naturales: qui à cauſis naturalibus immediatè proueniunt, mediatè verò à Dæmonibus, qui cauſas iſtas præſentes ſibi fecerunt, & materijs, quæ ab ipſis aptæ ſunt pati, idoneè, ritéque accommodarunt. His poſitis, quænam opera mira Dęmones poſſunt facere, aut per ſeipſos, aut per Magos, deinceps curſim oſtendamus.

34. *Qua opera mira poſſũt facere Dæmones per motum localem.* Principio, multa poſſunt Dæmones facere per motum localem, quæ permira eſſe, ac fidem humanam excedere videantur, quorũ nonnulla hîc ſubijciam exempla. Primò, poſſunt ignem ex ſuperiore aëris parte in terram demittere, quo multa conſumant & perdant: poſſunt etiam mittere vehementes & turbulentos ventos, qui magna ſubuertant ædificia. Hoc feciſſe Dæmonem aduerſus Iob, initio libri eius legitur. *Locus libri Iob c. 1.* *Cecidit,* inquit Scriptura, *ignis de cœlo, & tactas oues, puerosq; conſumpſit: & repentè ventus irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt:* Et de inſigni quodam Antichriſti præcurſore, in libro Apocalypſis, ca 13. ſcriptum eſt his verbis: *Locus Apocal. 13.* *Fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram, in conſpectu hominum.* Poteſt etiam Dæmõ per motum localem

localem grauissimas in mari tempestates & procellas excitare, vel aquas maris ab imo sursum commouendo, vel per concitatissimos ventos. Potest item ingentes facere terræmotus, vel mittendo vehementem aliquem spiritum in cauernas terræ, vel inclusum in illis vehementius agitando. Sic fortasse fieri potuit, quod narrat Philostratus lib. 3. cap. 3. de duob⁹ doliis, quę vidit Apollonius apud Indos, quæ cùm aperiebantur, imbres & ventos emittebant: clausa verò, cohibebant atque compescebant. Secundò: Potest Dæmon ex vno loco in alium locum, quantumuis remotũ, transferre vel homines, vel animalia, vel quæuis alia corpora. Narrat historia Ecclesiastica, Simonem Magum à Dæmonibus inuisibiliter per aëra euectum esse in sublime, quasi ascendentem in cœlum: vnde tamen, precibus B. Petri ad Deum fusis, deiectus in terram est. In historijs quoque Gentilium memoriæ proditum est, visos interdum esse serpentes, & dracones, & homines per aëra volantes: quin etiam Albertus Magnus tradit, aliquando boues pluisse; quod hac ratione factum esse, existimare conuenit. Tertiò: Potest Dæmon subitò res præsentes è conspectu hominum subtrahere, atq; ita reddere inuisibiles: Sicut Apollonium ferunt, cùm esset in conspectu Domitiani Imperatoris, repentè ex oculis omniũ excessisse, & longè alibi extitisse. Et nisi volumus fabulam fuisse id, quod de Gyge Plato & Cicero memorât, hac etiam ratione dicemus Gygem, cùm volebat, potuisse latere oculos præsentium & spectantium: idq; fecisse non virtute & potestate eius annuli, quem gestabat, vt illi tradunt, sed potius Dæmonum artificio. Quartò: Potest Dæmon facere, vt statuę, vel aliæ res inanimatæ ambulent & incedant more hominum, Dæmone videlicet illas mouente. Sic est factũ, quod ex Philostrato suprà commemorauimus, de tripodibus lapideis & pincernis æreis, qui apud Iarchã, præsente Apollonio, in conuiuio per se mouebantur, & more famulorum ministrantium mensis, & pocula conuiuis in loco ac tempore præbebãt. Quintò, potest facere, vt vel statuæ, vel arbores, vel animalia loquãtur more hominum; qua ratione factũ est, quod narrat Valerius Maximus lib. 1. c. vlt. de simulachro Iunonis Monetæ: quod interrogatum, quasi per iocum, à militibus, an Romam migrare vellet; velle se, respondit. Et simulachrum Fortunæ muliebris, matronis Romanis, à quibus fuerat consecratum, dixisse fertur: Ritè me vidistis, ritè me cõsecrastis. Et cum Apollonius esset ad Vespesionem, Gymnosophistarum in Aethiopia principem, eius tacito iussu, arbor Vlmus, humana voce Apollonium salutauit, vt narrat Philostratus. Non est autem putandum, Dæmonem istiusmodi rebus tribuisse facultatem loquendi; sed ipsum voces illas articulatas, & sermonẽ humano similem in aëre formasse, iuxta, vel intra illa corpora: ad eum scilicet modum, quo Angelus fecit, vt asina Balaã humano sermone loqueretur. Sextò: Hac item ratione fieri potuit, quod suprà de duabus Romanis mulieribus Claudia, & Tucia commemoratum est: quarum illa nauem hærentem in Tyberi, zona sua extraxit, & duxit quò voluit: hæc verò aquã è Tyberi haustã in Capitoliũ vsque cribro tulit; Dæmone nimirũ & nauim occultè promouente, & aquam, ne per cribrum dilaberetur, suspensam tenente. Septimò: Facit interdum Dæmon, vt variarum rerum appareant corpora, eaque mouet & regit, ita vt homo, vel Angelus, vel leo, vel aliud quodpiam animal videatur: idque facit vel ad exterrendos, vel ad decipiendos homines. Hac ratione sæpe Dæmones in varijs & terrificis animalium formis apparuerunt B. Antonio, vt istiusmodi visis pauefactũ, à sancto proposito remouerent. Tales fuere apparitiones Castoris & Pollucis factæ Romanis, vel in similitudinem pugnantium in acie, vel nunciorum, quæ longinquis in terris tunc gesta erant, denuntiantium, vt narrat Valerius lib. 1. cap. 8. Octauò: Potest Dæmon repræsentare figuras quarumlibet rerum, vt argenti, auri, gemmarum, vini, epularum; quemadmodum peritissimi fictores aut sculptores, pictorésue varias formas & figuras rerũ ita effingunt, vt interdum veræ & naturales videantur. Sicut tradit Pli. lib. 35. cap. 10. de vuis à Zeuxide pictis, ad viuum perfectéque naturales vuas ita reddentibus, vt ab auibus appeterentur. Similiter

Albertus Magnus. *Plato in 2. de Repub.* *Cic. lib. 3. de officijs.* *Philostrat.* *Valerius Maximus.* *Locus Numer. 22.* *Valer. Maximus.* *Plinius.*

militer Dæmon ex aëre densato, vel alia quapiam materia figuras quarũlibet rerum tales effingere potest, vt fallant humanos sensus, pro veris habitæ. Cuius rei memorabile quoddam exẽplum refert Philostratus libro quarto de vita Apollonij capite quinto cuiusdam Lamię, quæ Menippo iuueni, cui nubere se velle simulabat, plurimas opes & pretiosa ornamenta, ingentemque vini & epularũm copiam in conuiuio ostẽtabat: quas res Apollonius docuit, esse inania tãtùm simulachra, & imagines earũ rerũ quas repræsentabant. Quo dicto; totus ille apparatus, ex oculis omnium euanuit, & mulier illa se Lamiam esse confessa est. Nonò: Possunt etiam spiritus animales, qui sensuum interiorum functionibus peragendis inseruiunt, ita modificare & conformare, vt res aliquas vel præteritas, vel præsentes, vel etiam futuras repræsentent. Decimò: Possunt item eosdem spiritus, in quibus insunt species rerum sensibilium, extrinsecus per sensus exteriores impressæ, vsque ad ipsos sensus exteriores deuoluere: quo fiet vt etiam qui vigilant, videantur sibi videre aliquid, vel audire, vel facere, quod reuera non sic est; sicut videmus phreneticis contingere: nam quod violentia morbi alicuius, cõtingit homini, id quoque per Dæmonem posse in homine effici, non est dubitandum. Vndecimò: Possunt dormientium phantasmata transmutare, & conformare ad repræsentandum, aliqua futura; ea videlicet, quæ Dæmones cognoscunt esse futura: vt ea ratione decipiant homines, fidem habentes somnijs: & hinc originem traxit, quæ olim apud Ethnicos viguit, Diuinatio per somnia; cuius plurima exempla reperiet Lector apud Ciceronem in priori libro de Diuinatione, & apud Valerium Maximum libro primo. Simili Dæmonum artificio fidem, atque adeò etiam honorem inuenit apud Gentiles, Augurum & Aruspicum disciplina, per volatum, vel garritum auium, aut per inspectionem extorum, quæ in cæsis animalibus cernebantur, vel per missionem atque electionem sortium, futurorum diuinationem promittens. Talibus enim rebus libenter se Dæmon ingerit atque immiscet, quò mentes hominum vanis

Philostrat.

Possunt concitare, turbareq́; humores ac spiritus qui sunt in humano corpore: disiungere etiam & distrahere partium cõpages atq; cõnexiones; eaq́; re grauissimos morbos, & acerbissimos cruciatus efficere: sicut in ijs cernimus q torquentur à Dæmonibus.

imbuat superstitionibus, & perniciosis erroribus implicet. Duodecimò: Possunt Dæmones varias hominum affectiones vel amoris, vel odij, vel iræ, vel timoris vehementer in hominibus excitare: idque faciunt dupliciter, vel obijciendo species rerum extrinsecus, quæ ad eiusmodi affectiones inflammandas plurimũ valent; vel interius mouendo, & conformando phantasmata, ad eas res quæ talium affectionum sunt incitamenta, repræsentandas: vel agitando & incitando humores, qui sunt earum affectionum velut materia, sanguinem dico, & atram vel flauam bilem. S. Hieronymus in vita B. Hilarionis, narrat, virginem quandam, magicis artibus vsque adeò incensam fuisse cuiusdam iuuenis amore, vt pro amore illius fureret. Atque hæc sunt, & alia quædam horum similia, quæ Dæmones summa hominum admiratione facere possunt per motum localem, & interdum etiam faciunt: interdum dixi eos facere, quia non quæcunque possunt facere, licet eis, & quando volunt, & quantum volunt, facere; sed tantum, quantum eis per Dei prouidentiam concessum est: habent enim naturalem suam potestatem restrictam, & quasi ligatam à Deo: quam eis nonnunquam laxare solet Deus, vel ad exercendos probandosque bonos, vt aduersus Iob; vel ad castigandos & puniendos improbos, vt aduersus regem Achab, & prophetas eius. Sicut enim Dæmones, Christi permissu, in porcos ingressi, præcipitauerunt eos in mare; ita, homines in omnia malorum, animi iuxta & corporis genera incitarent, atq; deturbarent, si eis Deus quantum ipsi vellent, potentiæ ac malitiæ suæ in homines exercendæ, potestatem faceret.

S. Hieronymus.

Iob 1. & 2. 3. Regũ 17. & 22. Matth. 8.

QVINTA

QVINTA DISPVTATIO.

Quas res possint facere Dæmones per naturalium agentium & patientium, certa quadam ratione, applicationem.

35. Per alteram porrò actionem Dæmonum transeuntē, quæ non est motio localis Dæmonum, sed eā motionem consequitur, hoc est, per naturalium causarum ad inuicē applicationē & moderationem, mira quoque Dæmones possunt efficere. Sunt enim singulares quædam virtutes occultæ atque ignotæ hominibus; & latent illæ quidem in certis quibusdam aquis, succis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, & animalibus, quin etiam in ipso hominis corpore, admirabilium, & penè incredibilium operum effectrices: quarum exempla reperiet Lector plurima cùm apud alios, tum apud Plinium in libro secundo, & Albertum Magnum in libris de Mineralibus, & Animalibus. Huiusmodi verò admirandæ virtutes, quibus in rebus lateant, vbi locorum existant, quibusq; cum rebus componi, & misceri ac temperari debeant; quo etiam tempore, ad operandum idoneo & opportuno, adhiberi eas oporteat, notissimum est Dæmonibus: easque illi vndecunque, & quocunque voluerint, maxima facilitate & celeritate, clam homines, afferre, & transferre possunt. Tales autem effectus, quatuor ob causas, sunt hominibus admirabiles. Primò, quia sunt noui & inusitati; tum quia modus, quo illos Dæmon producit, est occultus & inuisibilis hominibus; Deinde, quia sicut homines variè temperando & modificando res naturales, possunt effectus aliquos producere, quos per se nunquam naturales causæ produxissent, vt patet in arborum insitionibus, in distillationibus aquarum, in ciborum & condimentorum confectionibus, & in medicamentorum compositionibus: ita Dæmon singulares quosdam effectus per causas naturales, à se applicatas & modificatas, potest generare, quos causæ illæ naturales nunquam per se produxissent. Postremò, quia vt docet S. Thomas tertio libro aduersus Gentes, cap. 103. cum Angeli vel Dæmones vtuntur causis naturalibus ad procreandos aliquos effectus, vtũtur eis tanquam instrumentis: ex instrumento autem procedit effectus, nō tantùm eius virtuti respondens, sed multò etiam præstantior & perfectior, respondens scilicet virtuti principalis agentis, à quo mouetur illud instrumentum ad operãdum: quemmodum securis non tantùm secat, sed etiam facit lectum, vel mensam, vel hominis statuam, vt est instrumentum hominis ex arte operantis; & calor naturalis, qui est in semine, vel in animali, non solùm calefacit, & rarefacit, & segregat; sed etiam generat sanguinem, carnē, & ossa in virtute animæ vel animalis, cuius est instrumentum. Consimili ratione, causæ naturales, interdum producũt effectus præstantiores suis ipsarum virtutibus, ex eo quòd sunt instrumenta Angelorum, vel Dæmonum, à quibus mouentur & reguntur.

Plinius. *Albertus Magnus.* *S. Thom.*

36. Cæterùm hoc loco quæsitu dignum est, An supradicta opera Magorum, quę vulgò putantur & vocantur miracula, verè sint miracula, eoque nomine verè appellari simpliciter possint. Tripliciter intelligi potest aliquid esse miraculum: primò simpliciter & absolutè, comparatione videlicet cuiuslibet naturæ: & hac significatione nullum est miraculum; nihil enim est, quod respectu Diuinæ potentiæ ac sapientiæ miraculum dici queat. Etenim miraculum alicui dicitur, quod eius tam facultatem, quàm intelligentiam excedit: Deus autem, nihil est quod admirari possit, cum & causas ominum quæ fiunt, optimè cognoscat, & princeps ipse causa sit efficiendi omnia. Qui enim per ludum & iocum (vt est in Prouerbijs Salomonis) ex nihilo mundum fabricatus est, quid magnum ei, nedum admirabile esse queat? siquidem coram eo (vt est apud Isaiam capite 40. & in libro Sapientiæ, capite nono) omnes gentes, totusque terrarum orbis, est tanquã gutta roris antelucani, quæ dispergitur, & quasi puluis, & tanquam inane, & nihil. Altero modo aliquid dici potest miraculum respectu hominum, qui, quæ sunt ipsis inusitata, & quorũ causas ignorant, quoniam

Triplex significatio vocis miraculum; & an mira opera Magorum sint miracula.

Prouerb. 8.

quoniam ea maximè admirantur, vocare solent miracula. Et hac quidem ratione non Dæmonum modò & Magorum, sed sapientum etiam hominum inuenta quædam noua, & artificiosa opera, cuiusmodi fuerunt illa Architæ, & Archimedis, & Boëtij, quæ suprà commemorauimus, miracula nominantur. Sed verè ac propriè miraculum dicitur id opus, quod ideò verè meritoq; miraculum est, quod omnis naturæ creatæ vim atque potestatem excedit.

37. *Tres grad⁹ verorũ miraculorũ.* Hoc autem tribus modis potest eueni re. Excessus namque, quem diximus naturæ creatæ, esse potest vel in eo quod fit, quod nullo modo tale natura possit facere: cuiusmodi est, vt duo corpora simul in eodem sint loco, ac se inuicem permeent; & vt corpus humanum euadat immortale atq; impassibile, & in cęlis maneat: hæc autē primum tenent locum & gradum in miraculis. Vel ille excessus naturæ creatæ, non est in eo, quod fit, sed in eo, vel ex quo res fit, vel in quo fit: potest enim natura facere aurum, vel arborem, sed non ex nihilo; potest etiam natura generare hominem viuentem, sed non eum qui mortuus fuerat; potest item largiri videndi facultatē homini, sed non ei, qui cæcus natus fuerat; hæc porrò secundum in miraculis locum tenent. Vel demùm excessus naturæ creatæ, nec est in eo, quod fit, neque in eo ex quo, & in quo fit, sed vel in modo, vel in ordine, vel in alia quapiam circumstantia, alijsue rebus, cum quibus naturaliter coniunctum est id quod fit: exempli causa, potest medicus sanare ægrotum, verùm nō subitò, neque absq; medicina: potest Magus, vel Dæmon, vel etiam natura, ex ligno producere serpentem, verùm non immediatè: atq; hic est infimus locus & gradus miraculorū. Magorum autem opera, si quis vigilatè, attenteq; pensitet, in nullo trium istorū graduum collocari possunt: nā vel non sunt res veræ, sed imaginariæ ac simulatæ; vel si veræ sunt, per naturalem facultatem Dæmonis, vel per virtutes ac potestates causarum naturalium, quibus is vtitur, fiunt; nec vllo modo, naturæ creatæ facultatem excedunt.

38. *Quinq; dif* Iam verò, Dæmonum, ac Magorum miracula non vera, à veris miraculis, quę in sacris litteris, & Ecclesiasticis histo- rijs facta legimus, distinguuntur, & discerni possunt quinque modis: Primò, *ferentiæ verorum atq; falsorũ miraculorum.* dignitate principalis causę efficientis: tū qualitate eorum, qui ea miracula faciūt, tanquam ministri principalis causæ: adhæc, diuersitate factorum: deinde modo, quo fiunt: ac demùm fine, cuius gratia fiunt. Ac vera quidem miracula, cum omnis naturæ creatæ vim exsuperent, solius Dei potestate possunt effici: nam licet per Angelos, vel seruos Dei fieri videantur, illi tamen non agunt propria virtute, sed Dei, cuius sunt administri, & tanquam instrumenta. Magi verò faciunt opera sua, vel virtute quarundam rerum naturalium, quibus vtuntur occultè; vel adiutorio Dæmonum, qui clam Magis auxiliantur. Vera item miracula, quamuis interdum faciant etiam homines improbi, rarò tamē faciunt; nec nisi ad confirmationem veritatis, & diuinæ virtutis declarationem. At Magi, homines sunt improbissimi, atque flagitiosissimi, & plurifariam malefici, quos proinde adire, & consulere, diuinis, humanisque legibus interdictum est. Præterea, quæ faciunt Magi, vel sunt tantùm phantastica & simulata, ideoq; non sunt diuturna, sed mox retegitur eorum falsitas, & vanitas: vel sunt planè inutilia, immo etiam perniciosa. Vera autem miracula, sunt opera vera & solida, & vtilia hominibus, nec nisi magna quapiam vtilitate, aut etiam necessitate facta. Magi quoque in faciendo miracula sua, vtuntur multis pręstigijs, mendacijs, ludificationibus hominum, varijsque signis & figuris, & litteris, & verbis, vel nihil, vel absurda significantibus, alijsq; superstitiosis cęremonijs, miscentq; sacra profanis, sacra verba vsurpantes, quę adiunctis superstitionibus, cōtaminant, & profanant. Nihil tale faciunt Sancti in edendo miracula, sed vel interiori, vel etiam exteriori oratione, atque inuocatione diuinæ Maiestatis, factoque Crucis signo, & sacris aliquibus verbis religiosè ac piè recitatis, miracula operantur. Postremò, finis, ob quem Dæmones vel Magi faciunt miracula, non est obscurus: faciunt enim aut lucri, aut gloriæ, & honoris cupiditate, diuinum sibi nomen & cultum captantes; vel, vt

peruertant

euertant veritatem,& falsitatem hominibus persuadeant; vel ad patranda maleficia,& scelera,vti sunt furta, adulteria, & homicidia. Sancti autem viri miracula faciunt non sua causa, cum & diuitias contemnant, & fugiant honores: sed vt Deum honorent atque glorificent,& sanctam Ecclesiam ædificet, atq; illustrent: hominesq; non solùm corpore,sed multò maximè animo & spiritu adiuuent. Ergo quicumque sanæ mentis fuerit, & veritatis amator atq; virtutis, ei operosum & difficile nõ erit vera miracula internoscere à falsis. Qui autem flagitiosè viuit, & Christi doctrinã auersatur; nec studio veritatis,sed vanæ curiositatis cupiditate quærit miracula, is Dei iusto iudicio permittitur, vt qui veritati consentire & acquiescere noluit, circumueniatur mendacijs, & falsis miraculis persuasus,prauam doctrinam,& falsa dogmata,veris ac pijs repudiatis, amplectatur. Hoc enim est, quod docuit B. Paulus in 2. Epistola ad Thessalonicenses, cap.11. præmonens venturum Antichristum; *In omni*, inquit, *virtute,in signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, ijs qui pereunt; eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideò mittet illis Dominus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Locus 2. ad Thessalonicenses, c. 2.

39. *Sententia B. August. de differentia miraculorũ, quæ faciunt Magi, & mali Christiani, & ea quæ faciũt sancti viri.*

B. August. in lib. 83. quæstionum, in Tractatu quęst. 79. Magorum miracula à veris miraculis sanctorũ virorum diuersa esse ait dupliciter; tum fine, propter quem fiunt; tum iure, id est, auctoritate & potestate qua fiunt. Magi, inquit, faciunt,quæ videntur miracula,quærentes gloriam suã; sancti viri miracula faciunt, quærentes gloriam Dei: & illi faciũt per quædam potestatibus cõcessa in ordine suo,quasi priuata commercia vel beneficia; isti verò publica administratione,& iussu eius, cui omnis creatura subiecta est. Aliter igitur miracula faciunt Magi, & aliter boni Christiani, & aliter mali Christiani. Magi, per priuatos quosdam cõtractus: boni Christiani per publicam iustitiã: mali Christiani per signa publicæ iustitiæ; interdum enim vel schismatici,vel Heretici per nomẽ Christi,aut per sacra verba,aut per Sacramenta Christiana exigũt aliquid à Dæmonibus, quibus indictũ est,honori Christi cedere. Quem admodum nõnunquã mali milites, quos imperialis disciplina condemnat, signis Imperatoris sui nõnullos possessores territant,& ab eis aliquid quod publicè nõ iubetur, extorquent. Cùm autem,malis iubentibus, Dæmones voluntate cedũt, ad seducendos homines cedunt, quorum errore lætantur : cùm autem inuiti cedunt, in honorem Christi cedere coguntur. Nec mirum est ad hoc valere sacra Christi signa à malis Christianis adhibita; cum etiam ab ijs,qui nullo modo Christiani erant, vsurpata similiter valuerint, propter honorẽ videlicet excellẽtissimi Imperatoris. Talis fuit is,de quo discipuli dixerunt Domino,quod in nomine eius Dęmonia eijceret, cùm tamen eum non sequeretur. Si quando tamen Dæmones nõ cedunt eiusmodi sacris signis,Deus est, qui prohibet occultis modis, cum id iustum atq; vtile iudicat. Nõ enim Dęmones audent ista signa contẽnere; quin ẽt contremiscunt ad ea, ubicunque prospexerint Sed, nescientibus hominibus, aliud iubetur diuinitus, uel ad confundendos malos, sicut de Scæuę filijs scriptum est in Actis Apostolorum, quibus dixit Dęmon: *Iesum scio, & Paulum noui; vos autem qui estis?* uel ad monendos bonos, ut proficiant in fide,neq; ista iactanter,sed utiliter possint: uel ad discernenda dona membrorũ Ecclesiæ; sicut Apostolus dixit: *Nunquid omnes virtutes? nunquid omnes dona habent curationum?* Propter has igitur causas,plerunq; nescientibus iubetur diuinitùs,ut his signis adhibitis, Dæmones uoluntati hominum nequaquam obtemperent. Hactenus ex Augustino.

Locus Lucæ cap. 9.

Locus Actorum 19.

Locus 1. ad Corinth. c. 12.

SEXTA DISPVTATIO.

Quas res, nec Magi, nec Dæmones facere possint.

SEquitur vt dicamus, Quas res miras non possint facere Dæmones, nec per Magos,nec per seipsos. 40. Principio, Dæmon non potest mundum destruere, aut eius ordinẽ subuertere: nõ eñ (vt ait Paulus ad Hæb. 2.) subiecit

subiecit Deus Angelis orbem terræ: Nec possunt suis locis extrahere, & alio trasferre principales partes mūdi, vt sunt cęli & elementa. Non possunt sistere motum cœli, vel in contrarias partes ipsum mouere. Non possunt facere vt in mundo detur vacuum: quippe, vacuum tollit coniunctionem & connexionem & subordinationem partium mūdi, in quo mundi conseruatio, atq; gubernatio vertitur. Dixi, non posse Dæmones prædictas res facere; quod intelligi volo, vel simpliciter, vel secundum potentiam ordinariam à Deo eis concessam, & quam eis concedi, æquissima diuinæ prouidentiæ ratio deposcit. Ad horum confirmationem facit, quod scribit B. Thomas in quæstionibus de Potentia, quæstione 16. quæ est, de Dæmonibus, & art. 10. Nam in responsione ad quartum, sic ait: Corpora cœlestia excedunt proportionem motiuam Dęmonum, vel propter conditionem naturæ suæ; vel propter damnationem culpæ. Vnde sequitur, non posse Dæmones mouere cœlos, nedum sistere motū eorum, aut contrario motu ciere. Et in responsione ad octauum: Licet, inquit, Dæmones possint mouere aliquā partem terræ, non sequitur tamen quod possint mouere totam terram: quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorū, vt mutent ordinem elementorum mūdi. Ita Doctor Angelicus. Quod autem ille dixit de terra, de alijs itidē elementis existimandum est. Præterea, non possunt Dæmones facere, vt duo corpora sint simul in eodem loco, nec vt in duobus locis simul sit vnum idemque corpus: Nec possunt transferre vnum corpus ab vno loco extremo ad alium extremū, & non per medium. Et cum Dæmones habeant vim motricem secundum locum definitam, alij quidem maiorem, alij verò minorem, non possunt quantumlibet corpus, nec quantalibet velocitate nec quantolibet tpe, nedum in instanti, mouere.

S. Thomas.

41. Quæ igitur Dæmones per motionem secundum locum non possunt facere, ferè sunt huiusmodi. Per alterā verò actionem eorum mediatam, id est, per naturalem alterationem, corruptionem, & generationem rerum naturalium, cum illi naturalia agētia & patientia ad inuicem cōponunt & temperant, plura item sunt, quæ facere non possunt. Ac primò quidem, cum Dæmon sit incorporeus, atq; immaterialis, non potest immediatè per seipsum alterare materiam corporalem, ex qua formæ naturales educuntur: quapropter non potest Dæmon immediatè vllam formam nec substātialem, nec accidentalem producere. Nam quod non possit Dæmon aliquid creare ex nihilo, non eget probatione: tum quia creatio requirit infinitam virtutem actiuā; tum quia nec motus localis Dæmonum, nec vlla operatio eorum transiens potest in nihilo recipi. Imo non potest ex quolibet facere quodlibet; nec per quamlibet causam vel instrumentum, producere quemlibet effectum. Nam cum Dæmon ista non operetur, nisi per causas naturales, quò non extenditur virtus naturalis, nec potestas Dæmonis pertingere potest. Non possunt item Dæmones producere formas substantiales non pręmissis alterationibus materiæ, nec præuijs earum proprijs & idoneis dispositionibus. Nec possunt quamlibet rem naturalem, immediatè, in quamlibet aliam transmutare. Ad hæc, non possunt animalia perfecta producere sine semine, quia non est potens natura aliter producere ista animalia. Quare si quando visi sunt Dæmones, vel Magi eorum opera, ex lapidib⁹, aut lignis producere equos, vel leones, vel ex nubibus pluere vitulos, non est putandum, sic eos fuisse tūc generatos: sed existimare conuenit, vel aliunde fuisse inuisibiliter illuc allatos; vel non fuisse vera animalia, sed tantùm imagines & simulachra, cernentium oculos fallentia. Nec possunt etiam Dæmones animal producere statim perfectum secundum magnitudinem, & virtutem agendi: hoc enim superat omnino vires agentium naturalium. Nec potest inter formas per se subordinatas, posteriorem inducere in materia, non inducta priori. Nec potest mortuos ad vitam reuocare, vt supra ostensum est ad numerum marginalem 26. Nec potest demum impedire, ne agens naturale habens omnia requisita ad agendum, non agat, suspendendo virtutem & actionem eius.

B. Thomas in prima parte quæstione 114. articu. 4. in Responsione ad 2. quas res possint Dæmones facere, & quas non possint, 42.

Quæ possint & quæ non

possint facere Dæmones, secundũ B. Thomam.

possint, generaliter ac breuiter exponit his verbis: Materia corporalis non obedit Angelis bonis siue malis ad nutum, vt Dæmones sua virtute possint transmutare materiam de forma in formam, sed possunt adhibere quædam semina, quæ in elementis mundi inueniuntur ad huiusmodi effectus complendos, vt tradit Augustinus lib 3. de Trinitate, c. 8. Omnes itaque transmutationes corporaliũ rerum, quæ possunt fieri per aliquas virtutes naturales, ad quas pertinent prædicta semina, possunt etiam fieri per operationem Dæmonum, adhibitis illis seminibus: quemadmodum cùm aliquæ res transmutantur in serpentes vel ranas, quæ per putrefactionem generari possunt. Illæ verò transmutationes rerũ corporalium, quæ non possunt virtute naturæ fieri, nullo modo per operationem Dæmonum, secundum rei veritatẽ perfici possunt: vt quod corpus humanũ mutetur in corpus bestiale; aut quod corpus hominis mortuum reuiuiscat. Si quando igitur talia per operationẽ Dæmonum fieri videntur, ea non secundũ rei veritatem, sed secundum apparentiã tantum fieri, putandum est. Idque dupliciter potest contingere: vel ab interiori, quia Dæmon mutat phantasiam hominis & sensus corporeos, faciens aliquid ei videri, aliter quàm sit; quod etiam interdum fieri dicitur virtute aliquarum rerum corporalium: vel id contingit extrinsecus: cum enim possit Dæmon formare quodlibet corpus ex aëre, cuiuscunque voluerit figuræ, vt illud assumens, in eo visibiliter appareat: eadem ratione cuicunque rei corporeæ potest circumponere quamcunque formã corpoream, vt in eius specie videatur. Hæc B. Thomas.

SEPTIMA DISPVTATIO.

An vera sit euocatio animarum ab inferis per Necromantiam facta.

43. CÆTERVM, nisi me fallit animus, cuperet hoc loco scire curiosus Lector, an vera sint, quæ Magi per artẽ Necromantiæ, præstare creduntur, faciẽtes mortuos apparere, & loqui viuis, multaque indicare & loqui mortalibus. Porphyrius in lib. 2. de Abstinentia animalium, cũ de prauis & fallacibus Dæmonibus dixisset, mox de animabus mortuorum hæc subdit: Sunt & animæ mortuorum, quæ vitijs oppletæ è corpore migrarũt: conflictantur enim etiã tunc iræ & cõcupiscentiæ perturbationibus; & in naturã conuersæ Dæmonũ, similes existũt illorũ, noxiæ ac turbulentæ: quæ in varias se vertũt formas, & modò cõspicuas se præbent oculis, & modò abscondunt; & ita eludunt aciẽ tã intuentiũ, quàm cogitantium. Idẽ alio loco: Praua, inquit, anima, quæ corpus suũ violẽter reliquit, ad hoc ipsum deinde se admouet; ibiq; moras trahit; vnde nonnunquã visę sunt animę lamentari. Quin etiã animæ carentiũ sepultura, circa corpora immorantur; quibus malefici sæpius abutuntur ad ministeriũ suum explendum, compellẽdo eas ad corporis vel totius vel partis assumptionẽ. Quocirca qui vaticinantiũ animaliũ insinuari sibi animas optant, præcipua illorũ membra deglutientes, veluti ceruorũ, vel talparũ, vel aliorum accipiunt; & ita præsentẽ sibi faciũt animã, Dei ritu vaticinantem: talis enim anima vnà cũ sui corporis assumptione, in corpus humanũ se penitus ingerit Sic Porphyrius. Osthanes, apud Pliniũ lib. 30. c. 2. celeberrimus Necromantiæ professor & doctor, promittebat, quorumlibet mortuorũ excitationes, & colloquia cũ viuis. Sed illud maioris esset admirationis (siquidem verum fuisset) quod extremo illo capite tradit Plinius his verbis: Adolescentibus nobis visus Apion grãmaticę artis professor, q prodidit, Cynocephaliã herbã, q̃ in Ægypto vocaret Osyrites, diuinã non in viuos modò, sed etiã in mortuos habere potentiã, & cõtra omnia veneficia: seque, per eam, euocasse vmbras, ad percontandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset; nõ tamen ausus profiteri, quid sibi respondisset. Hæc ibi Plinius. Fuerunt etiam quondã apud varias gentes loca Necromantiæ vsu nobilitata; vbi à defunctis oracula & responsa petebantur: sicut notum est de Cymmerio oraculo ad Auernum Campianæ lacum, celebrato ab Homero, & item à Virgilio.

Porphyri⁹.

Osthanes.

Apionis imprudẽs mẽdacium de Cynocephalia herba virtute.

Virgil. li. 6. Aeneid.

Lucanus. Apud Lucanum Erichthione venefica Thessala mortuũ euocat, qui Sexto Põpeio exitum Pharsalicę pugnæ denuntiat. *Tertullia.* Apud Tertullianum in lib. de Anima, hæc legimus: Nosemanas propria oracula, apud parentum sepulchra mãsitando captare, Heraclides scribit: Celtas apud virorum fortium busta, eadem de causa pernoctare Nicander affirmat. Cæterùm nihil est, quod ita probabilẽ reddat huiusmodi artem vt est quod in primo libro Regum, cap. 28. legimus de Samuele, qui per Pythonissam, rogatu regis Saulis, excitatus à mortuis, & apparens Sauli, de impendentis belli euentu consulenti, quæ mox ei ventura erant, verissimè prænuntiauit.

44. *Cõfutatur Necromantia.* At enimuero, mortuorum apparitiones, quę per artẽ Necromanticã fiunt, vanas esse & fallaces, minimè dubitandum est: nã plerasq; ab ipsismet Necromãtis, vel ab alijs confictas atq; ementitas esse, liquidò compertum est. Si quæ autẽ reuera contigerunt, in his, nõ animas mortuorum viuis apparuisse existimandum est, sed ipsos Dæmones tales ostendisse se Necromantis, vel eos consulentibus: tales, inquam, habitu, specie, ætate, voce, & affectu, quales olim fuerant mortui, quos simulant; cum inter viuos versarẽtur. Hanc ego sententiam vt verissimã credam, hisce adducor argumentis. Principio, ratio illa nec obscura, nec infirma est, qua hoc ipsum *S. Thomas.* S. Thomas confirmat in prima parte, quæstione 117. artic. 4. ita fermè scribens: Anima separata, naturali sua virtute non potest mouere aliquod corpus: cum enim sit naturalis forma humani corporis, non habet vim mouendi secundum locum, nisi corpus, quod informat & viuificat: nam etiam cum est vnita corpori, si fuerit aliquod membrum sui corporis mortificatum, non obedit animæ ad motum localem. Quare mortuorum animæ nec assumere corpora, nec cum illis ad viuos venire possunt. Sic ille. Deinde, Necromantiæ nullum habent ius & imperium in mortuorum animas, quæ sunt in cœlo, aut in Purgatorio; non enim fas est putare, Sanctorum animas impiæ artis potestati subiacere. Neque imperium habent in animas, quæ sunt in inferno: cum enim sint à Deo in eum locum, tanquam in carcerem, detrusæ, vt æternas ibi scelerum suorum pœnas luant; nulla inde vi possunt educi; neque, nisi Dei mandato, egredi: non fit autem credibile, Deum id concedere Necromantis, per quos videlicet conatur Dæmon mortales decipere, & à veri Dei cultu auertere: Sic enim Deus artem Necromantiæ, per se infamem, & toties in sacris litteris reprobatam, extremoq; mortis supplicio damnatam, honore ac fide, cultuque apud homines dignaretur. Profectò, si cui mortuorum reditus ad viuos erat concedendus, videbatur concedi debuisse illi diuiti, cuius mentio fit apud Lucam, cap. 16. roganti *Locus Lucæ cap. 16.* obnixè Abraham, vt de ijs qui erant in inferno, mitteret aliquem ad fratres & cognatos suos, monitum, vt bene viuendo, inferni pœnas effugerent; nec id tamen ei concessum est; quin etiam significatum est, nemini concedendum fore.

Quomodo intelligedũ sit, animas mortuorũ aliquando apparuisse viuis. Non inficior, animas, quæ sunt in Purgatorio, nonnunquã apparuisse viuis; id enim B. Gregorius in lib. 4. Dialogorum nonnullis certisq; probat exemplis. Nec equidẽ nego, etiã animas beatas vel Martyrum, vel aliorũ Sanctorum interdum descendere in terras, hominibus, eorum implorantibus auxilium, opem & salutẽ ferentes: id quippe confirmat B. Augusti*S. August.*nus in libro de cura pro mortuis agenda, exemplo B. Felicis Nolani Episcopi: quem Nolanis, cum à Barbaris vehemẽter oppugnarentur, apparuisse, & subuenisse affirmat S. Augustinus se non incertis rumoribus, sed certissimis testibus audiuisse. Hæc, inquam, ita esse non ambigo; sed aio, mortuorum animas, cũ apparent viuis, non id facere sua voluntate, nec potestate naturali, multoque minus potentia artis Necromanticæ; sed id *S. Thomas.* fieri singulari Dei consilio, & volũtate, ac potestate. Nec mortuorum animas in*Vera apparitio animarũ post mortem, inter non minima Dei miracula censetur.*teresse rebus viuorum minus miraculũ est, auctore B. Augustino in supradicto libro; & item B. Thoma in prima parte quæst. 89. art. 8. quàm illuminatio cæci, vel alia, quæ magnis in Dei miraculis numerantur. Audi *B. August.* B. Augustinum: Verùm ista, inquit, diuinitus exhibentur longè aliter, quàm sese habet vsitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus.

Non

Non enim ideo putandum est, viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis, Martyres adsunt: sed ideo potius intelligendum est, per diuinam potentiam Martyres viuorum rebus interesse, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.

45. Simulant igitur Dæmones (vt docent Chrysostomus homil.29. in Matthæū, & Augustinus lib.10. de ciuitate Dei, cap.11.) animas defunctorum, quo facilius errores Gentilium animis hominū inferant, ad eos perniciosè deci piēdos. Primum enim Dæmon ea ratione facilius persuadet homini quicquid vult; siquidem homines animabus defunctorū parentum, vel cognatorum, vel amicorum, quos dilexerunt, & à quibus se dilectos esse persuasum habuerunt, lubentius & promptius credunt, quicquid sibi dixerint, quàm Dæmoni, quem naturaliter abhorrēt. Deinde, ita Dæmō persuadet hominibus, infernum nō esse carcerem perpetuum, ex quo non licet aliquando egredi; nec inferni pœnas adeò esse graues atque intolerandas, vt putāt homines. Adhæc, id facit, vt homines credant, animas etiam post mortem habere corpora, vel quælibet in corpora posse animas se induere, vel in alia hominum aut bestiarum corpora emigrare; vt ea re concipiatur animo error Pythagoricus de transmigratione animarum: eoque concepto & persuaso, labascat fides & spes Christianæ resurrectionis. Postremò, hac ratione fit id artificiū Dæmonum, vt viui mortuos, vel quasi terrificos, sibique noxios metuant, & varijs superstitionibus placare, ac sibi conciliare studeant; vel tanquam beneficos, sibiq; vel amicitia, vel necessitudine deuinctos, nimis superstitiosè diligant, & colant, quin etiam non humanis tantùm, sed diuinis quoque honoribus obseruent.

Non esse animas quæ viuis appa rēt, sed Dæmones; & cur malint haberi se animas mortuorū quā Dæmones.

Egregia Tertulliani contra Necromantias disputatio.

Grauissimis profectò ac disertissimis verbis super hac ipsa re disputans Tertullianus in libro de Anima, vbi agit de Inferis, & Animarum euocatione, ad hunc fermè modū scribit; Necromantia, secunda est Idololatria: in qua se Dæmones pinde mortuos, fingunt, quemadmodum in illa Deos. Quidni? cum & Dij mortui sint? Itaque, inuocantur quidem defuncti, sed Dæmones operantur sub eorum obtentu. Hanc autem fallaciā Diaboli sub personis defunctorum delitescentis, etiam rebus probamus, cum in exorcismis nostris interdum Dæmō aliquem se ex hominibus affirmat, vel gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum; nihil magis curans quàm hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne credamus animas omnes malorū ad inferos redigi; & vt iudicij ac resurrectionis fidem turbent. Et tamen iste Dæmon postquam circumstantes circūuenire tentauit; instantia diuinæ gratiæ victus, id quod erat in vero, inuitus confitetur. Sic etiam in Necromantia, quæ iam quiescentes animas euellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est, operosior planè, quia & phantasma præstatur, & corpus effingitur; nec magnum illi, exteriores oculos circumuenire, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacilè est. Nulli autem animæ omnino inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & diuitis ingemiscentis, ex persona Abrahæ sanxit, nec posse relegari renuntiatorem dispositionis; quod vel tunc licere potuisset, vt Mosi, & Prophetis crederetur. Sed etsi quosdam reuocauit Dei virtus in documentum iuris sui, non idcirco communicabitur fidei & audaciæ Magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ poëtarum: nā in hac mortuorum resurrectione, qua Dei virtus in corpore animas repræsentat, solida & contrectabili, & satiata veritate, præiudicatum est, hanc esse formam veritatis, vt omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, prēstigias iudices. Hæc Tertullianus. *Lucæ 16.*

Plinius verò, istam Magiæ speciem non solùm omni fide abdicat, verùm irrisu atque contemptu dignissimam censet, ita scribens in capite 2. libri 30. Promittit præterea vmbrarum inferorumq; colloquia; quæ vana & falsa esse, ætate nostra, princeps Nero comperit. Quippè non cytharæ, tragiciq́ue cantus libido illi maior fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitijs. Nemo vnquam vlli artium *Plinius.*

M 2 validius

validius fauit. Ad hæc, non opes ei defuere, non vires, non discendi ingenium, aliaque, patiente mundo. Immensum, & indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero. Tyridates venerat Armeniacum de se triumphum afferens, & ideo prouincijs grauis. Nauigare noluerat, quoniam expuere in maria, alijsque mortalium necessitatibus violare naturam eam, fas non putant. Magos secum adduxerat: Magicis etiam cœnis Neronem initiauerat: non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse hanc artem; habentē tamen quasdam veritatis vmbras, sed in his veneficas artes pollere, non magicas. Sic Plinius. De Samuelis autem anima, an verè apparuerit Sauli, separatim differendum est; propriam enim requirit ea res disputationem.

OCTAVA DISPVTATIO.

An qui apparuit Sauli, verè fuerit anima Samuelis: An Dæmon sub specie Samuelis.

46. DE Samuele per Pythonissam suscitato vtrum verus Samuel fuerit, an imago tātùm & simulachrū eius, diabolico artificio formatum, atque oculis exhibitum Saulis, & vetus, & litigiosa quæstio est. Narratio sanè ipsius Scripturæ in 1. Regum c. 28. indicat fuisse verum Samuelem, dū simpliciter vocat Samuelem, & facit eum prophetare quæ ventura erant: & in libro Ecclesiastici cap. 46. scriptum est, Samuelem post mortem suam prophetasse Sauli. Ex aduerso autem, videtur minimè consentaneum rationi, sanctissimi viri animam ab inferis, per artem Magicam reuocari ad superos potuisse. Nam vel id Samuel fecit volens, vel coactus: sed vtrumque absurdum videtur de illo sentire. Quomodo enim vir sanctissimus suffragari voluisset arti magicæ, exemplo suo; maximamque apud homines ei fidē astruere, quasi eius potentia suscitatus ipse fuisset? Coactū verò fuisse à Dæmone, respuit animus credere, non enim in animas Sanctorū ius & potestatem habere potest Dæmō; cum de sanctis viris, etiam dum viuerēt, dictum sit: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Psal. 90. Verùm super hac quæstione, Doctorum opiniones exponamus.

Prior opinio, quod non fuerit verus Samuel. Tertullianus in libro de Anima, vbi disputat de inferis, omnino negat, eum qui Sauli apparuit, suscitatum à Pythonissa, fuisse verum Samuelē, sed tantummodo imaginem & spectrum quoddam eius, ad hunc modū scribens: *Tertullia.* Ecce, & hodie Simonis hæreticos tamdiu præsumptio artis Magicæ extollit, vt etiam Prophetarum animas ab inferis mouere se spondeant: & credo, quia mendacio possunt: nec enim Pythonico tunc spiritui minus licuit animam Samuelis effingere, post Deū mortuos consulente Saule. Absit autem, vt animam cuiusquam Sancti, ne dum Prophetæ, à Dæmonio credamus extractam: certi, quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis; 2. Cor. 11. etiam Deū se asseueraturus, signaq; potentiora editurus, ad euertendos, si fieri posset, electos. Matth. 24. Hoc modo Tertullianus. Idem asseueranter traditur in libro secundo de Mirabilibus sacræ Scripturæ: idemque affirmatè copioseque probatur in libro quæstionum veteris & noui Testamenti, in quæst. 27. *Auctor librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ.* Hi autem libri etsi non sunt Augustini, sub nomine tamen eius feruntur, ille in tertio Tomo operum eius, hic in quarto. *Auctor quæst. vet. & nou. Testam.*

S. August. S. Augustinus in lib. 2. ad quæstiones Simpliciani in Responsione ad tertiam quæstionē eius, & in libro de octo Dulcitij quæstionibus in quęst. 6. disputat in vtramque partem: Num ille fuerit verus Samuel, an potius Dæmō specie & figura Samuelis. Propensior tamen videtur ad credendū, nō fuisse verū Samuelem, sed spectrū quoddā ei᷒, diabolica forma & arte, tūc aspectui Saulis representatū; appellari verò in Scriptura Samuelem, quod illū habitu, specie, & auctoritate ad amussim repræsentaret. Nō enim infrequēs est, tū in cōmuni hominum loquendi cōsuetudine, tum in sacris litteris, rerū imagines, & simulacra, nominibus ipsarum rerum appellari. Hanc item B. Augustini in vtramque partem super

hac

hac quæstione disputationem sine alterius partis asseueratione, secutus est B. Thomas in secunda secundæ quæstione 95. artic. 4. ad secundum, & quæst. 154. artic. 5. ad quartum. De huius autem ętatis scriptoribus, in eadem sententia fuit Iansenius in Commentarijs suis super librum Ecclesiastici in explanando suprà citatum locum illum capitis 46. de Samuele.

Iansenius.

47. Rationes porrò, quibus hæc opinio fundata & firmata est ab eius sectatoribus, sunt huiusmodi. Prima ratio: Si Pythonissa exercente artem Necromanticam, verus Samuel apparuit Sauli, vel igitur sponte sua & volens apparuit; vel coactus virtute ac potentia Necromantica: sed neutrum fas est sentire ac dicere de sanctissimo illo viro: ergo non fuit anima Samuelis, quæ tunc apparuit. Hanc rationem paulò suprà enucleatius posuimus. Secunda ratio: Ille, qui tunc apparuit Sauli, passus est adorari se ab illo, sic enim ait Scriptura: *Et intellexit Saul quod esset Samuel, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit.* At Samuel nullo modo admitteret adorationem illam, vtpotè contrariam diuinæ legi. Tertia ratio: Ille qui apparuit, dixit Sauli: *Cras tu & filij tui mecum eritis.* Sed hoc, si de vero Samuele intelligatur, falsum est: Samuel enim erat in Limbo, & in sinu Abrahæ, cum reliquis Sanctis mortuis; quorum in locum Saul, æternis damnandus pœnis, venturus non erat. Sed quia is qui apparuit, erat Diabolus, speciem gerens Samuelis, idcirco verè dixit, Saulem post mortem futurum secum. Quarta ratio: Ille qui apparuit Sauli, dixit ei: *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Atqui Dæmon nō potuit inquietare animam Samuelis: ea nempe in sinu Abrahæ quiescebat, quò Diaboli ius & potestas nō pertingebat: quare quietem animę Samuelis turbare, Diabolus nequaquam potuit. Quinta ratio: Si Saul legitimè consulens Deū per somnia & per sacerdotes, non tamē meruit responsum à Deo vllum accipere: quomodo credibile est, ei impiè consulenti Pythonissam, responsum dare voluisse Deum per maximum eius temporis Prophetam, ab inferis ad superos mirabiliter reuocatum? Atque his prædicta opinio argumentis comprobatur.

Quinq; rationes, quibus hæc opinio probatur.

Altera est, huic contraria, & multò probabilior sententia, fuisse veram Samuelis animam, quæ tunc apparuit Sauli; exercente quidem Pythonissa artem suam magicam, sed non eius artis virtute ac potentia, sed imperio Dei ab inferis excitatam, quæ dispensatione diuina, Pythonissam & Saulum latente, ostēdit se aspectui iniqui regis, diuina eum sententia percussura, vt impius rex, quę post mortem supplicia impietati suę debita passurus erat, etiamnum viuēs, acerbissimo doloris sensu prægustaret. Ergo anima Samuelis apparuit quidem, dum Pythonissa exercebat artem magicam; non tamen potentia illius artis ad apparendum coacta, sed Dei consilio & potestate ad superos eo tempore reuocata. Hoc ipsum docet nos B. Thomas in secunda secundæ quæst. 174. artic. 5. in responsione ad quartum, ita scribens: Anima Samuelis, voluntate Dei, euentū belli prænunciauit Sauli, Deo sibi hæc reuelante. Nec obstat, quod arte Dæmonum hoc dicitur factum: quia etsi Dæmones animam alicuius Sancti euocare nō possint, neque cogere ad aliquid agendum: potest tamen hoc fieri, vt dum Dæmon consulitur, ipse Deus per suum nuncium veritatem enunciet, sicut per Eliam respondit veritatem nuncijs regis Ochoziæ, qui mittebantur ad consulendum Deum Accaron, vt traditur 4. Regum c. 1. Hæc S. Thomas. Huius porrò sententiæ probatores sunt & propugnatores Lyranus, & Tho︠status, & Caietanus super caput 28. primi Regum. Immo etiam B. Augustinus, & S. Thomas, vt paulò infrà ostendemus. 48.

Altera sententia probatur, quod verè Samuelis anima apparuerit Sauli.

S. Thomas.

Lyranus. Thostatus. Caietanus.

Quoniam autem verum intellectum, & probabilitatem sententiæ huius, optimè, simulque breuissimè declarauit Caietanus, è re visum est fore, verba eius hîc adscribere. Antiqua, inquit, occurrit quæstio, à priscis etiam Doctoribus discussa, & adhuc sub iudice manens, An vera fuerit anima Samuelis, quæ apparuit Sauli: an Dæmon sub specie animæ Samuelis. Et præcipua dubitandi ratio est, quia hic Scriptura nominat Samuelem, clarè dicendo; *Et vidit mulier Samuelem:* idemque sæpe repetit. Inde autem certum est, quod nulla

incantationis extenditur super animas Sanctorum. Verùm solutio est, quod tam textui Scripturę, quàm rationi quadrat, quod verè fuerit anima Samuelis. Scripturæ quidem, quia & hic Samuelem visum esse dicit: & quia ille, qui apparuit, manifestè testatur se esse Samuelem, dicendo Sauli: *Quemadmodum locutus est Dominus in manu mea*, quod sanè verificari non potest, nisi de vero Samuele. In libro quoque Ecclesiastici cap. 46. clarè dicitur, fuisse animam Samuelis, illis verbis; *Et post hoc dormiuit* (Samuel) *& notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*. Nec propterea sequitur, quod ars magica extensa fuerit ad animam sancti Samuelis: sed quod, quemadmodum exercente Balaã incantationes suas, apparuit Deus nõ vi incantationum, sed præoccupans & impediens incantationis effectum: ita exercente muliere incantationes suas, præoccupauit Deus mittendo animam Samuelis, & impediendo incantationis effectum. Nec mirum est, quod Deus negauerit respondere Sauli interroganti ipsum per Sacerdotes, & Prophetas, & tamen responderit interroganti per Magos: quoniam & inuito Balaam, & regi Moab reuelauit, quæ vtrique displicebant, vt habes in libro Numerorũ, *Num. 22.* & similiter non interrogatus à Saule, obtulit responsionem non quæsitam, & Sauli maximè displicentem. Obtulit autem & certam de futuris contingentibus, qualem Dæmon dare non potuisset, & hoc ad initium punitionis æternæ. Quod autem Samuel dixit Sauli: *Quare inquietasti me vt suscitarer?* Verum dixit, quia occasionaliter fecerat moueri ipsum de suo loco, & ascendere super terram, quamuis non efficaciter: quoniam solus Deus potuit efficaciter mouere animam Samuelis ad huiusmodi apparitionem. Hactenus ex Caietano.

49\. *Duplex probatio huius sententiæ.* *Locus 1. Regum, c. 28.* Huius autem sententiæ duplex nunc mihi suppetit probatio. Et altera quidem probatio ducitur ex verbis diuinæ Scripturæ narrantis illam Samuelis apparitionem in primo libro Regum cap. 28 quo in loco diuina Scriptura memorat ea locutum esse Samuelem Sauli, quæ, nisi fuisset verus Samuel, vera esse non possent; vti est illud: *Faciet tibi Dominus sicut locutus est in manu mea.* Et item illud: *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Deus autem locutus fuerat contra Saulem per manum veri Samuelis, non autem per Diabolum in specie Samuelis: nec Diabolus inquietatus tũc fuerat, vt suscitaretur. Non igitur quę dicuntur eo loco, ad simulatum Samuelem aptari possunt, sed bellissimè quadrant ad verum Samuelem. Deinde, illa regula est generalis & recta interpretandi Scripturam secundum litterale sensum, germanum & proprium sensum litteralem alicuius Scripturæ, censeri eum debere, quem verba propriè sumpta reddunt: nisi fortè sic accepta, facerent sensum aut falsum, aut indecentem Scripturæ. Si autem in illo Scripturæ loco verba propriè accipiantur, nihil absurdi sequitur, vt ex solutione contrariarum rationum patescet; propriè verò accepta, nonnisi ad verum Samuelem referri & aptari possunt.

50\. Altera huius sententiæ probatio, eaq; fortior, petitur ex illo, quem supra nominaui Scripturæ loco, qui est in capite 46. libri Ecclesiastici: vbi hanc apparitionẽ Samuelis factam Sauli narrat Scriptura his verbis: *Et post hoc dormiuit, & notum fecit regi.* Significatur enim istis verbis, eundem illum Samuelem, qui dormierat, id est, mortuus fuerat, notificasse regi, quæ ventura illi erant. At enim, qui mortuus fuerat, erat verus Samuel; ergo verus item Samuel fuit, qui post mortem locutus est Sauli. Deinde, illud: *Exaltauit vocem eius de terra in Prophetia*, hunc habet sensum: Ascendens Samuel ex inferis super terram, alta & clara voce, prophetauit regi futura. Deus igitur Samuelem, etiam post mortẽ exaltauit & honorauit dono Prophetiæ, sicut habuerat viuus: quod in Diabolum, vel spectrum Samuelis, verè non competit. Præterea, in eo loco Scriptura sex res memorat, ad præcipuam commendationem, eximiamque laudem Samuelis pertinentes. Primò quidẽ quod Samuel verax & fidelis Propheta fuerit: tum quod regiam gubernationem constituerit in populo Hebræo, primumq; regem inunxerit: ad hæc, quod viderit Deum Iacob, id est, quod Deus sæpe illi

Locus Ecclesiastici, cap. 46.

Sex res in laudem Samuelis. *1. Reg. 10.*

Infra 12. illi apparuerit: deinde, quod ipso Deum *Ibidem.* orante, horrendis tonitruis & fulguribus cœlitus missis, hostes perterrefacti, atque profligati sint: præterea, quod ante finem vitæ suæ in conspectu regis & vniuersi populi, continentiam atq; innocentiam suam mirè probauerit: sextum & vltimum fuit, quod etiam post mortem prophetauerit Sauli, ventura illi. Si hoc igitur postremum, similiter vt priora quinque, pertinent ad laudem Samuelis; ergo intelligi debent de vero Samuele, non autem de imagine eius; alioquin ad laudem eius nihil planè faceret. Denique, interpretatio huius loci Ecclesiastici de vero Samuele, plana, & clara, & simplex, & verbis aptissimè cohærens, & proposito Scripturæ maximè congruens videtur: contraria autem interpretatio, videtur incongrua Scripturæ, & dura, & quodammodo violenta.

51. Hic autem locus Ecclesiastici, tam euidenter ostendit veram animam Samuelis apparuisse Sauli, vt id negari nō possit, si is liber pro Canonico & sacro habeatur. Audi B. Thomam apertè hoc do*S.Thomas.*centem in prima parte, quæst. 89. artic 8. ad 2. his verbis: De Samuele dici potest, quod ipse apparuit per reuelationem diuinam; secundum id quod dicitur Ecclesiastici 46 quod *dormiuit, & notum fecit regi finem vitæ suæ.* vel illa apparitio fuit procurata per Dæmones: si tamen Ecclesiastici auctoritas non recipiatur, propter hoc, quod inter canonicas Scripturas apud Hebræos non habetur. Hæc B Thomas, quæ profectò S. Doctor mu*S. August.* tuatus est, ad verbum ex B. Augustino, *S. August.* qui in libro de cura pro mortuis geren*2.Cori.12.* da, cap. 15. similia scribit hoc modo: Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, sicut è contrario, Paulus ex viuis in paradisum raptus est, diuina Scriptura testatur. Nam Samuel Propheta defunctus, viuo Sauli futura prædixit: quamuis nonnulli putent non ipsum fuisse, qui potuerit magicis artibus euocari; sed aliquem spiritum illius similitudinē figurasse. Cum tamen liber Ecclesiasticus, quem Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiatur, contineat in laude Patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si huic libro, quia non est in Canone Hebræorum, contradicitur, quid de Mose dicturi sumus, qui in Deuteronomio *Deuteron. vltimo.* mortuus dicitur, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non est, legitur ap- *4. Reg. 2.* paruisse viuentibus. Sic Augustinus. *Matth. 17.* Non igitur obscurè significant S. Augustinus & B. Thomas, si liber Ecclesiastici, vt Canonicus & sacer recipiatur, nō posse negari, verum Samuelem apparuisse Sauli. Loquuntur autem illi conditionaliter de auctoritate libri Ecclesiastici, non quod ipsi de eius auctoritate dubitarent; sed quia nec Hebræi eum reciperent & reponerent in Canonem sacrorū librorum; & quidam Catholicorum de eius auctoritare dubitassent.

Restat vt quinque contrarias huic no- 52. stræ sententiæ rationes suprapositas di- *Solutio rationum cōtraria opinionis.* luamus. Primę rationis solutio manifesta est ex eo, quod supra dictum est, Samuelem non esse per Pythonissam euocatum efficaciter, id est, potentia magicæ artis, sed tantum, vt ita loquar, occasionaliter, per occasionem namque Saulis consulentis Pythonissam, atq; ipsius Pythonissæ exercentis artem suam magicam, fecit Deus ascendere Samuelem, & apparere Sauli, ad maiorem videlicet gloriam Samuelis, simulque acerbiorē ipsius Saulis pœnam. Illa igitur euocatio & apparitio Samuelis, à Deo facta est, Angelorum ministerio. Secunda ratio, leuis est: verbum enim adorandi, nec in lingua hebraica, neque in vsu sacræ Scripturæ significat tantùm adorationē latriæ soli Deo debitæ, sed quamlibet venerationem & cultum siue Deo, siue Angelis, siue hominibus, cum exteriori quadam corporis inclinatione ac demissione factum. Super qua re videat Lector, quæ latius disputauimus in tertio tomo Commentariorum nostrorum in Genesim super caput 18. ad numerum marginalem 7. & super cap. 23. ad numerum 25. Tertia ratio ita soluitur; Verum fuit illud, quod Samuel dixit: *Cras tu, & filij tui mecum eritis:* licet enim apud inferos diuersæ fuerint sedes bonorum atque improborum, cùm in Euangelio legamus Lucæ 16. Abraham dixisse diuiti epuloni, inter se atque ipsum, longissimum atque intransibile chaos interce-

dere; commune tamen omnium erat mortuorum, descendere ad inferos, ibique detineri, licet diuersis in locis. Quapropter S. Augustinus respondens ad tertiam quæstionem Simpliciani docet verba illa Samuelis non ad æqualitatem felicitatis, sed ad similem conditionem mortis referri debere. Est itaque illorum verborum hic sensus: Cras & non amplius eris inter viuos; sed eris inter mortuos, & apud inferos, vbi ego sum: tunc enim, vsque ad Christi Domini aduentum, & in ea loca descensum, omnes tam boni, quàm mali, apud inferos, sedibus licet disclusi, detinebantur. Quartæ rationis solutio, sit huiusmodi: *Inquietasti me.* dixit Samuel Sauli, pro eo quod est; Fecisti vt relinquerem locum meum, in quo cum aliorum Sanctorum animabus quietè maneo, nullo affectus doloris sensu. Vnumquodque enim quiescit in suo loco naturali, & qui sibi conueniens sit: Locus autem inferorum, erat ante Christi aduentum, conueniens animabus Sanctorum secundum diuinam ordinationem. Saul autem inquietauerat Samuelis animam: sic intelligendo verbum inquietandi, vt dudum exposuimus, non efficaciter, sed occasionaliter, vt bene declarauit Caietanus in locis supra citatis. Quintæ denique rationis in promptu est solutio. Etenim Deus prius non responderat Sauli, nec per Sacerdotes, nec per Prophetas, quòd indignus esset diuino responso, & vt inde cognosceret, despectum se à Deo esse, & à facie eius proiectum. Postea verò respondit ei consulenti Pythonissam, vt detestabilem eius impietatem Prophetica sententia damnaret, per cum ipsum, cui dum viueret, nomine Dei imperanti obedire noluerat: idque Samueli proficeret ad insignem gloriam, Sauli verò atrociorem afferret punitionem.

S. August. *1. Reg. 15.*

NONA DISPVTATIO:

An fuerint veri dracones, quos ex virgis suis fecere Magi Pharaonis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. *Versu 12.*

PERTRACTATIS superioribus quæstionibus, expeditus & facilis erit & huius & superioris disputationis tractatus, atque explicatio. Magna quæstio est, varijs Doctorum in vtramque partem agitata sententijs, An dracones illi in quos Magi suas virgas conuerterunt, fuerint veri & naturales dracones, non secus, quàm is, in quem virga Aaron mutata est: An potius fuerint tantùm simulachra quædam, & imagines draconum, qui à Dæmonibus in similitudinem, modumque draconum mouerentur. Quod autem de draconibus dicimus, de aqua item mutata in sanguinē, & de ranis productis intelligi volumus. Multi, & antiqui, & graues scriptores arbitrati sunt, dracones illos fuisse veros & naturales; hoc enim sentit Theodoretus in quæstione 18. in librum Exodi: hoc ipsum copiosè disputat S. Augustinus in libro 3. de Trinitate, cap. 7. & 8. & in lib. 83. quæstionum, quæstione 79. Augustinum verò tum alij Theologi scholastici, tum maximè S. Thomas sequitur, affirmatè hoc tradens super 24. caput Euangelij secundùm Matthæum, & in prima parte quæst. 114. artic. 4. Cui sententiæ accedunt Lyranus, Thostatus, Burgensis, & Caietanus: Cuius verba iuuat hic apponere, quibus hanc sententiam breuiter exponit, simulque confirmat. Is enim super hoc septimum caput Exodi, declarans verba illa Scripturæ: *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* ita scribit. Nō est vertendū in dubiū, virgas Magorū versas esse ī serpen-

53.

Fuisse veros dracones. *Theodoret.* *S. August.* *Lyranus.* *Burgensis.* *Thostatus.* *Caietanus.*

serpentes: Scriptura enim eisdē verbis vtitur narrando transmutationē virgæ Aaron,& transmutationem virgarū Magorum:verè enim mutatæ sunt virgæ in serpentes, sicut verè mutata est aqua in sanguinem,& verè productę sunt ranæ. Quod ex eo quoq; patet, qđ Magi impotentes fuisse dicuntur ad faciendum quartum signū:hæc enim impotentia testatur,quod non ad apparentias, sed ad res ipsas faciendas Magi operam dabāt. Nec est impossibile, opera Dæmonum applicantium actiua passiuis, verti citò virgas in serpentes: nam videmus aërē verti in aquam, statim cum aqua frigida ponitur in phiala vitrea æstiuo tēpore, cum apparet tanquam sudor extra phialam. Intercessit etiam multū temporis spatium à vocatione Magorum vsq; ad proiectionē virgarū coram Pharaone: in quo tempore operabantur Dæmones disponendo virgas per naturalia agentia, & sic mutando, vt postea proiectæ statim verterentur in serpentes: Et hoc tantò possibilius est,quātò naturalia agētia plus possunt, quatenus sunt instrumēta substantiarum spiritualium, quā possint propriis virtutibus,vt de motu cœli Philosophi tradunt. Hæc Caietanus.

Philo. Philo quoq; in primo libro de vita Mosis ita loquitur de serpentibus Magorū, quasi fuissent veri, nec falsitatis eorum aliquam dat significationem.

54. *Altera opinio quod nō fuerint veri serpentes.* At enim, complures alij vetustatis & doctrinæ laude celebres,serpentes illos Magorum nō fuisse veros & naturales, sed simulatos & apparentes, & artificio quodam Magico & diabolico, spectantium oculis imponentes,& censuerunt, & scriptis suis prodiderunt. *Iosephus.* Iosephus certè lib.2. Antiquitatum ait,illos serpētes Magorum in speciem ac similitudinem verorū serpentium reptasse;reuera tamen fuisse præstigias,specie veritatis, hominibus non admodum cautis deceptionem faciētes. *Iustinus Martyr.* Idem tradit S.Iustinus Martyr in libro Responsionum ad quæstiones Orthodoxorum, in Respōsione ad quæstionem 26.hæc scribens: Quæ à Mose facta sunt miracula, quia edita sunt diuina virtute, facta sunt mutatione rei propositæ in naturam eius, quod efficiebatur:At, quæ à Magis,opera Dæmonum sunt facta, spectantium oculis præstigias offūndebant; vt qui serpens non esset,eum viderent quasi serpentē; & non sanguinem, quasi sanguinem;& non ranas, quasi ranas. *Tertullianus.* Tertullianus in libro de Anima;Possunt,inquit,& solēt Dæmones phantasmata præstare,& corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniant. Corpora enim videbantur Pharaoni & Aegyptijs, magicarum virgarum dracones: sed Mosis veritas mendacium eorum deuorauit. *Nyssenus.* Gregorius Nyssenus; Qui ex virga Mosis,inquit, factus est serpens verè animatus, Magorum virgas, reuera ligna, visus autem deceptione serpentes, facile deuorauit. *Græcus interpres.* Græcus interpres, qui citatur in Catena in Exodum,super hoc loco, ait, serpentes Magorum, fuisse meras præstigias, nihil verorum serpentium,præter speciem & imaginem habuisse. *Ambros.* Vulgo putatus Ambrosius in cap. 3. posterioris Epistolæ ad Timotheum, ita scribit: Iannes & Mambres virtuti Dei quæ per Mosem operabatur, commentitia æmulatione resistere conati sunt. Eiusdem Pauli locum explanans auctor Cōmētariorum in epistolas Pauli, qui fert nomen B.Hieronymi: *Hierony.* Sicut,inquit,illi Magi artis Magicæ præstigijs Mosi obstiterunt: sic nonnulli argumentorum fallacijs, Christianæ veritati ac simplicitati resistere atque illudere conantur. *Rupertus.* Rupertus libro 1. Commentariorum in Exodum, enarrans conuersionem virgæ Mosis in draconem: Hoc, inquit, signum fecit Moses tanquam Deus Pharaonis:quia, quod solius diuinæ potestatis est, virgam inanimatam in verū animal conuertit, videlicet quia transformauit in colubrum: deuorauitq; virgas Magorum, specie tantùm serpentes. Et rectè; illæ enim virgæ, erant quod fuerant, sed per incantationes Aegyptiacas, & arcana quædam fascinauerant Magi oculos hominum, vt virgæ viderentur eis speciem habere draconum. Deuorari ergò,& non deuorare potuerunt, quæ deuoratrices esse videbantur, & non erant.

55. *Auctoris sñia, esse probabilius fuisse illos* Equidem arbitror, neutrā istarū opinionū vel testimonijs sacræ Scripturæ, vel humanis rationibus euidēter ac necessariò aut improbari posse: Videtur tamen aliquanto probabilior B.Augu-

veros dracones. B. Augustini, & Sanct. Thomæ sententia. Primò, quia narrans Scriptura hoc cap.7. quæ fecit Moses, atque Magi, iisdem planè verbis, eodemque modo narrat, virgam Aaron versam esse in draconem, & itidem virgas Magorum in dracones esse mutatas: Si igitur ille serpens Aaron, fuit verus serpens, similiter etiam serpentes Magorum veri serpentes fuisse videntur. Ibi quoque dicitur, quod virga Aaron deuorauit virgas Magorum, id est, serpens ex virga Aaron factus, deuorauit serpentes factos ex virgis Magorum: non diceretur autem serpens Aaron deuorasse serpentes Magorum, nisi fuissent illi veri serpẽtes. Deinde, infrà cap.8. Exodi traditur, Magos defecisse in tertio signo, nec potuisse producere cinipes: ex eo igitur satis intelligitur, verè ac non in speciẽ tantum priora duo signa esse à Magis facta; alioqui, etiam in ipsis defecissent. Adhæc, si non fuissent veri serpentes, Moses retexisset illam fallaciam, quò planius veritas diuini operis cognosceretur, atq; coleretur, falsitas verò magici & diabolici operis conuinceretur atque confutaretur. Præterea, credendũ est, Dæmonem omnes vires suas contulisse ad resistendum Mosi, vt demonstraret, se per Magos similia opera posse facere. Cùm igitur veros serpentes posset vel producere per causas naturales, vel iam productos aliunde latenter præsentare oculis Pharaonis & Aegyptiorum; hoc potius fecisse eum putandum est, quàm simulatis & fictis serpentibus vti voluisse; præsertim cum vereri posset, ne fraudem & fallaciam detegeret Moses, magna cum ignominia & ludibrio Magorum, & ipsius Dæmonis. Postremò, Scriptura vocat simpliciter & præcisè serpentes; & ex nulla circunstantia narrationis Scripturæ colligi potest, eos non fuisse veros serpentes; nec repugnat, eos fuisse veros, siue productos à Dæmone, vt diximus, siue aliunde, modo inuisibili, in eum locum allatos, & oculis spectantium expositos. Ex his igitur apparet & extat, probabilius esse, illos fuisse veros serpentes, quàm simulatos & fictos.

DECIMA DISPVTATIO.

Quo modo facti fuerint serpentes illi Magorum.

QVI putarunt, serpentes illos non fuisse veros, sed tantùm inania quædã serpentium simulachra, duobus modis fieri potuisse docent, vt Magi tales simulatos serpentes oculis spectantium exhiberent. Vel enim nulla facta est mutatio in virgis Magorum, nihilque eis additum vel demptum est, sed tantùm in sensibus eorum, qui spectabant, intrinsecus facta est mutatio & ludificatio, ita vt viderentur sibi in illis virgis cernere serpentes: Nam quod violẽtia & malignitate morbi vsu venit phreneticis, ob conturbationem spirituum sensitiuorum, & specierũ sensibilium in illis inhærentium, vt multa illis videantur esse præsentia, quæ non sunt: & talia esse, qualia non sunt: idem opera Dæmonum effici potest, commouentium spiritus sensitiuos, & conformantium species sensibiles ad repræsentandum id, quod ipsi volunt. Vel altero modo potuit id fieri, vt Dæmones virgis illis affingerent formam & figuram serpentium, & in illis motũ, qualis est verorum serpentium, efficerent. Vtrumque hunc modum, quo Dæmones mira quædam faciunt, non verè, sed tantùm apparenter, tradit S. Thomas in prima parte quæst. 114. artic. 4. *S. Thomas.* Altero igitur istorum duorum modorum factum est à Magis illud serpentũ spectaculum. Sed quia nos superiori disputatione conclusimus, tanquam probabilius, fuisse illos naturales, atq; veros serpentes, istos duos modos nunc missos faciamus. 56.

Qui autem censent, illos fuisse veros serpentes, duobus item modis declarãt, quemadmodum subitò illi fuerint exhibiti à Magis. Et vnus quidẽ modus est, vt tunc Dæmones, qui Magis aderant, & auxiliabantur, virgas illas Magorũ, statim vt proiecta sunt in terram, conuerterint in veros serpentes; applicãdo videlicet illis inuisibiliter certa quædã agentia naturalia, nobis quidem ignota, Dæmonibus tamen exploratissima, 57. *An fuerint tunc generati serpentes ex virgis.*

&

& ad generandos serpentes potentissima, & efficacissima. Hunc modum tenet Caietanus in hoc loco, secutus plures alios auctores: qui tamen modus nec Lyrano placet, nec Thostato, nec mihi sanè sit admodum verisimilis. Equidem, non fuisse tunc productos illos serpentes, possum argumentari ad hunc modum. Certum est, Dæmones non potuisse immediatè ex virgis producere illos serpentes, vt suprà ostensum est, sed tantùm mediatè, adhibendo nimirum naturales causas serpentum productiuas. Certum quoque est, nullum agens naturale posse subitò producere formā ex materia non ante idoneè præparata. Certum item est, diuersas formas, exigere diuersas materiæ præparationes: & quò formæ sunt nobiliores, eò plures, atque operosiores præparationes deposcere; maior enim præparatio fit materiæ, ad accipiendam formam mixti, quā ad formam elementi; & maior etiam ad formam animalis perfecti, quàm vel ad formam plantæ, vel imperfecti animalis. His positis, quæ secundum Philosophiam, negari nullo modo possunt, quæramus, an Dæmones immediatè serpentes illos produxerint ex virgis? At materia virgæ, est admodum remota & aliena accipiendæ formæ serpentis. Si dicatur, non immediatè ex virgis illis productos esse serpentes, sed varijs antea transmutationibus præmissis: Atqui tot & tam variæ transmutationes, quibus opus erat vt virgæ transformarentur in serpentes, tam breui illo tempore fieri nequaquam potuerunt; statim enim vt Magi proiecerunt virgas in terram, apparuerunt serpentes. His adde, quod natura non potest statim producere serpētem cuiuscunque magnitudinis, sed primo paruum & inualidū, qui postea crescens & adolescens ad perfectionē veniat. Serpentes autem illi Magorum, vel vt vocat Scriptura dracones, statim apparuerūt magni & perfecti, æquales vtique virgis, alioqui non esset visum, mutatas esse virgas in serpentes.

58. *Caietani opinio discutitur.* Caietanus, vt vim huiusce argumentationis, ab ipso, vt arbitror, præuisam effugeret, duo reperit effugia. Vnum effugium est huiusmodi: eo tēpore, quod effluxit, dum Pharao vocauit Magos, & ipsi ad eum venerunt, Dæmones vltimam dispositionem pro generanda forma serpentis, induxerunt in illas virgas; atque ita cum virgæ in terram proiectæ sunt, statim potuerunt generari serpentes, quod in virgis fuisset vltima dispositio formæ generandæ; qua dispositione posita in materia, immediatè generatur forma. Sed hoc effugium vel refugium, infirmum, atq; inualidū est. Etenim vltima dispositio, & proxima generationi serpentis, non potuit esse in virga, manente forma & figura virgæ, sed anterioribus aliquot factis transmutationibus, oportuit exteriorem virgæ formam & figuram esse corruptam, antequam induceretur proxima dispositio formæ serpentis generādæ. Quid, quod cum illi fuerint dracones, id est, perfecti in genere serpentis, non potuerunt aliter, quàm ex proprio semine generari. Alterum effugium Caietani est hoc; Licet agens naturale, propria virtute non possit ex virga, & subitò generare serpētem: attamen, vt fit instrumentum spiritualis substantiæ, vel Angeli, vel Dæmonis, potest id facere: quemadmodum per lumen cœli, multa generantur, nobiliora non solùm lumine, sed ipso cœlo; ea vtique ratione, vt lumen & motus cœli, sunt instrumentum intelligentiæ mouentis cœlum. Verum neque hoc perfugium satis est firmum & securum. Nam licet agens naturale, vt est instrumentum vel hominis, vel Angeli, vel Dæmonis, possit facere aliquid vel citius, vel melius, quàm propria virtute faceret; non ob id tamen potest, ex qualibet, & in qualibet materia immediatè effectum suū producere: nec potest formam generare non ante præmissis eius proprijs dispositionibus: nec generare formam posteriorem, non ante producta priori. Inter formas enim, & inter formarum dispositiones est ordo quidā naturaliter immutabilis, qui nec à Dæmone, nec ab Angelo, sed à solo Auctore naturæ mutari potest.

59. *Auctoris sententia, quæ est Lyrani et Thostati.* Restat igitur alius quidā modus, quo probabiliter cogitari potest, Magos, vbi proiecerunt virgas, earum loco serpentes exhibuisse oculis spectantium. Dæmones enim, nō aduertentibus qui spectabant, virgas à Magis proiectas in terram,

ram, subitò è conspectu eorum, qui aderant, latenter abstulerunt, & in earum loco veros serpentes, & mole æquales ipsis virgis, non quidem tunc ibi generatos, sed vel ante ab ipsis præparatos, vel aliundè tunc celerrimè allatos, intuentium oculis ita subiecerunt, vt virgæ in serpentes viderentur esse conuersę. Hoc modo defendimus, illos fuisse veros serpentes, sicut in superiori Disputatione probatum est. Nec tamen dicere cogimur eos serpentes fuisse tunc generatos ex virgis, ne vrgeamur & premamur ijs incommodis, quibus obnoxios esse docuimus illius opinionis probatores. Enimuerò, id omnino dicendũ videtur de prodigio sanguinis, quod fecerunt Magi: neque enim ipsi potuerũt per vlla agentia naturalia, sanguinẽ immediatè generare ex aqua, sicut fecit Moses diuina virtute: verus namq; sanguis, nec alibi generari potest, quàm in animali, nec aliter, quã virtute animę, & per calorem naturalem qui est in animali. At enim, vnũ quid est, quod huic sententiæ videtur officere; Scriptura enim ait hoc loco, virgas Magorum esse versas in dracones; at si non sunt generati dracones ex illis virgis, sed aliundè illuc allati, non potest verè dici, virgas esse conuersas in dracones. Sed respondendum est, Scripturam id dixisse, non quod ita fuerit secundum veritatẽ, sed quia ita videbatur, & spectantium iudicio putabatur. Hac etiam ratione legimus, Genes. 18. tres illos Angelos, qui apparuerunt Abrahæ, simpliciter appellari viros, & dici pedes eorum lauisse Abraham, eosque manducasse: cum tamen nihil horum propriè verum fuerit, sed tantùm in speciem & secundũ existimationem hominum. Neque verò hæc obiectio nos propriè vrget, sed communiter pertinet tum ad eos; qui censuerunt, non fuisse illos veros serpẽtes; sic enim non est verum, virgas esse conuersas in serpentes: tum etiã ad Caietanum, quippe qui vult illas habuisse vltimam dispositionem pro forma serpentis, quando à Magis proiectæ sunt in terram: sic enim non poterant esse veræ virgæ, vt suprà ostendimus, sed habere tantum speciem & figuram virgæ. Quare secundum Caietanum, nec Magi proiecerũt veras virgas, nec veræ virgæ tunc conuersę sunt in serpentes.

An virga Magorum verè sint cõuersa in serpentes.

VNDECIMA disputatio.

Cur Deus sit passus Magos facere signa & prodigia, similia miraculis Mosis.

60. MIRUM videri posset, permisisse Deum, vt Magi, qui cõtradicebant Mosi, signa facerẽt, similia miraculis Mosis: cũ ea res & diuinam virtutem, quæ per Mosem operabatur, obscurare videretur; & Pharaonis animum in perfidia & inobedientia magis obfirmatũ & obstinatũ redderet. Ad hanc quæstionem breuissimè respondens in homilia 46. super Acta Apostolorum B. Chrysostomus ita scribit: Non doleamus, quod multæ sint sectæ, & multi pseudochristi veritatem obscurare conantes; sed illa magis fulget manifestaque fit vbique. Hoc, etiam tẽpore Prophetarum euenit; fuerũt enim tunc plures pseudoprophetæ: verùm ex illorum comparatione, veri Prophetæ illustriores fuerunt. Etenim morbus sanitatem magis demonstrat, & tenebræ lucem, & tempestas trãquillitatem. Nõ possunt dicere Græci, quod Prophetæ & Apostoli, impostores & Magi fuerint; cum istud genus hominum maximè contrarium illis fuerit, & ab illis cõfutatum & redargutũ. Hoc etiam Mosi contigit. Permisit Dominus aliquid Magis contra Mosem, ne Magus putaretur esse Moses. Permisit, Magorum exemplo discere omnes, quantum ars magica imponat sensibus: sed non permisit vltra eos progredi, ne ab illis deciperentur homines; sed ipsimet se victos esse à Mose confessi sunt. Nihil nobis nocent impostores, sed meliores potius reddunt, si quis rectè consideret: Hęc Chrysostomus.

S. Chrysost.

61. Verum propositam quæstionem plenius atque enucleatius tractauit Theodoretus, ponens hanc ipsam quæstionẽ, quæ est decima octaua inter quæstiones eius in librum Exodi, his verbis: Ad quid

Theodoret.

quid permisit Deus incantatoribus, eadem facere, quæ Moses? cui quæstioni respondens, Reperiuntur, inquit, etiam nunc quidam homines impij, dicere audentes, Mosem prodigia illa fecisse arte magica. Quamobrem Deus concessit tunc incantatoribus, vt quædam facerēt similia eorum quæ faciebat Moses, quò magis vtrorumque discrimen patesceret. Mutabant illi quidem virgas in serpentes; sed virga Mosis, virgas illorum deuorabat. Mutabant illi aquā in sanguinem; sed sanguinem in priorem aquæ naturam reducere non poterant. Produxerunt illi ranas: sed molestiam, & incommoda ranarum Aegyptijs auferre nō poterant, sicut fecit Moses. Concessit itaque Deus incantatoribus huiusmodi facere, vt etiam per ipsos castigaret Aegyptios: non tamen cōcessit illis, vt illatam vltionem & calamitatem auferre possent. Nam dum à Deo puniretur rex Aegyptiorum, non fuit Deus contentus plagis per Mosem illatis; sed insuper præcepit incantatoribus vltionem augere. Quasi diceret Regi: Quia puniri te delectar, tuorum etiam seruorum opera te castigabo & grauius plectam. Sed cum videret, regem ob id vehementius indurari, Magorum illorum facultatem cohibuit; vt qui maiora animalia, vt sunt ranæ, antea produxerant, crabronem minutulum producere non possent; sed plagam illam, esse digitum Dei confiterentur. Præterea, Magorum corpora pustulis afflixit, vt tum illi, tum fatuus eorum rex, euidenter cognoscerent, quod non solùm plagas à Deo immissas auferre non possent, sed etiam ipsi cum reliquis plecterētur. Impudentissimum igitur mendacium est dicere, Mosem artibus Magicis prodigia illa perpetrasse: cum contra Magi clamarēt, signa illa, virtutis esse diuinę. Si enim erat imaginariū, quod per Mosem gerebatur, illos quoque similiter effingere oportebat, & artificij sui sociū conuincere: at verò disertè confitentur, hoc esse digitum Dei. Hactenus ex Theodoreto.

62. *Auctoris responsio.* Sed nos eidem quæstioni paulò explicatius & distinctius respondeamus, cōplures causas afferentes, cur passus sit Deus Magos similia facere miraculis Mosis. Prima causa. Voluit Deus palam facere, semper veritatem ac pietatem fuisse multis obnoxiam contradictionibus, speciem veritatis & pietatis præ se ferentibus. Hanc causam indicauit Sanctus Paulus capite tertio posterioris epistolæ ad Timotheū, de istis Magis Pharaonis loquens: *Quemadmodum*, inquit. *Iannes & Mambres restiterunt Mosi: ita etiam hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Quæ verba explanans vulgò putatus Hieronymus in Commentario illius epistolæ, Sicut, ait, illi Magi, artis magicæ præstigijs restiterunt Mosi, sic nonnulli argumentorum fallacijs. Christianæ veritati ac simplicitati obsistere atque illudere conantur. Huiusmodi autem contradictiones veritatis & pietatis, si quis memoria repetat præterita, reperiet ab initio vsq; mūdi fuisse. In cœlis Lucifer, eiusq; sectatores talem contradictionem excitarūt aduersus Deum, repugnātibus Michaele, & sanctis Angelis. In terris, statim post creatum hominem, improbitas Caym contradixit innocentiæ Abel: & postea Ismael Isaaco; Esau Iacobo; Iosepho fratres eius; Dathan & Abiron Mosi & Aaron, Pseudoprophetæ veris Prophetis. In nouo Testamento Apostolis Simon Magus: Christianæ disciplinæ prædicatoribus, Philosophi, Magi, & Hæretici obnixè restiterunt. *Apoc. 18.* *Gen. 4.* *Infrà 21.* *Infrà 27.* *Infrà 37.* *Num. 16.* Secunda causa: vt hoc exēplo alijsq; similibus innotesceret, quā sit verū quod dici solet, Dæmonē esse veluti Simiam Dei. Is enim quam initio affectauit Dei similitudinē, neq; in cęlo assequi potuerat, eam postea in terris omni tempore, per insipiētiam hominum adipisci conatus est. *Dæmon simia Dei.* *Isaia 14.* Deus habet veros Prophetas: & Dæmon Pseudoprophetas habet: Deus varios ordines religiosorum hominum instituit, vbi pręcipua quadam, eximiaque sanctitate coleretur; & Dæmon plures sectas hominum instituit, vt ab insipientibus hominibus superstitiosè coleretur. Deus vera miracula facit ad contestandam & comprobandam veritatē; Dæmon ad persuadendam falsitatem, similia in speciem veris miraculis operatur. Atque huius quidem diabolicę ambitionis luculentium fecit exemplū cōcertatio hæc Magorum Pharaonis cum Mose.

Mose. Tertia causa. Vt ex tanta Magorū repugnantia, & contentione cum Mose liquidò appareret, Mosem non esse Magum: si enim Magus fuisset, Magorū vtique fuisset amicus, & familiaris Dæmonis; cui tamen maximè contrarius erat, eius fraudes detegens, & ab eius cultu deceptos homines deducens. Denique lex ipsa Mosis, toties & tam seuerè dānans & puniens Magos, satis ostēdit, alienissimum fuisse Mosem ab omni Magica superstitione; idque ipsum confessi sunt Magi hostes eius, opera eius non Dæmoni, sed digito Dei assignantes. Consimili profectò ratione Dominus noster, vt refert Matth. cap. 12. argumentatus est in Pharisæos, se non eijcere Dæmonia in principe Dæmoniorum, sed in digito Dei, vt expresè dixit Lucas cap. 11. Quarta causa. Huiusmodi Magorum signa facientium exemplo, *Matth. 24.* voluit Deus fideles suos admonitos esse & cautos, ne turbarentur, aut scandalizarentur, signis & prodigijs impiorum hominum, quasi illa essent miracula & diuinæ virtutis testimonia. Hinc enim apertè cognoscitur, multa videri miracula, quæ non sunt, & propriū esse Diaboli *1. Cor. 11.* transfigurare se in Angelum lucis, & ad circumueniendos mortales, simulare prophetiā & miracula, & alia, quæ sunt dona Dei supernaturalia. Quinta causa: Id quoque permisit fieri Deus, ad tentandam exercendamque, ac probandam fiduciam & constantiam & pietatem non solùm Mosis & Aaron, sed Hebræorum, tanta Magorum signa cernentium; num propter hæc in fide diuinorum promissorum, & veri Dei cultu deficerent aut titubarent. Deus ipse, post illud certamen Magorum cum Mose, prædixit Hebræis, vt legimus Deute- *Locus Deuteron. c. 13.* tonomij 13. suo permissu, venturos pseudoprophetas, signa & portenta facientes, vt ea ratione tententur atque explorentur Hebræorum animi, num syncerè ac perseueranter Deum suum colant & diligant; & Dominus noster apud Matthæum, cap. 24. loquens de die iudicij: *Surgent*, inquit, *pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Sexta & vltima causa: Permisit Deus Magos facere illa signa, in maiorē Pharaonis indurationem, sic eius peccatis exigentibus; vt eo magis, magisque indurato, plura Deus, & mirabiliora faceret opera, quibus omnipotentiam suam declararet, atque Aegyptios vehementius affligeret; animos verò Hebræorum validè firmaret, & multiplici solatio in tātis eorum malis recrearet. Solet enim Deus multa facere per se bona, è quibus tamen homines improbi occasionē capiunt grauius peccandi, & in peccando perseuerandi.

63. Quæret aliquis, num Pharao excusabilis fuerit, videns Magos suos similia facere Mosi, quod ei, tanquam legato Dei credere, atq; obedire noluerit. Respōdendum est, Pharaonem fuisse prorsus inexcusabilem: multa enim vidit in illa concertatione Magorum & Mosis, quæ demonstrabant euidenter, Mosem multò esse superiorem, & potentiorem Magis; nec arte magica, sed virtute diuina operari. *An propter signa Magorum, excusabilis fuerit iniquitas atque inobedientia Pharaonis.* Omitto nunc quędam verorum & falsorum miraculorum discernicula, quæ licet verissima sint; sunt tamē obscura & incognita hominibus: vt quòd vera miracula fiant virtute Dei; falsa, Dæmonis: quod illa omnem creatæ naturæ potestatem excedāt; hęc, minimè: quod illa bono consilio & fine, ad gloriam Dei, & vtilitatem hominum fiant; hæc, malo consilio, & fine: illa, piè sanctèque fiant; hæc improbè ac superstitiosè. Huiusmodi miraculorum discrimina, vt occulta & ignota hominibus, ad præsens omitto, illa tantùm commemoro, quæ conspicua erant, & in ipsos oculos incurrebant; quæ rex & Aegyptij nec negare poterant, nec ignorare. Magi fecerunt quidem serpētes; sed serpens Aaron deuorauit eos: fecerunt itē ranas, sed molestias & incommoda ranarum, quibus affligebantur Aegyptij, auferre non potuerunt. Cumque maiora fecissent, permissu Dei, eò tamen prohibente, minora facere, id est, ciniphes producere non potuerunt: quod adeò Magi demirati sunt, vt eò maximè cognouerint, Mosem diuina virtute operari. Nec solum Magi plagas illatas Aegyptiis auferre non potuerunt, sed ne à se quidem illas arcere valuerunt. Nec sanè Pharao maius aut desiderare, aut

habere

habere potuit testimonium diuinæ virtutis per Mosem operantis, quàm suorũ Magorum, vel inuitis expressam, confessionem, testãtium digitum esse Dei, qui per Mosem operabatur. Sed enim quod tunc accidit Pharaoni, idem postea contigit Synagogæ. Dæmones palam confitebantur, Iesum esse Filium Dei, & ipsum Christum; at proceres Synagogæ, Pharisæos dico, & Scribas, & Sacerdotes, non solum id credere noluerunt, sed propter ipsa Christi miracula, magis etiam in eius odio, suaque perfidia obfirmati sunt. Verè igitur in huiusmodi homines quadrat, quod dixit B. Paulus, & supra partim à nobis cõmemoratum est: *Quemadmodũ*, inquit, *Iannes & Mambres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa Fidem: sed vltra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.*

DVODECIMA disputatio.

Quæ est generalis dissertatio de plagis Aegypti.

IN hoc septimo capite Moses incipit enarrare plagas, à Deo illatas Aegyptijs; quarum primam hîc memorat, cæteras sequentibus capitibus vsque ad duodecimum. Sunt porrò quædam communia omniũ plagarum; sunt item alia permulta singularum plagarũ propria; primùm igitur de illis, tum de his dicendum. In hac disputatione tractabimus quæ sunt cõmunia, redigentes ea ad septem quæstiones: harum prima erit de numero plagarum; secunda de loco; tertia de tempore, quando factæ sunt; quarta de tempore, quandiu durarunt; quinta de causa efficiẽte; sexta de fine ob quem factę sunt; septima, an illæ plagæ contigerint omnibus tunc in Aegypto versantibus.

64. *An tantũ decem fuerint plagæ.* Quæritur itaque primo loco, quot fuerint illæ plagæ, an tantùm decem, an verò plures. Moses certè in hoc libro Exodi, decem tantùm plagas commemorat: quarum prima fuit aquarum cõuersio in sanguinem: secunda, productio ranarum: tertia, ciniphum: quarta muscarum: quinta, pestis & interitus animalium; sexta, vesicæ turgentes, & vlcera tam in hominibus, quàm in animalibus: septima, tonitrua, grando, & fulmina; octaua, locustæ: nona, triduanæ tenebræ: decima, cędes primogenitorum. Has, vt dixi, plagas tantùm commemorat Moses, non vtique omissurus, si qua, præter has fuisset alia. At enim B. Augustinus super Psalmum 77. in quo sicut etiam in Psalmo 104. Aegypti plagæ recensentur, plures fuisse quàm decem, plagas illas arbitratur. Etenim in Psalmo 77. inter plagas Aegypti numerantur tres non commemoratæ in libro Exodi. Prima quidem declaratur illis verbis: *Dedit æruginì fructus eorum.* Secunda illis: *Occidit moros eorum in pruina.* Tertia illis: *Et dedit possessiones eorũ igni.* Moses enim in libro Exodi, inter plagas Aegypti, nec æruginis, nec pruinæ, nec ignis meminit. Verùm mihi probabilius fit, decem tantùm fuisse plagas, sicut habet communis Doctorum sentẽtia: & tres illas memoratas in Psalmo 77. non esse diuersas ab illis, sed ad eas reduci debere. Nam illic pro (ærugine) vocabulum hebræum (hasil) significat bruchum, speciem locustæ: & ita vertit ex hebræo Hieronymus & Aquila, teste Euthymio super eo Psalmo, & ipsemet Latinus interpres postea in Psalmo 104. itidem transtulit: sic enim habet: *Dixit & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus.* Quare plaga illa æruginis, pertinet ad octauam plagam locustarum, quam narrat Moses. Plaga verò pruinę, pertinet ad septimã plagam grandinis: pro pruina enim vox hebræa Hanamal vt notauit Genebrardus super eo loco, species est grandinis, & vehementioris, quasi lapis quidam gelatus, seu conglaciatus. Illa demum plaga ignis, ad eandem septimam plagam pertinet: siquidem narrat Moses, simul cum grandine mixtum cecidisse ignem, magnamque vim fulminum; quorum incendio, & itẽ grandinis ictu, omnia quæ in agris erãt, vastata & consumpta sunt. Extra hunc porrò numerum decem plagarum, censeri debet maxima omnium plaga illa, submersionem dico Aegyptiorum in mari

S. August.

Tres loti Psal. 77.

Auctoris sententia.

Euthymius

Genebrardus.

mari rubro: hæc enim accidit, iam emissis ex Aegypto Hebræis; illæ verò factæ sunt, vt ex Aegypto emitterentur. Sciat Lector easdem has plagas memorari in Psalmo 77. & 104 sed nec ordine recto, nec iusto numero: nam in Psal. 77. omittũtur tres, tertia, sexta, & nona; in Psal. 104. tacitæ prætereuntur duæ, quinta & sexta.

85. *Cur fuerũt tantum decem plagæ. Philo.* Sed cur Deus decem plagis ferire voluit Aegyptios, & non pluribus, aut paucioribus? Respondet Philo, lib. 1. de vita Mosis, denariũ esse numerum perfectum, & terminum numerorum: nam vltra eum, non adijciuntur noui numeri, sed priores repetuntur: quo fit, vt donet & perfectionem & consummationem Denario igitur plagarum numero significatum est, illam Dei animaduersionem vsquequaque fuisse plenam & perfectam: Sicut improbitas Aegyptiorum erat consummata; & item afflictio & vexatio Hebræorũ in Aegypto, erat ad summum perducta. Fuisse autem illã Dei animaduersionẽ in Aegyptios vsquequaque plenam, si quis attendat animum siue ad ea, per quæ, siue ad ea, in quibus puniti sunt Aegyptij, siue ad terminum & finem punitionis, planè intelliget. Puniti namque sunt Aegyptij per omnes fermè creaturas: Primò, per elementa, terram, aquam, aërem & ignem: tum per mixta inanimata, vt per grandinem & sanguinem: deinde per animalia, vt ranas, muscas, ciniphes, locustas: adhæc per cœli astra, vt per tenebras triduanas. Puniti etiam sunt per homines, vt per Mosem & Aaron; & per Angelos, vt traditur in Psalmo 77. & principaliter per ipsum Deum, qui illius vindictæ princeps auctor fuit. Præterea puniti sunt in bonis omnibus, quæ charissima eis erant, hoc est, in fructibus atq; omnibus, quæ generantur in agris, in animalibus; in suis filijs primogenitis; in domestica etiam supellectile auri atque argenti, aliarumque rerum pretiosarum; ac demum in corporibus suis; propter fœdissima & acerrimi doloris vlcera. Per omnes quoq; sensus puniti sunt: In visu, per densissimas tenebras trium dierum, & monstrifica & terrifica spectra, quæ subinde illis sese ostentabant, vt traditur libro Sapientiæ, cap. 17. In *Locus Sapiẽtiæ c. 17.* gustu, per potum aquæ cruentæ, & cruciatum sitis. In odoratu, ob tetrum odorem ex ranis & vlceribus. In tactu, per dolorem vlcerum, & morsum cinipħũ. In auditu, propter horrẽda tonitrua. In sensu autem interiori atque imaginatione, per incredibilem mœrorem animi ac multiplicem terrorem. Postremò animaduersio hæc completa & cõsummata est, cum Aegyptij Hebræos, quos abire permiserant, immò compulerant; denuò hostiliter insectati, in mari rubrò submersi, miserè interierunt.

Sequitur altera quæstio, quo in loco plagæ illæ factæ sint. Cum enim constet eas plagas esse in Aegypto factas, cur Dauid in Psal. 77. dicit esse factas in campo Taneos: *Corã patribus eorum*, inquit, *fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.* Et infrà: *Sicut posuit in Aegypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.* Atque idem paulò pòst ait facta hæc esse in terra Cham, vel in tabernaculis Cham; sicut rerram in Psal. 104. dicens: *Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.* Sed facilis est huius q̃stionis enodatio. Propterea enim Aegyptus vocatur terra Cham, quod primus omnium, qui terram Aegypti tenuit post diluuium, & parens fuit gentis Aegyptiorum, fuit Mesraim, filius Cham: quamobrem Hebræi ipsam Aegyptum appellant Mesraim. Ex quo licet intelligere Aegyptiorum hæreditariam & originalem improbitatẽ; quippe qui ex pessimo illo Cham, filio Noë, progeniti fuerint. Tanis verò, ciuitas erat regia, & caput Aegypti, vbi rex Pharao, & principes eius, & sapientes Aegypti habitabant, vt ex cap. 19 & 30. Isaiæ, cognosci potest. In hac igitur vrbe, & in circumiacente agro plagę illæ primum factæ sunt coram Pharaone & principibus eius. Vel, per Synecdochen, vocabulo Taneos, quæ princeps Aegypti ciuitas erat, vniuersa denotatur Aegyptus; eaque, ob amplissimam planiciem & agrorum fertilitatem ritè nominatur campus. Tanis porrò ciuitas, hebraicè vocatur Zohan: de qua Hebræi, & inter hos Rabbi Salomon, quantum pertinet ad plagas Aegypti, hæc scribunt: Zohan præclara vrbs Aegypti est, vbi regum erat sedes. Quocirca

66. Secunda quæstio de loco plagarum.

Locus Psal. 77.

Gen. 10.

Vrbs & cãpus Taneos.

Rabbi Salomon.

circa plagas Aegypti, in campo Taneos factas esse legimus: quia ibi primùm apparebat plaga, & inde per vniuersam Aegyptum diffundebatur: vt caput, videlicet, feriretur prius, deinde reliqua membra. Si aqua corrumpebatur, primò ea vrbs calamitatem sentiebat: si ranæ producebantur, ibi primò tale ostentum cernebatur. Quia & scelerum colluuies ibi potissimùm vigebat: vbi enim Regiæ sunt, maiora inibi cernuntur flagitia; siue propter multiplicis hominum generis frequentiam: siue quod id genus hominum curias potissimùm, & regales aulas frequentare soleat. Hæc isti, Latinè, more nostro, reddita.

67. *Tertia quæstio, quãdo contigerint illæ plagæ.* Tertio loco differendum est de tempore, quo factæ sunt illæ plagæ, habito respectu ad res aliquas per celebres eodem illo tempore gestas, & ab Ethnicis scriptoribus notatas & traditas memoriæ. Iulius Africanus lib. 3. Annalium, ut refert Eusebius lib. 10. de præparat. Euãgel c. 3. scriptum reliquit, plagas Aegypti eodem ipso tempore contigisse, quo accidit memoratissimum illud apud antiquos diluuium Ogygis: quo diluuio regio Attica propè ducentos annos vastata, & inculta fuit: de quo diluuio nos aliquoties diximus in 2. & 3. tomo nostrorum Commẽtariorum in Genesim: sed indubiè memoria lapsus est Africanus. *Africani lapsus.* Nam ipsemet tradidit, & multorum grauium auctorũ firmauit testimonio, vt eodẽ illo in loco memorat Eusebius, Ogygis diluuium antecessisse mille viginti annis primã Olympiadem: tẽpus autem harum plagarum Aegypti, primã Olympiadem, quæ incidit in octauum annum regni Achaz, regis Iuda, nõ amplius septingentis & sexaginta tribus annis præcessit. Propius certè vero est, quod annotauit Paulus Orosius in lib. 1. historiæ suæ c. 9. & 10. circa tẽpus harum plagarum accidisse diluuiũ, Deucalionis appellatum; quo maior pars populorum Thessaliæ absumpta est; paucis, perfugio montium, liberatis: maximè in monte Parnasso, in cuius circuitu Deucalion tunc regnabat: qui ad se con fugientes ratibus, suscepit, & per gemina Parnassi iuga fouit, aluitque, ob idque locum fecit fabulæ, vt ab eo reparatum genus humanũ diceretur. His etiã temporibus adeò iugis & grauis æstus incanduit, vt sol per deuia transuectus, vniuersum orbem, non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur; impressumq; feruorẽ & Aethiops plus solitò, & into litũ Scytha non tulerit. Ex quo etiã quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potẽtiam suam, inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt. Hæc Orosius.

Paulus Orosius. *Circa tẽpus decem plagarũ contigisse Deucalionis diluuium, & incendiũ, qđ vocãt Phaëtontis.*

Sed nos de tẽpore illarum plagarũ, vt res habet, breuiter dicamus. Contigerũt illæ plagæ post exordium mundi, annis bis mille quadringentis octoginta tribus: Post diluuium Noëticum septingẽtis nonaginta septẽ: Ante bellum Troianũ, quod incidit in tempus Samsonis, vel Heli Pontificis Hebræorũ, annis trecentis quinquaginta sex: Ante primam Olympiadem, septingẽtis sexaginta tribus: Ante Romam conditam, septingẽtis octaginta nouem, à quo numero propè abest Orosius lib. 1. cap. 10. 68.

69. *Quanto tẽpore factæ sint & quã diu durarint plagæ illæ.* Quarto loco disquirendum est, quanto tempore plagæ illæ factæ sint, & quãdiu durarint. Si quis historiam harum plagarum à Mose descriptam, obseruatẽ, curioseq; pensitet, omne tempus, qđ in istis plagis consumptum est, comperiet fuisse dierum circiter viginti septẽ. Horum dierum rationem inire ac subducere, singulas percensendo plagas, ad hunc modum licebit. Post primam plagam, vsq; ad secundam transierunt dies septem, vt patet ex septimo & octauo capite Exodi. Iam igitur habemus octo dies. Die nono ablatæ sunt ranæ, vt dicitur capite octauo. Die decimo immissi sunt cinphes. Die verò vndecimo minatus est muscas; & die duodecimo immisit eas; & die decimoquarto remouit eas. Die decimoquinto minatus est quintam plagam, & die decimoquinto inflixit eam. Die decimosexto infligitur plaga sexta. Die decimoseptimo minatus est plagam septimam, quæ inflicta est die decimo octauo, & sublata est die decimonono. Die vigesimo minatus est octauam plagam, & die vigesimo primo inflixit eam, & die vigesimo secundo remouit. Sequentibus tribus diebus, id est, vigesimo tertio, vigesimoquarto, & vigesimo quinto, durauit plaga tenebrarum. Die vi-

gesimo sexto Pharao à se expulit Mosem, & media nocte huius diei, inflicta est decima plaga cædis primogenitorũ, sub initium diei vigesimi octaui. Vnus igitur ferè mẽsis lunaris à prima vsq; ad vltimam plagam transactus est. Et cum vltima plaga facta sit decimaquarta die, vel secundum aliam computationem, decimaquinta primi mensis Hebræorũ, qui dicitur Nisan, respõdẽs nostro Martio, necesse est primã plagam factã esse circa medium vltimũ mensem Hebræorum dictum Adar, respondentẽ nostro Februario. Non sum nescius, Hebræos in sua maiori Chronologia tradere, illas plagas spatio duodecim mensium, per aliquot interualla, esse factas, eamque traditionem Genebrardum sequi super Psalmum 104. Sed mihi quod supra dixi, narrationi Mosaicę conueniẽtius visum est.

70. *Quinta quæstio de causa efficiẽte.* Sequitur vt deinceps agamus de illarum plagarum causa efficiente. Ac principalem quidem causam fuisse Deum in confesso est; cuius nempe consilio, voluntate, imperio ac potestate plagæ illæ factę sunt: quamobrem Deo potissimum plagas illas attribuere solet Scriptura. Sed vsus tamen est Deus ministerio hominum & Angelorum: hominũ quidem tam Mosis, quàm Aaron. Etenim primæ tres plagæ factæ sunt per Aaron: quatuor aliæ, id est, sexta, septima, octaua, & nona per Mosem. De quarta & quinta, per quem sint factæ, non apertè indicat Scriptura. Decima plaga nominatim dicitur facta à Domino: nec sanè hominum ministerio fieri poterat. Vsum quoque Deum esse in istis plagis inferendis ministerio Angelorum, perspicuè indicauit Dauid in Psalmo 77. illis verbis: *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram: immissiones per Angelos malos.* Et verò prodigiosa opera Dei, quæ in hoc mundo fiunt, per Angelos fieri, & præcipuè per eos, qui sunt de ordine virtutum, Theologorum consensu firmatum est.

Locus Psal. 77.

Vtrum Angeli effectores plagarũ Aegypti, fuerint boni, an mali Angeli.

Sed enim, quia Dauid appellauit Angelos malos, putant nonnulli, atque in his Genebrardus, Deum ad eas plagas infligendas, administris vsum esse Dæmonibus, quos videlicet malos esse Angelos constat: non quod etiam boni viri non affligantur per malos Angelos, vt liquet exemplo Iob: aut quod impii non castigẽtur etiam per bonos Angelos, vt patet de Sodomitis, & de exercitu Sennacherib: sed quod Dauid expressè vocauerit illos Angelos malos; quæ appellatio in sanctos Angelos minimè competit. Verum hæc rationõ cogit nos id sentire quod illi volunt. Non enim appellantur Angeli mali, à malitia morali, sed à malitia pœnali, quam iustè inferunt hominibus; quia sunt calamitatum & suppliciorum inferendorum administri Dei. Quocirca plures ex Hebræis pro Angelis malis verterũt eo loco, Angelos noxios, vel nocentes: Euthymius certè interpretatur malos Angelos, non natura, aut electione, sed effectu, quia pœnas inferunt & supplicia. Quin posset videri probabilius, omnes illas plagas esse illatas p bonos Angelos. Nam si prima & secunda plaga p bonos Angelos factę sunt, vt probat Augustinus eo argumento, quod similia ꝓdigia facta fuerint à Magis, per malos vtique Angelos; cur non itidem cęteras plagas per bonos Angelos factas existimemus? Illud autem vocabulũ: *Immissionem*, propriè significat legationẽ, vt ex Græca & Hebraica voce manifestũ est: id verò aptissimè quadrat ad bonos Angelos, quos multifariam Scriptura, Dei nuncios & legatos appellas.

Genebrardus. *Iob 1. & 2.* *Gen. 19.* *4. Reg. 19.* *Euthymi⁹.* *S. August.*

71. *S. August. disputatio, Quomodo vtatur De⁹ ministerio Angelorũ ad puniendum homines.* B. Augustinus explanans supradicta verba: *Immissiones per Angelos malos*, breuem facit disputationem, An Deus vtatur Angelorum ministerio ad puniendum & affligendum homines: cuius disputationis, vt dicam summatim, quadripartita est sententia. Primò docet, Deum vsum esse malis Angelis ad puniendum homines tam improbos quã probos: sic enim puniuit Aegyptios: sic etiam afflixit & probauit beatum Iob, vt traditur initio libri eius. Sed hoc interest, quod Diabolus in malos, tanquam in mancipia sua, habet potestatem: quanquam à Deo ligatam, nec exercendam, nisi quantum à Deo relaxata ei fuerit. In bonos verò Dẽmõ nullam habet potestatem; sed tribuitur ei à Deo; cum iudicat, affligi bonos, & illis vtile fore, & sibi gloriosum. Deinde ostendit Angelos tam bonos, quàm malos

los habere potestatem in corpora sublunaria, elementa dico, & mixta, sicut etiam habent homines tam boni, quã mali: verùm in Angelis longè maiorẽ, talem esse potestatem, quàm in hominibus; & ampliorem in bonis Angelis; quàm in malis, cuius tamen potestatis exercitium, præcipuè in perniciem hominum, ligatum est, & voluntate ac permissu Dei relaxatur cum opus est. Ea verò potestas, soluta Diabolo fuit, ad tempus, aduersus beatum Iob: vnde breuissimo tempore & ignem de cœlo mittens, pecora eius consumpsit, & immisso vehementi admodum vento, domum filii eius subuertit. Nec tamen Sanctus Iob dixit: *Dominus dedit*, Diabolus abstulit, sed *Dominus abstulit*. Sciens vtique non potuisse id facere Dæmonem, nisi iustissimo Dei permissu, optimaque voluntate. Tertio loco, similius vero putat August. qđ prima duo Mosis signa, sanguinis, & ranarum, facta sint à Magis per Angelos malos; sic enim ait: Si per Angelos Deus illas plagas inflixit Aegyptijs, nunquid audebimus dicere, &c. aquam in sanguinem per Angelos malos versam esse, & ranas factas; cùm eorum similia etiam Magi veneficijs suis facere potuerint: tanquam Angeli mali ex vtraque parte consisterent, hinc illos affligentes, inde fallentes secundum iudicium & dispensationem iustissimi & omnipotentissimi Dei, iustè utentis etiam iniquorum malitia? Non audeo dicere. Vnde enim ciniphes facere Magi minimè potuerunt? An quia hoc permissi ipsi Angeli mali non sunt? An, quod verius dicendum est, occulta causa est, & vires nostræ inquisitionis excedit? Ne quis verò propterea putaret per Angelos malos factas esse illas plagas, quod per bonos Angelos non pœnæ irrogẽtur, sed beneficia præstentur hominibus: Quarto & vltimo loco probat Augustinus, etiam per bonos Angelos puniri malos, exemplo illorum Angelorum, qui Sodomitas punierunt, quos paulò ante hospitio acceperat, & honorauerat Sanctus Patriarcha Abraham. Eos verò fuisse bonos Angelos, nullo modo dubitare licet. An verò per bonos Angelos etiam interdum castigentur, & malis corporalibus affligantur viri iusti, negat liquere sibi Augustinus. Iustos, inquit, corporalibus pœnis per bonos Angelos tentari & probari, non mihi occurrit. Hactenus pertinet disputatio Augustini. Nos igitur probabilius censemus, plagas illas ministerio bonorum Angelorum esse factas, cum in pluribus magna fuerint miracula edita, non solùm ad punitionem Aegyptiorum, sed ad illustriorem Dei gloriam, maioremque populi Domini confirmationem, & consolationẽ. An verò illator decimæ plagæ, fuerit malus Angelus; necne, in proprio loco disquiretur.

Iob 2.

Gen. 19.
Suprà 18.

72. Sequitur sexta quæstio de fine illarũ plagarum. Cur autem Deus istiusmodi plagas in Aegyptios miserit, varias, & satis idoneas atque probabiles causas possumus reddere. Prima causa fuit, vt Deus iustissimè vlcisceretur grauissimas iniurias & ingentia damna, quibus Aegyptij per tot annos affecerant & afflictauerant Hebræos. Secunda causa, vt hisce plagis percussi & contriti Aegyptij, vel inuiti, cogerentur liberos dimittere Hebræos, & illi, excusso seruitutis iugo, relictaq; Aegypto, alacres irẽt in terram promissionis. Tertia causa, vt per hæc prodigia, non tantũ Aegyptijs, sed alijs quoq; gentibus innotesceret, tum ineuitabilis Dei iustitia scelerum vindex, nulla relinquens impunita peccata: tum incomparabilis atque inæstimabilis Dei potentia, omnem naturæ ordinem, & cursum atque potestatem infinito excedens interuallo; & in rebus à se creatis, quodcunque libuerit, & quomodocunque libuerit, operans. Et hanc causam indicauit Deus in Exodo, cap. 9. per Mosem dicens Pharaoni: *Idcirco posui te, vt ostẽdam in te fortitudinẽ meã, & narretur nomen meũ in omni terra.* Quarta causa: vt his prodigijs excitati, doctique Hebræi, perspicuè cognoscerent, quanta ipsos beneuolentia & gratia complecteretur Deus, & quam singularem ipsorum curam gereret: eaque re in posterum Dei ac Mosis dictis, iussisque, creduli atque obedientes essent; & ad legem paulò post ipsis dandam promptissimis animis & religiosis mentibus præpararẽtur. Quinta causa,

Sexta quæstio, de fine illarum plagarũ. Exponuntur septẽ causæ, ob quas sũt à Deo missæ.

vt eorum prodigiorum fama longè lateque sparsa, vicinas gentes, quas Hebræi transituri, & ad quarum regiones obtinendas ituri erant, Dei Hebræorum, atque ipsius Hebreæ gentis pauore, terroreque compleret, vt repugnare illis nequaquam auderent: atque ne gens Hebræa, tam potentis Dei sui protecta & munita, firmataque præsidio, vllas hostium vires formidaret. Huc spectat, quod exploratoribus à Iosue missis dixit Raab: *Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto. Et hac audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester ipse est in cœlo sursum, & in terra deorsum.* Ad eandem sententiam pertinet id quod Philistinorum sacerdotes & diuini dixerunt Philistæis de Arca Domini: *Quare grauatis corda vestra, sicut aggrauauit Aegyptus & Pharao cor suum: Nonne postquam percussus est tūc dimisit eos, & abierunt?* Similia horum legimus in libro Iudith, cap. 5. Achior, ducem Ammonitarum, dixisse Holoferni. Sexta causa: vt futuris seculis gens Hebræa, tot tantorumq; prodigiorum, quę in Aegypto pro liberatione ipsius, atq; in vltionem, exitiumq; Aegyptiorum à Deo facta fuerant, iugi recordatione, constāter ac religiosè pmaneret in Dei cultu & obsequio: nec vllis rebus aduersis, tanti Dei præsidio, quod Maiores ipsorum toties admirabiliter experti fuerant, confisa, concideret animo atque deficeret; sed eius auxilium implorans, omnium malorum depulsionem vsque ad Messiæ aduentum speraret, fidenti animo. Septima causa: vt manifestum foret omnibus, quanta fuerit malitia Aegyptiorum, quanta in Deum contumacia, quā pertinaciter in peccatis obfirmatus atq; obduratus animus: quippe qui tantis visis prodigiis, tantisque percussi plagis, non sunt vel ad scelerū suorum pœnitentiam, vel ad Dei metum, & obedientiam emolliti, flexique. Quo apparet, conuertendis ad Deum peccatoribus, nisi prius diuino spiritu afflatis & commotis, nulla, quotquot, & quantacunque fuerint, sufficere miracula; quin etiam eos, illis ipsis miraculis, quibus fieri meliores debebant, peiores ac sceleratiores plerunque fieri.

Locus Iosue cap. 2.

1. Reg. 6.

Restat septima quæstio explicanda, 73. An omnibus tunc in Aegypto versantibus, plagæ illæ contigerint. Extra controuersiam est, non omnes, qui erant, id temporis, in Aegypto, fuisse plagis illis comprehensos. Ac primò quidem, illæ plagę Hebræos nequaquam attigerunt: id enim apertè tradit Scriptura capite octauo, inducens Deum illa verba loquentem: *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt nō sint ibi muscæ, & scias quoniam ego Dominus in medio terræ: ponamq́; diuisionē inter populum meum, & populum tuum.* Et in c. 9. narrans quintam plagam: *Mortua sunt*, inquit, *omnia animantia Aegyptiorum: de animantibus verò filiorum Israel, nihil omnino perijt. Et misit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuū de his, quæ possidebant Israel.* Et in eodem capite, exponendo septimam plagam, quæ fuit grandinis, sic ait: *Tantùm in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grando non cecidit.* Et in cap. 10. memorans nonam plagam, quæ fuit tenebrarum: *Factæ sunt*, inquit, *tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus diebus: vbicunque autem habitabant filij Israel, lux erat.* Denique in cap. 12. exponens plagam decimam, id est, cædem primogenitorum. *Et transibo*, ait Dominus, *per terram Aegypti nocte illa, percutiamq́; omne primogenitum ab homine vsq; ad pecus. Erit autem sanguis vobis in signū in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti.* Quod autē in his plagis expressum est, idem quoque intelligere oportet esse factum in alijs, vbi est tacitū. Cur autem Scriptura id primum exponere voluerit in quarta plaga, & in tribus prioribus tacuerit, rationem quādam reddit S. August. ita scribēs: Quod hic aperuit Scriptura, ne vbique diceret, intelligere nos voluit idem & in posterioribus, & in prioribus signis factum esse, vt terra, quam habitabant Hebræi, nullis plagis talibus vexaretur. Opportunum autem fuit, vt ibi hoc primum apertè poneretur, vnde cœperunt signa, quibus Magi nec similia fecerunt, nec facere conati sunt. Quousque ergo deficerent Magi,

Septima quæstio, An illæ plagæ omnibus tunc in Aegypto versantib. contingerint.

S. August. q. 26. in Exodum.

Magi, nihil de distinctione habitationis Hebræorum, & Aegyptiorum dictum est: sed ex quo cœperunt ea fieri signa, in quibus Magi similia facere, ne conari quidem ausi sunt. Sic Augustinus.

74. *Plagas illas nō accidisse aduenis & peregrinis in Aegypto.* Nec verò illæ plagæ contigerunt aduenis & peregrinis, qui alijs ex regionibus in Aegyptum varias ob causas venerant. Nimirum plagæ illæ consultò inferebantur propriè Aegyptijs, ob eorum propria & grauissima scelera aduersus Deum & gentem Hebræorum: non igitur conueniens fuit externos, taliū scelerum expertes, participes illarum plagarum fieri. Nam, si qui non erant Aegyptij, percussi fuissent illis plagis, non liquidò enotuisset, plagas illas inflictas esse à Deo irato Aegyptijs, & peccata eorum vindicante. Quin illud fit credibile, externos homines, qui tunc erāt in Aegypto, cum tam atroces plagas cernerent, dubitātes de totius regionis exitio quamprimum ex Aegypto abijsse.

75. *An omnib⁹ Aegyptijs contigerint illæ plagæ.* Sed num omnibus Aegyptijs plagæ illæ acciderint? sicut non omnium par fuit culpa, ita nec pœna; sed prout maiora erant, minoraùe peccata eorum cōtra Deum & Hebræos, ita maiorem, minorèmue dolorem, atque detrimentum ex plagis capiebāt. Nam, vt iustè postea

Deut. 25. sancitum est lege Mosis, pro mensura peccati, esse debet plagarum modus. Quare plagis illis maximè omnium percussus est Pharao: namque aliorum omnium mala, præter eius propria, etiam in ipsum redundabant. Proximi ab eo fuere Principes & consiliarij eius, secūdum hos, fuerunt præfecti operum, qui iussa regis crudeliter exequentes, proximè Iudæos affligebant. Extremo loco fuit plebs, & qui de populo vel conferebant aliquid ad vexationem Iudęorum, vel certè eorū calamitatibus gaudebant. Si qui autem Aegyptiorū nihil in Iudæos peccauerant, eos fuisse liberos ab illis plagis satis est verisimile. Dixi, verisimile, quia sic clarius apparebat, plagas illas inferri à Deo ob peccata Aegyptiorum aduersus Hebræos. Alioqui non est id necessarium: interdum enim in generali punitione alicuius gētis vel ciuitatis, solent boni simul cum malis iisdem calamitatibus & miserijs affici: quemadmodum durissimæ captiuitatis & seruitutis Babylonicæ Hebræorum, cùm alij viri boni, tum duo innocentissimi & sanctissimi Prophetæ, Daniel & Ezechiel participes fuerant: idq; facturum se, Deus minatus est ciuitati Hierusalem, dicens: *Occidam in te iustum & impium*. Verum super hac quæstione, An videri possit iniquū, innocentes homines propter aliorū peccata puniri, copiosè disputatum à nobis est, tū in secundo Tomo Commentariorū nostrorum in Genesim, libro 14. tum in tertio Tomo, super caput 18. Genesis. *Locus Ezechiel. 21.*

76. *An Aegyptij habitātes in terra Gessen vnà cū Hebræis, senserint illas plagas.* An verò Aegyptij habitantes in terra Gessen vnà cum Hebræis, cōprehensi sint plagis illis, vocari posset in dubiū. S. Augustinus in quæst. 44. in Exodum, putat illos fuisse intactos illis plagis, prę ter vltimam. Nam in prioribus plagis terra varijs calamitatibus percutiebatur, à quibus libera fuit terra Gessen, atque eam inhabitantes: in decima verò plaga, non terra, sed homines, vbicunque locorum in Aegypto essent, percutiebantur. Augustini verba sunt huiusmodi: Ab hac decima plaga nō sunt putandi immunes fuisse Aegyptij, qui habitabāt in terra Gessen: hominū quippe erat, vel animalium ista plaga, non terræ; id est, homines, & animalia primogenita moriebantur occulto, & angelico percussu: non autem aliquid in terra vel in cœlo factum erat, sicut rana, vel locusta, vel tenebræ, vnde qui habitabāt terram, affligerentur. A talibus enim plagis cum terra Gessen fuisset aliena, proculdubio perueniebat beneficium ad eos Aegyptios, qui in eadem terra cum Hebræis morabantur. Hæc Augustinus. Cuius tamen sententia non est planè certa; immo probabilius videtur Thostato, Aegyptios qui habitabant in terra Gessen, fuisse plagis illis percussos: tū quod omnes Aegyptij gentilitiò quodā odio & malignitate insectarentur Hebræos: tum quod ea re putarent illi maximam se inire gratiam à Pharaone, & quod perniciem Hebræorum ingenti bono suturam sibi sperarent. Habitasse autem Aegyptios in terra Gessen vnà cū Hebræis, ostendimus in 4. Tomo in Genesim, super cap. 47. ad numerum marginalem 8. *S. August.*

Si quispiam quærat cur Deus tā lentè 77.

Cur Deus tã lentè processit in puniẽdis Aegyptijs. & per interualla varijs plagis punierit Aegyptios, cùm eos posset vna plaga perdere vniuersos, vel cogere ad dimittendum Hebræos; respondebo, causam eius rei fuisse, maximam Dei benignitatem & longanimitatem, qui multiplicando plagas, & prorogando eorum exitium, opportunũ eis impertiebatur tempus ad resipiscendum & pœnitendum. Et hanc causam exponit Scriptura in libro Sapientiæ in cap. 11. & 12. & in
Locus Psal. 7. Psal 7. Deus vocatur iudex iustus, & fortis, & patiens. Iustus, quia neminem iniustè punit: fortis, quia nullus punitionẽ eius effugere potest: patiens, quia diu pœnas differt, & paulatim punit. Deinde, quò illustrior fieret declaratio diuinæ omnipotentiæ in multiplicatione prodigiorum. Ad hæc, in grauiorem pœnã Aegyptiorum, quibus lenta punitio, acerbior erat. Ac demum, quo exploratior esset contumacia & obstinatio Pharaonis; qui exemplum fuit hominum reproborum, qui quò pluribus flagellis à Deo percutiuntur, hoc magis obfirmantur, & obdurantur in peccatis.

78. Sed quomodo in istis plagis se gessit
Quemadmodum se gesserit Pharao, cum illis plagis p ceteretur. Pharao? Variè admodum atque inconstanter: interdum enim valde contumaciter, & superbè atque impiè. Nam cùm Moses, Dei nomine, denuntiaret ei, vt dimitteret populum, sicut dictum est Exodi 5. respondit superbissimè: *Quis est Deus? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Deinde, nec per primam plagam, nec tertiam, nec quintam, nec sextam emollitus est, sed in sua perstitit cõtumacia: at in secunda plaga, & in quarta, & in septima atq; octaua & nona, nõnihil emollitus est & flexus, & similis resipiscenti ac pœnitenti factus: siquidem rogauit Mosem, vt fusis ad Deum suũ precibus remoueret plagam, dicẽs: *Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt sacrificet Domino.* *Exodi 8.* Quin etiam confessus est peccasse se, dicens Exodi 9. Mosi & Aaron: *Peccaui etiam nunc; Dominus iustus, & ego & populus meus impij. Orate Dominum vt desinant tonitrua, & grando: vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis.* In dimittendo etiam populo Hebræo ad sacrificandum Deo, variè se gessit. Primo concessit vt sacrificarent tantùm in Aegypto, vt patet Exodi 8. Deinde vt extra Aegyptum irent, sed relinquerent in Aegypto mulieres, vt patet Exodi 10. Adhæc vt irent etiam mulieres, sed relinquerent animalia, vt ibidem dicitur. Denique, vt omnes cum omnibus suis rebus abirent ex Aegypto, Exodi 12. Sed his quæstionibus in commune de plagis Aegypti cursim expositis, ad proprium singularum plagarum tractatũ, explicatumque veniamus.

DECIMATERTIA disputatio.

De prima plaga, id est, de aquarum conuersione in sanguinem.

SVPER ILLIS VERBIS.

Et eleuans virgam, percussit aquam fluminis corã Pharaone & seruis eius: quæ versa est in sanguinem. *Versu 19.*

MOSES in describendo hãc primam plagam, sex super ea plaga res docet nos: primò, omnes aquas Aegypti, qualescunque, & vbicunq; essent, conuersas esse in sanguinem, cùm ait versu 19. *Extende manum tuam super aquas Aegypti, & super fluuios eorum & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, tam in ligneis vasis quã in saxeis.* Deinde, omnes pisces, qui erãt in aquis, computruisse. Sic enim ait versu 21. *Et pisces qui erant in flumine, mortui sunt, computruitque fluuius.* Adhæc, plagam hanc pertinuisse ad omnem terrã Aegypti, vbicunq; erant aquæ: ait enim tam in versu 19. quàm in 21. *Et fuit sanguis in tota terra Aegypti.* Non igitur terra Gessen libera fuit ab hac plaga, quantum ad aquas, & potum Aegyptiorum. Præterea, Magos simile prodigium fecisse, aquam vertendo in sanguinem; *Fecerunt*, inquit Scriptura versu 22 *similiter malefici Aegyptiorum incantationibus suis.* Præter hæc, Aegyptios fodisse puteos circa flumen in remediũ sitis: quod indicant 79.

indicant illa verba versus 24. *Foderunt omnes Aegyptij per circuitũ fluminis aquã vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis*. Denique significat Moses, plagã hanc durasse septem dies, dicẽs versu 25. *Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium*. Verũ super historia huius plagæ nonnullæ quæstiones tractandæ sunt.

80. *Cur prima plaga facta est ĩ aquis.* Prima quæstio, cur initium plagarũ factũ est ab aqua, & ab aqua Nili? Philo huiusmodi reddit rationem; Quoniam Aegyptij præ cæteris rebus, honorabãt aquam, tãquam rerum omnium primã, & principium; idcirco Deus eam primò ad castigandos, plectendosque noxios adhibuit. Sic ille. Meritò autem Aegyptij puniuntur in aquis Nili: primùm ꝓpter varias execrandæ impietatis cæremonias, ab Aegyptijs in Nilo celebrari solitas, vel circa cultũ Apis, & crocodilorũ, de quo vide Solinum c. 35 & Plinium lib. 8. c. 46. vel quia Nilo, ob aliarum aquarum penuriam, & quod is plurimas, ingentesq; commoditates Aegypto præberet, diuinos honores tribuebant; simulq; ad deprimendã eorum arrogantiam, & frangendam fiduciã, qui de hoc flumine plurimũ gloriabãtur, & propter hunc, se beatos iactabant. Sed præcipua causa fuit, vt qui Hebræos in aquis Nili maiorem in modum afflixerant, eorũ infantes in flumen proijciendo; per ipsum quoque Nilum vehementer cruciarentur, vt sceleri pœna respon deret, sicut scriptũ est Sapientiæ 11. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*. His cõ sona sunt, quę scribit Theodoretus q. 19. in Exodum. Cur, inquit, primam aquæ plagam intulit Deus? quia valde gloriabantur Aegyptij de flumine suo, & hũc pro Deo habebant: vt qui parem vsum illis præberet, atque nubes cœli. Deinde propter pueros Iudæorum in illum demersos: fluuius enim ille mutatus in sanguinem, velut conquerebatur de cæde puerorum per Aegyptios commissa. Sic Theodoretus. Perbellè quadrat in hanc plagam, quod scriptum est in Apoc. c. 16 de tertio Angelo, qui effudit phialam iræ Dei super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis; & dixit Angelus: *Iustus es Domine, qui es, & qui eras, qui hoc indicasti: quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinẽ eis dedisti bibere, digni enim sunt.*

Solinus. *Plinius.* *Locus Sapiẽtiæ 11.* *Theodoret.* *Locus Apocal. c. 16.*

81. *Quãta fuerit acerbitas primæ plagæ. Philo.* Secunda quæstio, Quàm acerba & noxia fuerit hæc plaga? Grauitatem & acerbitatem eius bene declarat Philo in primo libro de vita Mosis, hæc scribẽs: Mosis fratre percutiente virga fluuium, continuò in sanguinem vertitur, quàm longus est ab Aethiopia vsque ad mare: Idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus, & omnibus Aegypti aquis euenit, vt deficiente aqua potabili, ripas nemo peteret: & nouas venas aperientibus, pro limpido liquore sanguis emanaret, tanquam è vulnere. Piscium quoque genera extincta sunt cuncta; vitali facultate versa in pestiferam; vt fœtore complerentur omnia, putrescentibus simul tot corporibus. Hominum quoque siti enectorum magnus numerus iacebat in triuijs; non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia. Per septem autem dies hoc malum durauit, donec Aegyptijs suppliciter Mosem inuocantibus, & illo deprecante, Deus cum sit exorabilis, misertus est pereuntium: mutauitque sanguinem in aquam dulcem, redditis amni fluentis salubribus, qualia prius fuerant: Hęc Philo. Quorum similia in lib. 2. Antiquitatum scribit Iosephus. Primò, inquit, amnis sanguineis fluentis prolabens, ad potus inopiã eos redegit, cum præter aquam fluminis nullum fontem habeant. Nec coloris tantùm id erat vitium: sed si quis siti coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur. Eratque talis aqua solis Aegyptijs: Hebręis verò dulcis ac potabilis, & omnino pristinam naturam retinens. Sic Iosephus.

Iosephus. *Idẽ tradit Plinius lib. 6. c. 29.*

82. *Cõtra Philonem quod nõ totus Nilus versus sit in sanguinem.* Verùm quod Philo dixit totum Nilum ab eius origine ad eius exitum in mare, fuisse in sanguinem conuersum, necrationi, nec sacrę Scripturæ consentaneum est. Etenim cũ magna pars Nili supra Syenem, & introitum eius in Aegyptũ, alias Gentes, vt Aethiopes præterfluat; si totus esset in sanguine versus, ea plaga non solum Aegyptijs, propter quorum peccata infligebatur, verũ etiã alijs Gentibus, quæ taliũ peccatorũ aduersus Hebræos participes nõ fuerant, discretè contigisset; qđ nequaquã credibile est. Deinde Scriptura expressè dicit,

est, sanguinem fuisse in omni Aegypto, non autem extra Aegyptũ; & inde afflictos esse vehementer Aegyptios, nõ aũt alias gentes. Hoc autem quod dicimus, si verum est, vt est profectò verissimũ, ex eo apparet, fuisse miraculum illud multò maius, quàm primo aspectu æstimari possit. Nam si totus fluuius esset versus in sanguinem; semel factum esset miraculum, & aliquandiu continuatum: sed q a pars superior fluminis ante ingressum in Aegyptum, puras & naturales aquas ferebat; vbi verò attingebat fines Aegypti, continuò vertebatur in sanguinem, necesse profectò fuit, miraculum istiusmodi conuersionis, subinde multiplicari. Nec mirum accidat cuiquam qđ Scriptura ait, mortuos esse oẽs pisces q erant in aquis: nam si fluuius cõputruerat, vt inquit Scriptura, necesse fuit, locum illum piscibus pestilentem atq; exitialem reddi. Et cum ea sit piscium natura, vt extra aquam nõ viuant, quod tale elementum, secundum qualitates & virtutes suas, sit generandis piscibus atque cõseruandis naturaliter conueniẽs ac salubre: sanguis verò tũ propter crassitudinem, tum propter caliditatẽ, alienus & noxius est locus piscibus, elucet, cur pisces tunc mortui fuerint. Atque hinc etiam æstimare licet detrimentum eius plagæ: piscium enim vsus erat vulgarissimus & cõmunissimus cibus Aegyptiorum, & propter incredibilem copiam, nullius fermè pretij; quod indicat querimonia illa Hebræorum in solitudine dicentium: *Recordamur piscium, quos in Aegypto comedebamus gratis.* *Locus Numer.c.11.*

Tertia quæstio: Si omnis aqua Aegy-
83. pti per Aaron versa est in sanguinem, vndenam Magi habuerunt aquam illã, quam & ipsi mutasse dicuntur in sanguinem? *Vnde Magi habuerĩt aquã, quã & ipsi mutarint in sanguinẽ.* Nouem respondendi huic quæstioni rationes, à varijs traditas auctoribus, reperio. Primum responsum. Magos vertisse aquam in sanguinem non statim, vt id fecit Aaron, sed post septẽ dies, nimirum postquam Moses sanguinem rursus mutauit in aquam. Secundum responsum. Licet in omnibus alijs Aegypti locis omnis aqua esset in sanguinem conuersa: attamen in terra Gessen, vbi Hebræi habitabant, aquæ fuerunt intactæ: Inde igitur Magi allatam aquam mutare in sanguinem potuerunt. Hæc duo responsa breuiter tradit Augustinus in quæst. 23. in Exodum, ita *S. August.* scribens: Quæstio est, vnde Magi aquã in sanguinem verterũt, si tota aqua Aegypti in sanguinem conuersa iam fuerat: Vnde intelligendum est, regionem, in qua filij Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: & inde potuerunt incantatores aquam haurire, quã in sanguinem verterent ad solam demonstrationem Magicæ potentię. Quã quam potuerunt etiam, postquam illa compressa sunt, id fecisse: sed Scriptura citò narrando coniunxit, quod etiã postea fieri potuit. Sic Iustinus. Sed neutrũ responsum videri cuipiam posset admodum probabile: non quidem prius; siquidem verisimile est, Magos quo magis ꝓdigiorum Mosis eleuarent, & suam Aegyptijs sapientiam atque potentiam ostentarent, voluisse statim facere similia eorum, quæ fecerat Aaron: dilatio enim, quasi minoris potentiæ argumentum, & auctoritatem ipsis, & factis ipsorum fidem magna ex parte abrogasset. Nec verò posterius responsum videtur probabilius: nam & Scriptura clarè dicit in hoc capite, fuisse sanguinẽ in omni terra Aegypti, nullam terram excipiens; ergo plaga illa pertinuit etiam ad terram Gessen: alioquin excepisset eã, sicut in alijs plagis excepit. Adijce, qđ si in terra Gessen fuissent intactæ aquæ, illuc accurrissent Aegyptij ad bibendũ; nec tantoperè siti laborassent, & cruciati fuissent: & Aegyptij, qui etiam illic habitabant, & qui fuerant crudeliores in Hebræos, vt suprà ostendimus, immunes ab hac plaga fuissent.

Tertium responsum. Solas aquas 84.
dulces & potabiles fuisse versas in sanguinem, hoc enim ad Aegyptios puniendos, & affligendos pertinebat. Potuerunt itaque Magi ex mari, quod in proximo erat, aquam allatam, in conspectu Pharaonis & Aegyptiorum, vertere in sanguinem. Hoc responsum tradit Theodoretus in quæst. 20. in Exodum, scribens hoc modo: *Theodor.* Si vniuersa aqua mutata est in sanguinem, quomodo Aegyptiorum incantatores suis maleficiis idem fecerunt, quod Moses? Erat illis mare proximum: fluuialis autem

tem

tem aqua tota conuersa erat in sanguinem: licebat igitur illis, aquam è mari allatam in domum regiam, in colorem sanguineum conuertere: Deo nempe id concedente propter iam dictas causas supra in quæst. 18. Prædicebat autem Moses supplicia, quæ illaturus erat: ne existimare possent casu contigisse, sed intelligerent esse plagas, ipsis propter ipsorum peccata, à Deo illatas. Hæc Theodoretus. Idem responsum tradit eidem

S. August. quæstioni B. Augustinus initio 7. Epist. & verò non est improbabile responsum.

85. *Hebræi apud Lyranum.* Quartum responsum est Hebræorũ, quod Lyranus refert his verbis: Dicunt Hebræi, non omnes Aegypti aquas fuisse conuersas in sanguinem, sed solam aquam fluminis, & quæ inde manabat ad riuos & paludes, & quæ inde hausta fuerat in vasis: præter hanc autem erant aliquæ aquæ fontium in Aegypto, quæ non erant conuersæ in sanguinem, & aquam inde allatam Magi conuerterunt in sanguinem. Sed hoc videtur contrarium textui Scripturæ, quæ apertè dicit, omnes aquas, siue in flumine, siue in riuis, siue in paludibus, siue in lacubus, siue in vasis, versas esse in sanguinem, & in tota Aegypto fuisse sanguinem: & idcirco siti coactos, fodisse in circuitu fluminis vt reperirent aquam, nec tamẽ reperisse nisi sanguinẽ, vt tradit Iosephus. Si autem habuissent ex fontibus aquas potabiles, non est verisimile, quod fodissent circa fluuiũ in sanguinẽ cõuersum.

Quintum responsum, quorundam aientium, licet Scriptura dicat, omnes aquas Aegypti esse conuersas in sanguinem, id tamen non esse omninò & simpliciter intelligendum, sed quod maxima pars aquarum fuerit versa in sanguinem, ita vt aquæ non conuersæ, propter paucitatem, pro nihilo ducerentur. Non rarò enim Scriptura vtitur signis vniuersalibus, non vniuersaliter, sed pro maxima parte accipiendis, sicut in libro Genesis 42. dicitur, ex omnibus prouincijs in Aegyptum venisse homines emptum triticum. At enim generalis Scripturæ sententia, non est, sine euidenti causa, restringenda, præsertim quæ liquidò ostendit, generalem Aegyptiorum punitionẽ à Deo illatam. Nam, cur obsecro, si maximam aquarum partem Aaron conuertit in sanguinem, non itidem conuertisset paucas illas aquas, quas isti dicunt ab ista plaga fuisse immunes?

Sextum responsum Caietani est, affirmantis, omnes quidem aquas fuisse cõuersas in sanguinẽ, at non omnes simul: 86. *Caietanus.*
sed primò flumen Nili, deinde riuos è Nilo profluentes, postea lacus & paludes, deniq; aquas, quæ in vasis erant ligneis & lapideis. Postquam igitur Aaron virga sua percussum Nilum vertit in sanguinem, potuerũt statim Magi ex alijs aquis facere simile prodigiũ. Adde, quod Scriptura tantùm dicit, aquas positas in vasis ligneis & lapideis esse conuersas in sanguinem; poterant autẽ aquæ esse in alijs vasis, vt testaceis & metallicis, vasa dico ærea, ferrea, argentea. Verba Caietani hæc sunt: Non est intelligendum, fuisse hunc effectum interitus piscium, & putrefactionis fluminis, tunc præsente Pharaone apud flumen, sed postea. Moses enim, more suo, scribit prius ex integro effectus, quãuis postea subsecutos. Quod ideò adnotandum duximus, vt hinc habeatur, quod in prõptu supererat aqua, quam Magi Pharaonis, verterunt in sanguinem: Solus enim fluuius versus erat tunc in sanguinem. Et quemadmodum nominans Scriptura tantùm vasa lignea & lapidea conuersa in sanguinem, significauit exempta esse vasa testacea, & si qua erant metallica: Ita aquæ puteales exemptæ fuerunt illæ, quæ erant putei in potentia: nam expressè dicitur in textu, quod Aegyptij foderunt circa flumen ad habendum aquam pro potu, quia de aquis riui non poterant bibere. Et quoniam Scriptura Aegyptios tãtùm nominat hac plaga percussos, innuit, eam plagam Hebræis non accidisse: modus autem, quo ex hac plaga euaserunt, nõ est scriptus. Hactenus Caietanus. Sed non video, cur eadem virtute diuina, qua flumen, percussum virga Aaron, versum est in sanguinem; non simul item aliæ aquæ Aegypti in sanguinem versæ fuerint; præsertim cum id apertis verbis doceat Scriptura: quæ nominans vasa lignea & lapidea, etiam alia in quibus erant aquæ, intelligi voluit: nisi fortè non esset mos Aegyptiorum, in alijs vasis quàm ligneis

& la-

& lapideis aquas in vsus domesticos habere. Nec mihi placet, historicam narrationem sacrę Scripturæ, aliter interpretari, quàm fert series narrationis, & significatio verborum eius; nisi fortè quid sit, quod euidenter obstet. Septimū responsum, sanguinem factum per Aarō, Magos vertisse in aquam, eamq; rursus mutasse in sanguinem. Sed hoc minimè omnium probabile est: non enim Deus concessisset Magis potestatem destruendi miraculum suum: magna enim fuisset in ea re tentatio ad non credendum, diuina potentia miraculum illud fuisse factum.

87. Octauum responsum B. Iustini Martyris aientis, omnes aquas Aegypti, quæ super terram erant, fuisse in sanguinem conuersas: Aegyptios tamen circa flumen fodisse puteos, & hausta inde aqua, se, suaque animalia sustentasse: atque huiusmodi aquam Magos conuertisse in sanguinem. Verba Iustini in Responsione ad vigesimam septimam quæstionem Orthodoxorum, sic habent: Si omnes aquæ in sanguinem à Mose mutatæ sunt, qui potuit fieri, vt postea idem prodigium facerent incantatores Aegyptiorum. Alterutrum enim esse falsum necesse est, quia alterum destruit alterū. Respondet huic quæstioni ad hunc modum Iustinus; Omnibus aquis, quæ super terram erant, in sanguinem versis; cogebantur Aegyptij circa flumen fodere puteos, & inde hausta aqua, se ipsos & animalia sustentare. Huiusmodi porrò aquam incantatores verterūt in sanguinem. Et miracula quidem facta per Mosem & Aaron, cum diuina essent virtute edita, facta sunt per naturæ rei propositæ, in naturam eius, quod efficiebatur, mutationem. At quæ ab incantatoribus facta sunt, Dæmonum opera sunt facta, qui spectātium oculis eas prestigias offuderunt, vt qui serpens non esset, eum viderent quasi serpentem; & non sanguinem, quasi sanguinem; & non ranas, quasi ranas. Sic Iustinus.

Iustinus Martyr.

Nonū respōsum Lyrani & Thostati, arbitrātiū, aquā illā à Magis versam in sanguinē, fuisse extra Aegyptū, & latenter Dæmonum opera tunc allatam in conspectum Pharaonis: nec ad id longo fuisse opus tempore, propter incredibilem celeritatem atque agilitatem Dæmonum.

Lyranus et Thostatus.

Mihi, ex supradictis responsis, duo vltima præ ceteris probantur. Nam quod scripsit Genebrardus super Psalmū 114. etiam marinas aquas esse versas in sanguinem, planè dissonum est à sacra historia, quæ percensens distinctè omnes aquas versas in sanguinem, de aqua marina nullum verbum facit, non vtique si factum id esset, tacitura, cum longè maius id fuisset miraculum. Satis item apparet plagam hanc esse factam in aquis tantum potabilibus, vt siti cruciarentur Aegyptij.

Aquas marinas nō esse versas in sanguinē, vt putauit Genebrardus.

Quarta quæstio, primam hanc plagam, septem dies durasse, indicant extrema illa verba huius capitis: *Impletiq; sunt septem dies; postquam percussit Dominus fluuium.* Quocirca meritò quæritur, Quomodo septem dierum sitim tolerare potuerint Aegyptij, ac non prorsus omnes interierint. Tripliciter huic quęstioni responderi potest. Primum responsum est Eusebij Cæsariensis (vt citatur in Catena in Exodum super hoc loco) negantis plagam illam durasse sep̄tē dies, sed vna tantùm die: supradictis autem verbis Scripturæ significari post primam hanc plagam præterijsse septem dies vsque ad secundam plagam. Sed nō videtur probabile hoc responsum. Si enim vno tantùm die, aut etiam minori tempore durasset ea plaga, non tantus profectò fuisset Aegyptiorum cruciatus, quantum fuisse, hoc loco significat Scriptura, dicens vehementer afflictos esse Aegyptios, ac siti vrgente coactos esse circa flumen fodere, vt aliquantum aquæ potabilis reperirent, & sitis ardorem si non extinguere, aliquantulum certè possent mitigare. Eusebio autem apertè Philo aduersatur scribens, septiduanam fuisse illam plagam. Alterum responsum est Iustini Martyris in Responsione ad quæstionem 26. Orthodoxorū, aientis, Aegyptios tempore illius plagæ fodisse propter flumen puteos, & aliquātulum aquæ inuenisse; qua se, suaq; animalia, ne omnino perirent, aliquo modo sustentarunt, & hoc responsum satis est probabile. 88.

Quomodo non omnes Aegyptij perierint ex illa septiduana siti.

Eusebius.

Philo.

B. Iustinus.

Tertium est respōsum Thostati, quod ego proprijs eius verbis exponam. Is enim 89.

Thostatus

enim tractans quæstionem nonam super hoc caput 7. Exodi, hunc in modum scribit: Aqua, quam Aegyptij fodiebant circa flumen, non erat vera aqua, sed erat sanguis, qui de sanguine fluminis promanans subterraneo meatu, per arenas colabatur, & attenuabatur, & purgabatur, aliquantulũ perdens sanguinis crassitiem, & colorem, & saporem: solet enim color & sapor aquarum mutari excolatione, & propter terras quas pertrãseunt; vt aqua salsuginosa, vel amara, perdit saporem illum, transiens per aliã terram, vel in toto, vel in parte: idq; manifestum fit frequentibus experimentis in aqua marina, quæ salsa est: infusa enim in vasa quædam cerea, exuens salsedinem, fit dulcis ac potabilis, cera videlicet salsuginem ebibente atque consumente. Illum igitur sanguinem percolatum, &c. ad similitudinem aquæ perductum, ob idque tolerabilem in potu, bibebant Aegyptij. Notum enim est ex multis historijs, necessitate famis ac sitis vrgente, etiam vilissima & spurcissima bibisse ac comedisse homines, secundũ illud Iob capite 6. *Animæ esurienti etiam amara dulcia videntur. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Hactenus ex Thostato: cuius mihi videtur propior vero sentẽtia. Sed vtcunque res sese habeat, non est dubitandum, quin permulti Aegyptiorũ pręsiti perierint: quod perspicuè docet Philo illis verbis: Hominum siti enectorum magnus numerus aceruatim iacebat in triuijs, non sufficientibus domesticis, ad sepulturæ officia, per septem enim dies hoc malum durauit. Sic Philo.

Locus Iob cap. 6.

Philo.

90. Sed illo septiduo quid biberunt Hebræi? namque in terra Gessen quam illi habitabant, etiam omnes aquas esse versas in sanguinem, suprà docuimus. Sed respondemus, in hoc fuisse alterum ingens miraculum. Nam aquæ illæ sanguineæ, Aegyptijs haurientibus & potantibus, erant intolerandi saporis, &c. noxiæ bibentibus; at Hebræis haurientibus, & bibere volentibus, continuò restituebantur pristinæ naturæ, colorem, & saporem, & virtutes aquæ recipientes. Audi Iosephum in libro secundo Antiquitatum idipsum comprobantem his verbis: Si quis Aegyptiorum siti coactus gustaret de sanguineo flumine, cõfestim acerrimis doloribus corripiebatur: sed erat talis aqua solis Aegyptijs, Hebræis autem, dulcis ac potabilis, &c. omnino pristinam naturam retinens. Sic Iosephus.

Iosephus.

91. Quinta quęstio: Dauid in Psalmo 77. memorans hanc plagam, sic ait: *Conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent.* Quomodo Dauid dixerit, imbres Aegypti fuisse versos in sanguinem, cum Moses harum plagarũ spectator, & princeps Auctor, omnes aquas nominans in sanguinem versas, nullam pluuialis aquæ faciat mentionẽ. Et verò imbres non cadunt in Aegypto, vt Philo tradit lib. 3. de vita Mosis, &c. Plinius lib. 6. & Mela lib. 3. cap. 9. idque non obscurè significatur Deuteronomij cap. 11. illis verbis: *Terra quam ingrederis possidendam, non est, sicut terra Aegypti, de qua existi vbi iacto semine in hortorum morem aqua ducuntur irrigua: sed montuosa est, & campestris, de cœlo expectans pluuias.* Nilus enim Aegyptijs vicem præstat nubium atque imbrium; copiosè ac tempestiuè superfluendo, non eam solum irrigans, sed etiam oblimans atq; fœcundans: quamobrem Aegyptij (vt Philo tradit) pluris faciunt, plusq; honorant Nilum, quàm cœlum. Non latuit hęc difficultas B. Augustinũ: is enim supradicta verba Dauidis tractãs in Cõmentarijs suis in Psalmos, monet pro *imbribus*, potius vertendum fuisse (manationes aquarum) sic enim, inquit, Nõnulli melius intelligunt & interpretãtur græcam vocem, quæ est in eo loco, τὰ ὄμβρήματα, quas Latinè scaturigines dicimus, ab imo aquas ebullientes: foderunt enim Aegyptij, & sanguinem pro aquis inuenerunt. Sic ibi Augustinus. Addit Iansenius, Idem esse nomen Latinis (imber) quod Græcis ὄμβρος, siue ὄμβρημα, mutata littera o, in, i: proinde meritò intelligendum esse, locum illum Dauidis ita vt exposuit Augustinus. Dicitur enim ὄμβρος, ab ὁμοῦ καὶ βρέω, hoc est, à simul fluere, quod etiam conuenit aquis ab imo scaturientibus. Hebræam certè vocem, quam Latinus interpres illic vertit *imbres*, alij ex Hebræo verterunt riuos, vel fluenta, quemadmodum ex Hebræo conuertit sanctus Hie-

Locus Psal mi 77.

Philo.
Plinius.
Mela.
Locus Deuteron. c. 11.

S. August.

Iansenius.

Hieronymus. Latinus etiam interpres in Pſalmo 104. vbi hæc ipſa plaga iterũ memoratur,nõ imbres vertit,ſed aquas, illis verbis: *Conuertit aquam eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum*. Ergo imbres dixit, non propriè, ſed vniuersè atque indifferenter pro quibuslibet aquis.

92. *An Magi fecerint verũ ſanguinem ex aqua.* Sexta quæſtio. An ſanguis, qui ex aqua dicitur factus à Magis, fuerit verus ſanguis, an verò ſpeciem tantum ſanguinis habens, & ſenſus hominum fallens. Iuſtinus Martyr in reſponſione ad quæſtionem 26. Orthodoxorum,ſcribit, *S.Iuſtinus.* ſanguinem factum per Aaron ex aqua, fuiſſe verum ſanguinem; ſanguinẽ verò à Magis exhibitum, non fuiſſe verum, ſed præſtigioſum, & fallacem, ſic enim ſcribit: Quæ ab incantatoribus Aegyptiorum facta ſunt, ea Dæmonum opera ſunt facta, qui ſpectantium oculis tales præſtigias offuderunt,vt qui ſerpens non eſſet, eum viderent quaſi ſerpentem, & non ranas, quaſi ranas. Sic ille. Sed reclamare videtur Scriptura, dicens in hoc capite: *Fecerunt ſimiliter malefici incantationibus ſuis*. Si autem ſanguis eorum non fuiſſet verus,quomodo ſimile feciſſent ſigno Aaron? nam ſi non erat verus ſanguis, non igitur ſimiliter fecerunt atque Aaron. Siquidem ille veritatem ſanguinis, hi tantùm ſpeciem atque inanem ſimilitudinem fecerunt. Sed quomodo ſanguis ille verus *Auguſtin⁹* à Magis tunc exhibitus fuit? S. Auguſtinus libro 3.de Trinitate, cap.8. & in lib.83 quæſtionum,quæſt.79. ſignificat, Magos generaſſe ſanguinem illum ex aqua, non ſua poteſtate, ſed Dæmonum adiutorio; quo etiam modo putat virgas Magorum verè conuerſas fuiſſe in ſerpentes. Sed hoc perdifficilè eſt, non ad credendum modo, verùm etiam ad intelligendum. Cùm enim ſanguis, ſit corpus quoddam mixtum, & naturæ admodum diuerſæ ab aqua, quo modo immediatè potuit ex ſimplici elemento aquæ generari; cùm ne intra ipſum quidem animal aqua vertatur in ſanguinem, ſicut Medicorum pariter atq; Philoſophorum ſententia conſtat? Deinde, cum ſanguis ſit proprius animaliũ, nec niſi intra aĩal, & per facultates animalis generabilis; non poteſt per vllam naturalem potentiam, extra ipſum animal verus ſanguis generari. Illud igitur videtur, hic etiam, dictu probabilius, quod ſuprà docuimus, cùm diſputaremus de virgis Magorum in ſerpentes conuerſis, non fuiſſe ſanguinem illum ex aqua tunc generatum, ſed opera Dæmonum aliundè latenter allatum; & ſubtracta aqua inuiſibiliter, ſtatim in eius loco exhibitum oculis ſpectãtium; ita vt ſenſus eorum iudicaret, aquam fuiſſe conuerſam in ſanguinem. Atque ita quoque Lyranus & Thoſtatus ſentiunt. Dicet aliquis; Ergo non ſimiliter fecerunt Magi atque Aaron; quod tamen ait Scriptura; Aaron enim aquam conuertit in ſanguinem, per Magos autem, nulla prorſus in aqua mutatio facta eſt. Reſpondeo, Magos feciſſe ſimiliter, non quantum ad omnia, ſed quantum ad aliqua: non fecerunt ſimiliter quantum ad conuerſionem aquæ in ſanguinem; ſed fecerunt ſimiliter, quantum ad exhibitionem veri ſanguinis. Qui autem dicunt, ſanguinem illum Magorum non fuiſſe verum, nihil fecisse Magos, ſimiliter atque Aaron, poſſunt oſtendere, neque quantum ad conuerſionem aquæ in ſanguinem, neque quantum ad veritatem ſanguinis.

Septima quæſtio, Quo modo ceſſauit hæc prima plaga? Nihil de modo ceſſationis eius ſcripſit Moſes in hoc loco. Philo tradit humili ſupplicatu Aegyptiorum permotum Moſem, deprecatũ eſſe Deum,&, auertiſſe plagã. Hæc ſunt verba Philonis: Per ſeptem dies hoc malum durauit, donec Aegyptijs ſuppliciter Moſem inuocantibus & illo deprecãte, Deus miſertus eſt pereuntiſi. Is enim cuius infinita bonitas ſemper eſt exorabilis, mutauit ſanguinem in aquam dulcem, redditis amni fluentis ſalubribus, qualia prius fuerant. Hæc Philo. Ioſephus autem ait, Pharaonem, cum miſerandum Aegyptiorum cruciatum ob hanc plagam vidiſſet, feciſſe poteſtatem Hebræis abeundi ad ſacrificandũ Deo, & ita ceſſaſſe plagam: ſed mox facti pœnitentem, reuocaſſe diſcedendi facultatem. Sic autem ſcribit Ioſephus: Quo miraculo rex, inops conſilij, timens incolumitati gentis, permiſit Hebræos abire: cumq; malum ceſſaſſet, rurſum ad pri-

93. *Quomodo ceſſauerit prima plaga.* *Philo.* *Ioſephus.*

ſtinam

ſtinam mentem rediit, ſententiam ſuam reuocans. Sic ille. Sed Moſes, qui in alijs plagis apertè docuit, quemadmodum ceſſauerint, ſi in hac prima plaga ita ceſſaſſet, vt Philo, vel Ioſephus tradunt, id quoque dixiſſet: nulla enim ratio fuit, tacere hoc in prima plaga, & in alijs dicere. Similius igitur vero eſt, quod tradit Thoſtatus, & alij, primam hanc plagam per ſeptem dies duraſſe, vſque ad ſecundam; & inflictionem ſecundæ, fuiſſe finem primæ. Itaque ceſſauit non rogatu Pharaonis vel Aegyptiorum, nec deprecatu Moſis, ſed voluntate Dei, volentis Aegyptios nouis ſubinde, varijsq; plagis punire.

Thoſtatus.

94. Octaua quæſtio, Quis fuerit affector iſtius plagæ, vel vt verius loquar, adminiſter diuinę potētię in efficiendis iſtiuſmodi plagis? Nam non vnus idemque fuit omnium iſtarum plagarum effector & adminiſter, vt ſupra etiam diximus, prima enim plaga, ſanguinis, & ſecunda ranarum, & tertia ciniphum, factæ ſunt per Aaron, vt patet capite 7. & 8. Exodi. quarta plaga, muſcarum, & quinta, peſtis, neque per Aaron, neq; per Moſem factæ memorantur, ſed à Domino; non tamen ſine inuiſibili Angelorum miniſterio. Sexta plaga vlcerum, & ſeptima tonitruum & fulgurum atque grandinis, & octaua locuſtarum, & nona triduanarum tenebrarum, per Moſem factæ dicuntur capite nono & decimo Exodi. Demum decima plaga cædis primogenitorum, à Domino facta dicitur, ſed miniſterio Angelorum. Moſes porrò & Aaron ad iſtas plagas efficiendas vtebantur quaſi inſtrumento, extenſione manus & virgæ, vel ſuper aquas & terram, vel verſus aëra & cœlum. Ponam hic verba Philonis, quibus ab eo ſimilia horum traduntur: ſic enim ſcribit libro primo de vita Moſis: Decem pœnæ inflictæ ſunt Aegyptijs: vt qui in peccando nihil ſibi reliquum fecerāt ad ſummam malitiam, punirentur modis omnibus, perfectoque pœnarum numero ferirentur. Nec verò pœnarum genera fuere vulgaria: Nam elementa mundi, Terra, Aqua, Aër, & Ignis, conſpirarunt in impios, Deo vindice: ad declarandam, videlicet, eius potentiam, ea, quibus ad creationem, ſalutemque rerum vſus eſt, vertentis, quando libet, in perniciem impiorum. Huiuſmodi pœnæ, trifariam diſtributæ ſunt: tres pertinentes ad craſſiora elementa, Terram, & Aquam, ex quibus conſtant corpora cū ſuis qualitatibus, Aaron commiſſa ſunt: totidem ſoli Moſi, quas inflixit per Ignē & Aërem, vnde animarum origo præcipua. Vna vtrique communis, ordine ſeptima. Tres reliquæ ad complendum denarium Deo ſeruatæ ſunt. Sic Philo.

Quæ plaga per Aaron, & quæ per Moſem, & quæ per neutrum inflictæ ſint.

Philo.

95. Quæſtio nona: Cuius rei hæc plaga figura fuerit, ſecundum myſticam intelligentiam? B. Auguſtinus fecit tractatum de conuenientia decem plagarum Aegypti, cum decem præceptis Decalogi, qui fertur in operum eius Tomo nono. In principio eius tractatus comparat primum Decalogi præceptum cum hac prima Aegyptiorum plaga, & ad hanc ſententiam ſcribit: Non eſt ſine cauſa fratres dilectiſſimi, quod præceptorum Dei numerus, cum plagarū numero, quibus Aegyptus percutitur, exæquari videtur. Nam ſicut decem præcepta ſunt legis, quibus ad cultum Dei populus admonetur, ita decem plagæ legūtur, quibus ſuperbia Aegyptiorum affligitur. Conſideremus ergo, cur & ibi decem præcepta, & hic decem plagæ memorantur. Ideo ſine dubio, quia in illis erant vulnera, & in iſtis medicamina: & opus erat, vt tam periculoſis plagarum vulneribus, decem præceptorum medicamēta ſubuenirent. Primum itaque præceptum in lege eſt de vno Deo: *Non erunt*, inquit, *tibi alij Dij præter me.* Exodi 20. Prima plaga Aegyptiorum fuit aqua conuerſa in ſanguinem. Compara primum præceptum primæ plagæ: & Deū vnum, ex quo ſunt omnia, in ſimilitudinē aquæ accipe, ex qua generantur vniuerſa. Ad quam autem rem pertinet ſanguis, niſi ad carnem & naturam mortalem? Quid eſt igitur conuerſio aquæ in ſanguinem, niſi quia illi, qui credere in Deū verū noluerunt, ita obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, vt gloriam Dei transferrent ad res carnales & corruptibiles? Aqua ergò in ſanguinem vertitur, quia ſenſus Aegyptiorū tenebroſus efficitur. Et iuſto Dei iudicio factum eſt, vt de illo fluuio ſanguinem biberent, in

Myſtica expoſitio primæ plagæ. S. Auguſt.

quo

quo infantium Hebræorum sanguinem fuderant. Sic ibi Augustinus. Ergò secundum Augustinum, aquam in sanguinem verti, est, homines carnales atq; insipientes, indignè sentire de maiestate Dei, eiusq; gloriam attribuere animalibus et lapidibus, vt faciebāt Aegyptij.

96. *Quibus rebus quis peccat, per eas sæpe punitur.* Quid prætereà est, aquam Aegyptijs verti in sanguinem, nisi peccatores, quibus rebus offenderunt Deum, per eas res à Deo puniri? Et vnde voluptatem atq; vtilitatem & gloriam captabant, inde maxima detrimenta & dedecora, & cruciatus percipere? *Locus libri Iudicum, cap. 1.* Legimus initio libri Iudicum, captum fuisse ab Hebreis regem Adonibezec, & punitum cæsis summitatibus manuum eius ac pedum. Quam pœnam respondere meritis suis agnoscens ille, dixit: *Septuaginta reges amputatis manum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Iezabel quoque, vt traditur 3. Reg. 21. & 4. Reg. cap 9. in illa ipsa vinea Naboth, propter quam lapidari eum fecerat, interijt præcipitata, & à canibus lacerata. *2. Reg. 18.* Absolon quoque capillis suis, quibus valde gloriabatur, suspensus perijt, lanceis transfixus.

97. Sed quid est, quod Aegyptij dicuntur, cùm non possent bibere de flumine, circumfodisse puteos, vt aquam potabilem reperirent? repererunt autem aut nihil, aut perparum aquæ puræ. Hoc significare videtur, veteres Philosophos, cum eos puderet Theologiæ antiquorum Poëtarum, vt Orphei, & Musæi, & Hesiodi atque Homeri, qui de Dijs absurda, atque etiam homine indigna commenti fuerant, auersantes eorum Theologiam, varios puteos foderunt, id est, varias condiderunt sectas, vt veram diuinarum rerum scientiam reperirent. Verùm partim eorum lutulentam & sordidam aquam repererunt, qualis est Epicureorum disciplina: partim potabilem quidem aquam, sed non planè mundam, verùm non paucis erroribus admixtis, conspurcatam; vt videre est in Platonicorum & Stoicorum secta: Partim demum aquam ferè puram inuenerunt, sed perpaucam, & quæ naturalem hominum sitim noscendi diuina, sedare, nedum explere, ac penitus extinguere non posset. Quod sanè in Aristotelis Philosophia animaduertere licet.

BENE-

BENEDICTI PERERII IN CAPVT OCTAVVM EXODI, DISPVTATIONES SEPTEM.

Exponuntur tres sequentes plagæ, hoc est secunda, quæ fuit ranarum: & tertia Ciniphum, in qua defecerunt Magi: & quarta, quæ fuit muscarum.

CAPVT OCTAVVM EXODI.

DIXIT quoque Dominus ad Moysen: Ingrede- *Versu* 1.
re ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit
Dominus: Dimitte populum meum, vt sacrificet
mihi: * Sin autem nolueris dimittere, ecce ego per 2.
cutiam omnes terminos tuos ranis. * Et ebulliet 3.
fluuius ranas: quę ascendent & ingredientur domum tuam, & cu
biculum lectuli tui, & super stratum tuum, & super domos seruo-
rum tuorum, & in populum tuũ, & in seruos tuos, & in reliquias
seruorum tuorum: * & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes 4.
seruos tuos intrabunt ranæ. * Dixitq; Dominus ad Moysen: Dic 5.
ad Aaron: Extende manum tuam super fluuios ac super riuos &
paludes, & educ ranas super terrã Aegypti. * Et extendit Aaron 6.
manũ super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque
terrã Aegypti. * Fecerunt autẽ & malefici per incãtationes suas 7.
similiter, eduxeruntq; ranas super terram Aegypti. * Vocauit au- 8.
tem Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt
auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt sacri
ficet Domino. * Dixitq; Moyses ad Pharaonem: Constitue mi- 9.
hi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt
abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo
tuo: & tantùm in flumine remaneant. * Qui respondit: Cras. At 10.
ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam: vt scias quoniam nõ est
sicut Dominus Deus noster. * Et recedẽt ranæ à te, & à domo tua, 11.
& à seruis tuis, & à populo tuo: & tantùm in flumine remane-
bunt. * Egressiq; sunt Moyses & Aaron à Pharaone, & clamauit 12.
Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat
Pharaoni. * Fecitq; Dominus iuxta verbum Moysi: & mortuæ 13.
sunt

sunt ranæ de domibus,& de villis,& de agris. * Congregauerūtq;
14. eas in immensos aggeres,& computruit terra. * Videns autē Pha
15. rao quod data esset requies,ingrauauit cor suum, & non audiuit
16. eos,sicut præceperat Dominus.* Dixitq; Dominus ad Moysen,
loquere ad Aaron: Extende virgā tuā,& percute puluerē terræ:
17. & sint ciniphes in vniuersa terra Aegypti.* Feceruntq; ita.Et ex
tendit Aaron manū,virgamq; tenens,percussitq; puluerē terrę,et
facti sunt ciniphes in hominibus & in iumentis,omnis puluis ter
18. ræ versus est in ciniphes per totam terrā Aegypti. * Feceruntq;
similiter malefici incantationibus suis,vt educerent ciniphes, &
non potuerunt: erantq; ciniphes tam in hominibus,quàm in iu-
19. mentis. * Et dixerunt malefici ad Pharaonē: Digitus Dei est hic.
induratumq; est cor Pharaonis,& non audiuit eos sicut præcepe
20. rat Dominus. * Dixit quoq; Dominus ad Moysen: Consurge di-
luculo,& sta corā Pharaone: egredietur enim ad aquas: & dices
ad eum. Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum vt sacri-
21. ficet mihi. * Quod si nō dimiseris eū,ecce ego immittā in te,& in
seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus
muscarum: & implebuntur domus Aegyptiorum muscis diuersi
22. generis, & vniuersa terra in qua fuerint. * Faciamq; mirabilem in
die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi
23. muscæ: & scias quoniā ego Dominus in medio terræ. * Ponamq;
diuisionem inter populum meum & populum tuum: cras erit
24. signum istud. * Fecitque Dominus ita. Et venit musca grauissi-
ma in domos Pharaonis & seruorum eius,& in omnem terram
25. Aegypti: corruptaque est terra ab huiuscemodi muscis. * Voca-
uitque Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Ite & sacrificate
26. Deo vestro in terra hac. * Et ait Moyses: Non potest ita fieri:
abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo
nostro? quod si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij coram
27. eis, lapidibus nos obruent: * viam trium dierum pergemus in so-
litudinem: & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit
28. nobis. * Dixitque Pharao: Ego dimittam vos vt sacrificetis Do-
mino Deo vestro in deserto. Verumtamen longius ne abeatis,
29. rogate pro me. * Et ait Moyses: Egressus à te orabo Dominum,
& recedet musca à Pharaone, & à seruis suis,& à populo eius
cras: verumtamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum
30. sacrificare Domino. * Egressusque Moyses à Pharaone, orauit
31. Dominū. * Qui fecit iuxta verbum illius, & abstulit muscas à
Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius: non superfuit ne vna
32. quidem. * Et ingrauatum est cor Pharaonis,ita vt ne hac quidem
vice dimitteret populum.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

De secunda plaga Aegypti, quæ fuit ranarum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 6. Et extendit Aaron manum super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Aegypti.

HAec secunda plaga septem dieb⁹ post prima facta est: sic enim extremis verbis precedentis capitis scriptũ est: *Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.* Proximo autem post die subsecuta est hæc secunda plaga, continens innumerabilem multitudinem ranarum, omnibus in locis molestissimè infestantium Aegyptios: quam ranarum copiã significauit Scriptura illis verbis versu 3. *Et ebulliet fluuius ranas.* Pro quo septuaginta verterunt; *Eructabit*; Hebræum verbũ; *Saraz*, significat, modo pisciũ & reptilium, numerosissimè multiplicari. Nonnulli verterunt: Scatebit fluuius ranis. Iam verò plaga hæc aptissimè respondet peccato Aegyptiorum, qui Hebræorum infantes in aquis interemerãt, miserandis eorum clamoribus nullo modo ad misericordiã flexi: quamobrem meritò per ranas
Theodoret. puniuntur. Infantes namque ranis, incessu, quodã modo assimilantur, vt ait Theodoretus: nam quia nõdum solis pedibus vti possunt, manibus etiam adhibitis, supplent pedum imbecillitatem. Verùm, vt de prima plaga, itidem de hac secunda nonnullæ quæstiones tractandæ sunt.

1. Triplex genus ranarum. Plinius. Prima quæstio: Quales fuerint illæ ranæ? Præter ranas vulgò notissimas in aquis viuentes, alia duo insigniora, nec omnibus nota ranarũ genera tradit Plinius: quarum, alterum earum ranarum est, quas vocant rubetas; alterum earum quas vocant calamitas. Rubetæ, sic appellatæ, quòd in rubetis & dumetis, & inter vepres viuant, quas Græci phrynos vocant; sunt ranarum omnium grandissimæ, geminis veluti cornibus, plenæ veneficiorum. Mira de istis tradunt, sed fabulosa, auctores: illatis in populum, continuò silentium fieri: officulo, quod est in dextro latere, iniecto in aquam feruentem, refrigerari vas, nec postea feruere; Canum impetus cohiberi: & alia, quæ narrat Plinius lib. 32. ca. 5. idemq; lib. 8. cap. 31. ait omnes rubetas & in terra, & in aqua viuere, plurimis refertas medicaminibus, quæ deponant quotidie ac resumant à pastu venena, tantùm sibi reseruantes. Alterum genus ranarum est, quas vocant calamitas, quod inter arundines & frutices versentur. Est rana hęc omnium minima & viridissima: sic enim de ea scribit Plinius, lib. 32. cap. 7. & 10. Est parua rana in arũdinetis & herbis maximè viuens, muta, & sine voce, & viridissima. Si fortè hauriatur, ventres boum distendit: cuius corporis humorem, oculis inunctis claritatem afferre, carnesque doloribus oculorũ mederi. Cùm igitur tria sint, vt diximus, ranarum genera, ex quo genere fuisse ranas illas Aegyptiacas putandum est? Si verba Scripturæ attendas, videntur aut solum fuisse primi generis, id est, aquatiles, aut certè maxima in parte. Etenim Scriptura in hoc capite aquatilium duntaxat ranarum meminit, dicens versu 3. *Ebulliet fluuius ranas.* Et versu 6. *Et extendit Aaron manum super aquas Aegypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq; terram Aegypti.* Nihilominus tamen equidem reor, etiam ranas, supradictas rubetas, fuisse tunc immissas in Aegyptios; vt pote quæ sint etiam aquatiles, nec solùm molestæ, verùm etiam noxiæ, ac veneniferæ. Ob idque ad infestandos & cruciandos Aegyptios accommodatissimæ.

Secunda quæstio, quàm fuit hæc plaga Aegyptijs grauis & acerba? Scriptura hoc capite intolerabilem declarat molestiam accidisse Aegyptijs ex innumerabili multitudine ranarum, omnia eorum loca replentium, omnesque res inuadentium atque fœdantium: sic enim ait versu 3. *Et ebulliet fluuius ranas: quæ ascendẽt & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in seruos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te, & ad populum tuum, & ad oẽs seruos tuos intrabũt ranæ.* Sedem *2. Quãta fuerit acerbitas huius plagæ.*

plenius ac distinctius molestias & incō-moda, & mala istarum ranarum enarrāt Philo & Iosephus. Vix Aaron manum extenderat, cum ranarum tanta vis prorepsit, vt non solùm fora compleret, ac loca subdiualia; verùm & domos, & villas, & cuncta ædificia tam sacra quàm profana, tā priuata quàm publica, haud secus ac si genus hoc aquatiliū missum esset in diuersi elementi coloniam; natura mutante rerum vicissitudines; Terra quippe contraria est aquæ. Itaque cum nec foras progredi posset homines, viis oppletis, nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationē redacti sunt. Sic Philo. Iosephus verò hunc in modum ait: Ranarum vis immensa terram Aegyptiorū populabatur: refertus erat & fluuius, vt aqua inde nonnisi sanie ranarum vitiata hauriri posset; immorientibus earum plerisque atque putrescentibus. Plena erat & terra turpi limo ex quo enascebantur, & in quem rursus resoluebantur. Quia & domesticū victum fœdabant, in esculentis atque poculentis nusquam non repertæ, & in cubilibus quoque passim oberrantes; ita vt omnia fœterent, putore è ranis mortuis exhalante, infecta. Hæc Iosephus. Omnes itaque sensus ranæ illæ mirū in modum infestabant & cruciabant: visum, innumerabili multitudine, enormiq; magnitudine, & coloris atque figuræ deformitate: auditum, continuis, & molestissimis coaxationibus, nullam dantes quietem: gustatum, quod esculentis omnibus atque poculentis insidentes, ea conspurcabant & corrumpebant: odoratum, teterrimo fœtore, quem exhalabant: ac demum ipsum tactum, quòd plures earum noxiæ ac venenatæ essent. Fabulantur etiam Hebræi, ranas illas non extrinsecus modò infestas fuisse Aegyptijs, sed intrinsecus etiam; intrātes videlicet corpora & viscera eorum, per os apertum dormientium, & per alios meatus. Sciat porrò Lector etiam sine miraculo Diuinæ omnipotentiæ, vt tūc in Aegypto factum est, contigisse aliquando, à ranis vastari integras ciuitates, populosque patrijs & natiuis sedibus exterminari. Plinius lib. 8. cap. 29. Varronem laudat auctorem, à quo proditum sit, à ranis ciuitatem quandam in Gallia vastatā esse. Et Paulus Orosius extremo capite libri tertij, narrat, Cassandro, post mortem Alexandri Magni, Macedoniam tenente, Abderitas intoleranda ranarum multitudine, patrio solo exactos, & antiquis sedibus expulsos, nouas sedes in Macedonia petijsse à Cassandro. Athenæus lib. 8. cap. 2. mira scribit de ranarum pluuia, quæ in terra Pæonia facta est. Vide quæso, ea, Lector, sunt enim non modò permira, sed eorum quæ hic traduntur de ranis Aegyptiacis persimilia.

Philo. — *Iosephus.* — *Oēs quinq; sensus ranæ infestabāt.* — *Clades ciuitatum & populorum à ranis.* — *Orosius.*

3. Tertia quæstio. Vnde tanta vis & multitudo ranarum repentè tūc exorta? Nō solùm ex aquis, in quibus erant antea, eductæ sunt, non enim illæ opplendis Aegyptiorū locis omnibus suffecissent: quanquam inficiari non possumus, ingentem esse copiam aquatilium in Aegypto, propter stagnantes multifariam Nili aquas. Maxima itaque ranarum multitudo per Dei potentiam tunc producta est: quarum ingentem fuisse multitudinem ex eo licet conijcere, quòd illæ postea mortuæ, in magnos cōgestæ sint aceruos, vt Scriptura indicauit illis verbis: *Congregauerunt eas*, ranas, *in immensos aggeres*. Nam quæ erant aquatiles, eas putandum est ad aquas, è quibus eductæ fuerant, denuò fuisse reductas, cum Moses amouit plagam illam. Nec verò existimandum est, ranas illas sponte naturæ suæ, ex aquis egressas venisse in domicilia Aegyptiorū: quomodo enim ex omnibus aquis Aegypti, & quibusdā longè distantibus, tam citò venire potuissent? Sed quemadmodum in exordio mundi Angelorum ministerio, cunctæ animantes ductæ sunt in cōspectum Adam: & postea, imminente diluuio, ad Noë in Arcam itidem adductæ sunt; & post diluuium dispersæ sunt per omnes terras & insulas: consimili etiam ratione, tūc ranæ in omnes Aegyptiorum habitationes per Angelos immissæ sunt.

Vnde tanta ranarū multitudo. — *Genes. 2.* — *Infrà 6.*

4. Quæstio quarta super oratione Pharaonis rogantis Mosem, vt depulsionem ranarū ab Aegyptijs impetraret à Deo suo: quam orationem narrat Scriptura his verbis: *Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum,*

Oratio Pharaonis ad Mosem.

pulum, vt sacrificet Domino. Dixitq; Moses ad Pharaonem: Constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ: Qui respondit; Cras. Versu 8. Ante omnia consideret Lector, quemadmodũ intolerandam Pharaonis superbiam Deus mirabiliter depresserit: Nam qui paulò ante dixerat; *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum & Israel non dimittam*: is nunc supplex ambit gratiam Mosis, vt pro se interueniat apud Deũ. Idem multis post sæculis accidit superbissimo regi Nabuchodonosor, qui propter superbiam, admirabili Dei vindicta, transformatus est in bestiam, quantum ad victum, & cultum corporis, & habitationem: & post septennium huius supplicij, resipiscens, dixit verba illa: *Nunc ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico regem cœli: quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius, iudicia sunt; & gradientes in superbia potest humiliare.* Cæterùm quæret fortasse quispiam, cur Pharao non similiter orauit Mosem pro depulsione primæ plagæ? Philo & Iosephus aiunt, eum orasse, & propter deprecationem Mosis, ablatam esse plagam: sed nobis contrarium supra visum est probabilius. Respondemus itaque, hanc secundam plagam multò molestiorem fuisse, quàm primam, prima enim vno tantùm malo sitis affligebat; quod multifariam si non tolli, certè minui, & mitigari poterat. Etenim diuites & potentes Aegyptiorum, penuriam aquæ compensabant potu vini, & aliorum quorundam potabilium liquorum: plebs autem partim succis herbarum, partim fodiendo terram circum flumen, & inuenta vel aqua pura, licet modica, vel sanguinea, sed per arenas purgata & colata, ob idque potabili. At secunda hæc plaga per omnes sensus, & sine intermissione, & vbique locorum, & grauissimè infestabat & cruciabat Aegyptios, nec ei vlla via, & ratione occurrere, & mederi poterant. Nam eorum incantatores, potentes quidem erant ad producẽdas ranas, sed non ad remouendas.

Exodi 5.

Danielis 5.

Cur Pharao non orauit Mosem pro depulsione primæ plagæ.

Cur Pharao depulsionem plagæ distulit in crastinũ.

Sed cur Pharao, cùm ei Moses optionem dedisset, quando plagã vellet amoueri, ipse depulsionem plagæ distulit in diem crastinum? Nimirum, voluit ille sic experiri, an per se deficerent ranæ, tanquam illuc casu illatæ: an potius tanquam diuina virtute inductæ, non sine eadem virtute amoueri possent. Quocirca Moses permisit arbitrio Pharaonis, quo tempore vellet ranas amoueri; vt omnem adimeret ei suspicionem artis magicæ, vel astrologicæ, quæ ad operandum certas quasdam spectat cęli constellationes, & definita quædam expectat atque obseruat tempora. Mosem verò tam promptè ac facilè polliceri ranarum depulsionem, cum id non in sua potestate esset, sed in Dei potentia, non fuit temeritatis, vel arrogantiæ: sciebat enim, datam sibi à Deo amplissimam potestatem faciendi omnia, quæ ad perficiendam Hebræorum liberationẽ quoquo modo pertinerent: ideò enim Deus ei dixerat: *Constitui te Deum Pharaonis.* Nec Moses tentauit Deum, præfiniendo certum tempus operationi diuinæ, cum promisit depulsionem ranarum in diem crastinum: Quod tamen Iudith exprobrauit senioribus Bethuliæ, qui deliberauerant dedere ciuitatem Assyrijs, nisi intra quinque dies, Deus eis subuenisset. Hæc enim verba dixerant populo: *Hos quinq; dies expectemus à Deo misericordiam. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba quæ locuti estis.* Quorum deliberationem & cõsilium grauissimis verbis reprehendit Iudith, dicens: *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius, qui excitet iram, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei?* Verum non similis ratio fuit Mosis: is enim frequentissimè ac familiarissimè loquens cũ Deo, & optimè conscius voluntatis Dei, & ab eo traditæ sibi potestatis, sapienter, & piè, ac religiosè dixit & fecit hæc omnia.

Loc⁹ Iudith cap. 7. & 8.

5. Quæstio quinta, cuius rei figura fuit plaga ranarum? Mystica huius secundæ plagæ interpretatio, variè traditur à Doctoribus. S. Augustinus in libro de conuenientia decem præceptorum cum decem plagis Aegypti, ait, ranas illas similitudinem gessisse Philosophorum, atq; Hæreticorum. Sic enim scribit: Secundum præceptum est: *Non assumes nomen* *Dei*

Mystica expositio secũdæ plagæ.

S. August.

Exodi 20.

Dei tui in vanum. Qui enim acceperit nomen Dei sui in vanum, nō mundabitur. Nomen Domini nostri, veritas est: *Ioan. 14.* ipse enim dixit; *Ego sum veritas*. Et quia veritas mundat, vanitas inquinat, videamus huic secundo præcepto contrariam secundam plagam. Quæ est ista secunda plaga? Ranarum abundantia: in ranis Philosophi intelligūtur & Hæretici. Habes congruenter signatam Philosophorum & Hæreticorum prauitatem, si consideres ranarum loquacitatem. Philosophi enim & Hæretici, quia in Christo humana omnia esse dicunt, ranæ sunt clamantes in limosis paludibus. Per superbiam & inanes contentiones, strepitum vocum habere possunt, doctrinam verę sapientiæ non possunt insinuare. Qui em̄ Christianæ veritati contradicunt, & in sua vanitate decepti decipiūt, ranæ sunt: tædium quidem afferentes auribus, nullos autem præbētes cibos mentibus. Sic *Idem Augustinus.* Augustinus. Idem in sermone 87. de Tempore, docet per ranas esse figuratos Poëtas gentiles, ita scribens: Secunda plaga, in qua inducuntur ranæ, indicari figuraliter arbitror carmina Poëtarū: qui inani quadam & inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus similes, mundo, deceptionis fabulas intulerunt. Ad nihil enim animal illud vtile est, nisi quòd sonum vocis improbis & importunis clamoribus reddit, Hæc Augustinus. Hanc ipsam figuram Poëtarum expressius & luculentius declarauit *Rupertus.* Rupertus, lib. 1. Commentariorū in Exodum, cap. 32. his verbis: Mandatum *Exodi 20.* legis est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*: huius mandati prçuaricatoribus, opprobrium fœditatis præfiguratū fuit in ranis Aegyptiacis. Qui sunt enim vaniloqui isti, qui nomen Dei in vanum assumunt, nisi maximè loquaces Poëtæ, non solùm in fluuijs Aegyptiorum, sed in ceterarum quoque gentium paludibus fabulantes atque coaxantes. Et qui iustius comparantur fœditati ranarum, quàm Poëtæ perstreprentes in theatris ridicula figmenta fabularū? Hi planè assumunt nomen Dei in vanum, cum adultero Ioui, & meretriculæ Veneri, nomen Diuinitatis adscribunt. Et illæ quidē ranæ permolestæ fuerunt, ascendentes & ingredientes domum regis, & cubiculum lecti eius, & super stratum eius, & in furnos eius, & in reliquias ciborum eius: istæ autem ranę, id est, fabulosi Poëtæ, corporaliter aures, lectitādo, & oculos gesticulando delectauerūt; sed animis exitiales fuerunt. Ita Rupertus.

6. *Gregorius Nyssenus.* Gregorius Nyssenus de vita Mosis, ranas istas facit figuram voluptuosæ ac luxuriosæ vitæ: Est enim rana animal ancipitis vitæ, in aquis & in terra viuens; in cœno & luto commorans, deformis aspectus, & tetri fœtoris; quæ aquis non mundatur, sed magis inquinatur; importunè loquax, & in omnes Aegyptiorum habitationes penetrans, eorumq́; omnia conspurcans & fœdans. Talis profectò est turpis voluptas, siue carnalis & voluptuosa vita, Cereri, & Baccho, & Veneri mancipata: hæc omnes mundi huius amatores possidet; hæc omnia eorum cogitata, dicta, & facta commaculat. Homo voluptuosus, ambigu⁹ & dubius videtur inter hominem & bestiam: figuram hominis gerit, sed bestiæ vitam agit: tractat sæpe diuina, sed quia impurus est, & impurè tractat, illis ipsis rebus magis inquinatur, quàm mundetur: exemplo vitæ suæ fœtet omnibus. Hæc immunda ranarum multitudo domos eorum, qui Aegyptiacè, id est, vitiosè viuunt, inuadit. In mensis eorum abundat, in lectulis assidet, in penetralibus eorum inuenitur. Verè namque sordida & luxuriosa vita ex fœtido passionum limo generata, dubium quoddam animal est, aquaticum scilicet ac terrestre. Secūdum naturam homo est, qui ita viuit: secūdum electionem verò, ac mores, pecus, pecudeq́; sordidior. In huius muris & aulæis diuersæ ad luxuriā animi picturæ, & in vasis sculpturæ impressæ, nequitiam eius ostentant: quarum rerum aspectu, animus excitatur ad turpes cupiditates, probrosi spectaculi visione ad animum vsque, passionum æstu perueniente. Similiter si mēsas aut lectos, voluptuosi & luxuriosi hoīs considerabis, idē ipsum inuenies. Quod si abdita & interiora huiusmodi hominis, non dico vascula & capsulas, multis enim ea patent, & conuenientia sunt turpitudini vitæ, sed mentis secreta, & intimos animi recessus ac latebras introspicere posses, coacervatarū ranarum putredinem reperires.

At

At modesti hominis, etiam oculus mundus est, & hæc, quæ ad luxuriam incitant, spectacula respuit. Mensa quoque similiter tenuis est & frugalis, non ingenti carnium aut piscium onerata congerie. Hactenus ex Nysseno.

SECVNDA DISPVTATIO.

De tertia plaga, quæ fuit ciniphum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 17. Extendit Aaron manum, virgam tenens, percusitque puluerem terræ; & facti sunt ciniphes in hominibus & in iumentis: omnis puluis terræ versus est in ciniphes.

7. IN hac plaga Moses, secus quàm in duabus prioribus non præmonuit Pharaonem, nec venturam ei plagam prænunciauit: fortasse quod indignus erat propter ingens perfidiæ atque ingrati animi crimen. Is enim nec præstitit fidem, quam Mosi dederat de dimittendis Hebræis, si ranis liberaretur: nec Deo, qui tam citò, prout ipse optauerat, & petierat, plagam ranarum depulerat, obtemperare voluit. Pertinet autem hæc tertia plaga ad elementum terræ, sicut duæ priores ad elementum aquæ. Aegyptij enim dupliciter afflixerant vehementer Hebræos; tum infantes eorum necando in aquis; tum in durissimis terræ, id est, luti & laterum operibus vexãdo. Iustè igitur per aquam & terram puniti sunt. Dicitur autem hoc loco, omnis puluis terræ versus in ciniphes per hyperbolicam locutionem, ad significandum maximam eorum copiam: quæ figura orationis nec infrequens est in Scriptura, & frequentissima est in vulgari consuetudine loquendi: de cuius vi atque vsu legenda sunt, quæ scribit Seneca libro septimo de Beneficijs, capite vigesimo tertio: Fuit verò hæc plaga in omni terra Aegypti non simpliciter, sed vbicunque locorum erant Aegyptij, vel eorum iumenta. Iam verò super hac plaga, similiter atque super prioribus, quæstiones aliquot tractandæ sunt.

8. *De vocabulo ciniphes.* Prima quæstio de nomine isto Ciniphes. Vox Hebræa est, *Chinnim*, Chaldaica est, *Chalmeta*; LXX Interpretes græcè verterunt *σκνῖπες*: & sic legit Philo & Origenes. Augustinus in quæst. 25. in Exodum. Et in libro de Conuenientia decem præceptorum cum decem plagis Aegypti, legit sciniphes, sicut est in multis Biblijs Latinis. Idem in sermone 87. de tempore, & in Locutionibus libri Exodi legit scyniphes. Sic etiam habent Biblia græca Romana. Latina Biblia Sixtiana hoc loco habent sciniphes. In multis etiam codicibus vetustis græcis legitur *σκνίφες*. Quoniam igitur, vel quia nouum hoc genus animalium, tunc productum à Deo est, vel quia interpretes sacræ Scripturæ non inuenerũt apud Græcos & Latinos vocabulum hebræo congruenter respondens, idcirco retinuerunt vocem hebræam, paullum tamen inclinatam ac demutatam.

9. *Quodnam animal fuerint ciniphes.* *Philo.* Quid animalis fuit illud quod vocant ciniphes? Exponam varias super ea re auctorum opiniones, variasque huius animalis descriptiones; & ordiar à Philone. Is primo libro de vita Mosis, tertiam hanc plagam describit his verbis: Deus aquis cessare iussis, terrestrem pœnam induxit, eodem vsus castigatore Aaron. Qui vbi terram virga percussit, tot ciniphes ex ea profusi sunt, vt velut extensa nubes, totam obumbraret Aegyptum. Est autem id animal, molestissimum, quamuis sit minutissimum. Nam non solùm superficiem cutis lædit pruritu noxio, verumetiã ad interiora p, aures, naresque penetrat: inuolat in oculos, nisi quis caueat: sed qui caueri tunc poterant, tot eorum dira examina? Sed quæret fortasse aliquis, cur Deus tam minutis & vilibus animalibus ad vindictam vti maluerit, quàm vrsis, pardis, & leonibus, cæterisque feris carniuoris: aut si hæ non placebant, saltem familiaribus Aegypto aspidibus, quarum morsus, & subitam, & ineuitabilem affert mortem? Is, si nescit, discat, Deum voluisse Aegyptios castigare, non è medio tollere. Nam si eos omninò delere voluisset, nõ opus erat animalib⁹, sed diuinitùs *Cur Deus in vindictam Aegyptiorũ vsus sit paruis animalib⁹.*

immissa fame aut pestilentia. Homines quidem cùm bella gerere volunt, auxilia sibi consciscunt potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant. Deus verò, omnipotens, & nullius egens, si quando vult, tanquam instrumentis quibusdam vti ad exigenda supplicia, non valida eligit, sed vilia, paruaque, atque ita noxios plectit; quod tunc etiam Aegyptijs accidit, quid enim ciniphe vilius? Tamen tantum effecit, vt tota Aegyptus deficiens, exclamare cogeretur. Hunc esse Dei digitū: manus enim eius, ne à tota quidem terra, quanta quanta est, imo nec à mundo vniuerso sustineri posset. Hæc Philo.

10. *Iosephus ciniphes interpretatur pediculos: quē sequitur hebrai, & Caietanus atque Oleaster.*

Iosephus autem libro 2. Antiquitatū, hunc in modum scribit: Rursum Deus alia clade in hominem fraudulentum vindicat. Pediculorum enim magna vis è corporibus Aegyptiorum scatebat; à quibus mali malè perdebantur: & neque lauacris, neque medicamentorum vnctionibus extinguere eos valebant. Qua noua peste turbatus rex, nec magis ipso periculo, quàm eius fœditate ac turpitudine territus, nequā cùm esset, ægrè dimidiata ex parte resipuit Sic Iosephus. Et hæc Iosephi de pediculis sententia, tam Hebræorum, quàm Hebraizantium communis est opinio. Huic etiam maximè adhæret Caietanus, ita scribens hoc loco: Dictionem Hebraicam interpres Latinus reliquit intactam: & alij intelligant esse quasdam subtiles muscas, aculeo, quasi terebro lædentes: alij verò pediculos. Et quoniam Hebræorum est hic sensus, & dictio hebraica est, nota etiam mulierculis Hebræis, quo ad illius primitiuum Chinnah, idcirco amplectendus est. Pediculorum itaque exuberantia tanta, vt defensioni locum non relinqueret, intelligitur in hac tertia plaga tam hominibus, quam bestijs. Ita Caietanus. Ad eandem sententiam Oleaster sic ait: Aliqui vertunt Ciniphes: sed ex materia, de qua facti sunt, scilicet de puluere terræ, quæ est eiusdem coloris cum pediculis, videtur melius esse, pediculos vertere. Et dictionis quidem Chinnim, id est, pediculi, non inuenitur singulare in sacris litteris; sed apud Hebræos Doctores inuenitur Chinnah. Hæc Oleaster. Verùm istam opinionem de pediculis, improbabilē facit narratio ipsa Mosis describentis hāc plagam: ait enim ex puluere terræ percussæ generatos fuisse ciniphes: at pediculi ex ipso humano corpore generantur: sicut etiā Iosephus supradictis verbis scripsit, dicēs per hāc plagā scaturisse pediculos è corporibus Aegyptiorum; infideliter profectò historiam sacram commemorans, quę non ex corporibus Aegyptiorum, sed ex puluere terræ generatos esse ait ciniphes.

Oleaster.

Infidelis sacræ historiæ commemorator Iosephus.

11. *Origenes.*

Origenes super hoc Exodi loco ita describit ciniphes. (sic enim appellat ipse) Hoc, inquit, animal pennis suspenditur per aëra volitans: sed adeo subtile ac minutum est, vt visum, nisi acutè cernentis, effugiat: corpus tamen, cùm insederit, acutissimo terebrat stimulo; ita, vt quē volitantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem. Sic Origenes: qui per huiusmodi animal significari ait Dialecticam, quæ minutis & subtilibus verborum & argumentorum stimulis animas terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus nec videat, nec intelligat. S. Augustinus idem prorsus, atque ijsdem verbis tradit de hoc animali in sermone 87. de tempore, vt dubium non sit, quin ab Origene mutuatus fuerit. Idem antea in libro de Conuenientia decem præceptorum Dei, & decem plagarum Aegypti, sic describit hoc animal: Ciniphes nati sunt in terra Aegypti de limo, muscæ minutissimæ, inquietissimæ, & inordinatè volantes, in oculos irruentes, non permittentes homines quiescere: dum abiguntur, iterū irruunt; dum expulsæ fuerint, iterum redeunt. Hæc Augustinus. Albertus Magnus lib. 26. de Animalibus scribit, huiusmodi animalia, corpore quidem esse vermes, capite autem & alis esse muscas: habere in ore aculeum, quo pungunt & sugunt; palustribus nasci locis, & animantium spiritus, sed humanos maximè consectari. Ita Albertus. Suidas ait esse animal culicare, & ligna exedens. Ego arbitror, istos ciniphes nō fuisse pediculos, quod paulò supra in Iosephum, aliosque eius sectatores argumenratus sum. Fuisse autem reor vel animal nouum, tunc primum à Deo productum, aut nobis certè incompertum: sed tale prorsus, quale descriptum est à Philone, & alijs, de quibus

S. August.

Albertus Magnus.

Suidas.

Auctoris coniectura.

bus dudum diximus, infestissimum videlicet ac nocentissimum homini.

12. *Mystica expositio ciniphum.* *S. August.* Tertia quæstio: Cuius rei figura fuit plaga ciniphum? Augustinus docet hanc plagã opponi tertio præcepto Decalogi, id est, obseruationi Sabbati, quo iubemur Sabbatum sanctificare, id est, requiem cordis & tranquillitatem mentis habere, quam facit bona conscientia. Ciniphes porrò significãt inquietos homines, rixarum amatores, calumniarum seminatores, contentionis magis quàm charitatis amatores. Quemadmodum verò ab istiusmodi animalibus corpus humanum vehementer affligitur: ita cor istorum hominum, diuersis passionibus inquietatur atque compungitur. Tenete præceptum, cauete plagam. Sic Augustinus. In sermone autem 87. Hoc, inquit, animalis genus conuenientissimè comparari poterit, vel arti Philosophorum, vel Hæreticorum calliditati, quæ minutis & subtilibus verborum stimulis animas terebrat: & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus qui fuerit, nec videat, nec intelligat vnde decipiatur. Hæc ibi Augustinus.

TERTIA DISPVTATIO.

Cur Magi non potuerint facere ciniphes, qui maiora fecerant, serpentes, & sanguinem, & ranas.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 18. Feceruntque similia malefici incantationibus suis, vt educerent ciniphes, & non potuerunt.

13. *Hebræorũ Commẽtũ.* CVR Magi non potuerint facere ciniphes, sicut fecerunt serpẽtes & ranas, Hebræi tradũt huiusmodi causam. Aiunt, Dæmones non posse producere animal minus grano hordei (hoc de illis referunt Lyranus & *Lyranus.* *Thostatus.* Thostatus) cuius magnitudinis fuisse dicunt ciniphes, minores scilicet hordei grano. Sed hoc eorum commentum, nugale prorsus est & ridiculum. Nam si possunt maiora & perfectiora animalia facere, multò magis poterunt minora & viliora: maiorum enim animalium generatio, & operosior & difficilior est, vtpote pluribus indigens, quorum quolibet deficiente, impeditur: Minorum verò animalium generatio promptissimè & facillimè fit. Verùm Hebræi decepti sunt similitudine artis; putantes eandem esse rationem naturæ atque artis; aut existimantes producere animalia Dæmones per artem, non autem per agentia naturalia. Artifex enim, non si potest facere maius opus, poterit etiam facere minus, & quantumlibet paruum: ars quippe extrinsecus operatur circa materiem sibi subiectam, & vtitur instrumentis externis & corporeis, vt est manus, & scalpellum, malleus, penicillus, & alia huiusmodi. Hæc verò instrumenta non possunt cuilibet materiæ, & cuiuscunque fuerit paruitatis, aptari, & accommodari. Quocirca sculptor potest facere statuam hominis, iustæ magnitudinis, non tamen ita paruam vt est culex. Quo fit, vt apud Ethnicos maximè celebrati sint quidam artifices, qui opera sua in perexiguæ quantitatis materia, politissima arte perfecerunt. Horum exempla refert nonnulla Plin. lib. 7. cap. 21. his verbis: In nuce inclusam Iliadem Homeri, carmen in membrana scriptum, tradit Cicero. Callicrates ex ebore formicas, & alia tam parua fecit animalia, vt partes earũ à cæteris cerni non possent. Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit, à quo quadrigã ex eadem materia, quã musca integeret alis, fabricatam, & nauem, quam apicula pennis absconderet. Ita Plinius. At secus est in natura. Ea namque facilius minora perficit, quàm maiora, ob eã causam, quam paulò ante posui; quòd maiorum, & perfectiorũ animalium generatio pluribus rebus egeat, quarum deficiente qualibet, absolui non potest. Sed dices, cur B. Augustinus, & plerique omnes dicunt, Magos defecisse in tertio signo, cum hoc signum ciniphum fuerit quartum: nam primum signum, fuit virgarum conuersarum in serpentes; secundum, sanguinis; tertium, ranarum; quartum, ciniphum; verùm in promptu est responsio.

Differẽtia artis atque naturæ.

Artificum opa ob paruitatẽ memoratissima, ex Plinio.

An Magi defecerint in tertio signo, an in quarto.

responsio. Nam inter signa simpliciter & præcisè sumpta, fuit quartum: inter signa verò plagarum, fuit tertium.

14. Ruperti noua opinio.

Rupertus lib. 1. Commentariorum in Exodum, cap. 23. nouam quandam, & à se vno excogitatam rationem affert. Ait, Magos produxisse quidem ciniphes, nō tamē veros, sed verorum similitudinem præ se ferentes, sicut etiam in prioribus signis fecerant: sed quia eorum ciniphes, quòd non essent veri, nō pungebant, nec infestabant Aegyptios, ea re liquidò cognitum est omnibus, nō esse illos veros ciniphes, quales nimirum erant producti ab Aaron: & idcirco dicuntur tunc potissimùm defecisse, quòd tunc fallacia eorum detecta innotuit. Ruperti verba, ita sunt; Quidnám hoc est, quod malefici incantationibus suis aquā in sanguinem vertere, & ranas educere potuerūt, ciniphes autem non potuerunt? An ciniphes videri quoq; potuerunt, sed quia molestos aculeos nulli infixerunt, idcirco fallaciter fecisse conuicti sunt? Namque quia sanguinis color, & ranarum fœditas comprehenditur solo visu, idcirco præstigiatores ranas falsissimas & sanguinem fallacem, fascinatis oculis offuderunt. Ciniphes autem quia molesto quoque aculeo apertè dijudicantur, idcirco non fecerunt, quia quod verum esset, & veraciter sentiretur, homines sine Deo creare non potuerunt. Hæc Rupertus. Cui apertè contradicit diuina Scriptura, dicens hoc loco, Magos conatos esse facere ciniphes, & non potuisse: non ait eos fecisse quidē ciniphes, sed non aculeatos & pungētes, vt ait Rupertus, sed simpliciter non fecisse. Hæc enim sunt Scripturæ verba versu 18. *Fecerunt similiter malefici incātationibus suis, vt educerent ciniphes, & non potuerunt.* Quid est: *Fecerunt similiter, vt educerent ciniphes?* Hoc nempe: Adhibuerunt omnes suas artes, viresque magicas ad producendum ciniphes, sed nihil profecerunt: non enim eos producere potuerūt. Deinde, si priora etiam signa Magorum, non fuerunt vera, vt ipse dicit, iam igitur ante hoc tertium signum, reuera defecissent Magi. Præterea, vnde compertum fuit Ruperto, Magos produxisse ciniphes, aut qui viderentur ciniphes, verùm sine aculeo, & nihil nocentes? id enim nec Scriptura tradit, aut significat, nec ab vllo vel Hebræorum vel Christianorum proditum est: sed omnium est concors sententia, propterea Magos in hoc tertio signo defecisse, quod qui priora fecerant, hoc tertium facere non potuerunt.

15. Caietanus.

Caietanus super hoc loco, duas attingit causas cur Magi non potuerint producere ciniphes: aut quia incantationes eorum non erant appropriatæ ad talem effectum producendum: aut quod impedita fuerit diuinitùs potentia Dæmonū. Sic autem scribit: Mirum est, quod Dæmones non potuerint tā imperfecta animalia, quæ ex putri materia manifestè generantur, producere. Potuit tamen hoc contingere ex eo, quòd incantationes illæ non essent appropriatæ ad talem effectum, quamuis Dæmones potuissent effectum illum producere. Potuit etiam contingere ex eo, quod impedita fuerit diuinitùs potentia Dæmonum, & hoc potius sonāt subiuncta verba Magorum dicentium: *Digitus Dei est hic.* Sic Caietanus. Ego posteriorem eius rationem probo & complector. Et paulò infrà enucleatius eam traditurus sum. Prior autem ratio non est probabilis. Incantationes enim Magorum nō habent per se vim producendi magicos effectus, sed ex placito & pacto Dæmonis, qui se Magis obstrinxit, affuturum se illis ad producendum effectus Magicos, tales incantationes exercentibus. Ergò quamuis illorum Magorum incātationes propriè non essent accommodatæ ad producendum ciniphes; Dæmon tamen affuisset illis, & produxisset ciniphes, nisi fuisset à Deo impeditus. Neque enim potentia Dæmonis alligata erat per se illis incantationibus, sed mera ipsius Dæmonis voluntate.

Qualis sit efficacia incātationū.

16. S. August.

Augustinus in quæst. 25. in Exodum, super hac ipsa re disputans, non dubitat quin certa quæpiam causa fuerit, licet nobis incomperta, cur Magi defecerint potius in hoc tertio signo, quàm in prioribus: & fortasse id referri posse ad mysterium Trinitatis, quod veteres Philosophi quantum ad personā Patris & Filij videātur aliquo modo cognouisse; sed defecerūt in cognitione tertiæ personæ, quæ est Spiritussanctus. Sic autē eo loci scribit

scribit S. Augustinus: Cur in tertia ista plaga Magi defecerunt (nam plagæ cœperunt, ex quo aqua in sanguinem versa est) & sentire, & explicare difficile est. Poterant autem & in primo signo deficere, vbi virga in serpentem conuersa est: & in prima plaga, vbi aqua in sanguinem mutata est, & in secunda de ranis, si hoc voluisset digitus Dei, id est; Spiritussanctus. Quis enim dementissimus dixerit, digitum Dei in hoc signo potuisse conatus Magorum impedire, & in superioribus nequiuisse? Omnino ergo certa aliqua causa fuit, quare illa facere hucvsque permissi sunt. Commendatur, fortasse, Trinitas: & quod, summi Philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamuis de Patre & Filio non tacuerint: quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu sancto. Hæc Augustinus. Sed hæc ratio B. Augustini mystica potius videtur, quàm litteralis: nec satis firmum videtur, veteres Philosophos non tacuisse de Patre & Filio, verùm tertiæ personæ, quæ est Spiritus sanctus, cognitionem nequaquam attigisse. Etenim & Cyrillus in libro primo eorum, quos scripsit contra Iulianum Apostatam, & Eusebius in libris de præparatione Euangelica, & Theodoretus de curatione Græcarum affectionum, memorant aliquot ex veteribus Philosophis, qui Mysterium sanctæ Trinitatis quasi per nubem viderint, & scriptis suis adumbrauerint. Certè Plato & Platonici Deum Patrem prædicant, & item Verbum atque Mentem, ac demum Animam mundi: quanquam hæc tria & secundum substantiam faciant diuersa, & perfectione ac potestate inæqualia.

An gentiũ sapientes cognouerint mysterium Trinitatis. *Didymus.* *Cyrillus Alexand.* *Eusebius Cæsarien.* *Theodoretus.*

17\. *Auctoris sententia.* Verius igitur dictu, & procliuius creditu illud videtur, causam cur Magi & Dæmones non potuerint facere ciniphes, fuisse voluntatem ac potestatem Dei, qui priora signa Magos facere permisit, hoc autem signum, licet minus prioribus videatur, facere prohibuit. Ex quo licet intelligere, permissu Dei, posse Dæmones multa & magna facere, qualia fuerunt tria priora signa à Magis Pharaonis facta, & quæ fecit Dæmon aduersus B. Iob; Deo tamen non permittente, nihil eos posse facere, quãtumuis paruum & vile sit, vti erant ciniphes; quos tamen facere, licet adhibitis omnibus magicæ artis viribus, & Dæmonum potentia conati sint, nequaquam potuerunt. Non igitur nobis Dæmon, sed Deus timendus est; Non enim Dæmon nobis non nocet, quod ei desit voluntas aut potestas nocendi nobis; sed quia Deus non sinit nocere, voluntatem & potestatem eius cohibens. Voluit porro Deus Magos & Dæmones maiora facere, & in minoribus deficere, vt sic & Dei potentia, & Dæmonum imbecillitas clarius innotesceret. Magna profectò fuit tunc bonorum tentatio, Magos similia facere eorum, quæ faciebat Moses & Aaron: verùm non sinit Deus tentari nos supra id, quod possumus, sed est adiutor in opportunitatibus: quapropter in tertio signo vim Dæmonum repressit, Magosque potentiam Dei confiteri, & prædicare coëgit. *Iob 1. & 2.* *1. Corinth. 10.* *Psal. 9.*

Mystica expositio. *Strabus.* Et vt nonnihil dicamus de mystica interpretatione huius historiæ, defecerunt Magi in tertio signo, quoniam, vt Strabus ait, Ethnicorum Philosophi multa de creaturis, nec pauca de Deo cognouerunt, vt indicat S. Paulus ad Rom. 1. & in libro Sapientiæ traditur, cap. 13. sed ad veram Trinitatis agnitionem aspirare ac peruenire non potuerunt. Defecerunt item in tertio signo, id est, in tertia persona Trinitatis, quæ est Spiritussanctus: quoniam in Philosophis & primarijs gentium viris fuit & potentia, quæ tribuitur Patri; & sapientia, quę propriè assignatur Filio; sed non bonitas & sanctitas, quæ appropriatur Spiritui sancto.

QVAR-

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 19. Dixerunt Magi ad Pharaonem: *Digitus Dei est hic.*

18. DVÆ quæstiones super his verbis tractandæ sunt. Primùm quæritur, Quid Magi voluerint significare per digitum Dei dicentes: *Digitus Dei est hic.* Tres sunt principales horum verborum expositiones; quarum prima est hæc, Per digitum significari plagam: vt sit hic sensus; Agnoscimus plagam hanc esse à Deo, cui nos resistere nullo modo possumus. Et hunc sensum secutus est Paraphrastes Chaldeus, ita vertens hunc locum: *A facie Dei plaga hæc est.* Solet enim Scriptura vocabulo manus Dei (idem autem de digito Dei intelligere conuenit) significare, percussionem & plagam inflictam à Deo. Hinc est illud Iob: *Manus Domini tetigit me.* Et Isaias atque alij Prophetæ indicare volentes Deum iratum & minitabundum Hebræis, solent dicere manum Dei extentam super ipsos. Benè autem conuenit digitus cum plagis Aegypti, quæ fuerunt decem, sicut decem sunt digiti. Nec illud tacendum hoc loco est, in Scriptura, digito facere, vel mouere aliquid, significare, leuiter illud facere, vel mouere: sic legimus apud Matthæū cap. 23. de Pharisæis, qui onera importabilia imponebant alijs, ipsi verò digito mouere ea nolebant. Secundū hanc itaque interpretationem, per digitum Dei significatur hoc loco, has plagas Aegypti, licet videantur grauissimæ, esse tamen admodum leues comparatione diuinæ potentiæ & fortitudinis; & respectu perfectæ vindictæ ac punitionis diuinæ: quam quidem formidans Dauid humiliter supplicabat Deo dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* & Iob cap 35. de Deo vindicante & vlciscente in hac vita, hominum scelera, sic ait: *Nunc non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde.* Compara has plagas Aegypti cum excidio Sodomorum & Gomorrhæorum, aut certè cum Noetico diluuio: & intelliges, plagas Aegypti fuisse velut digito Dei factas; illa verò supplicia tanquam Dei manu. Quanquam secundū Philonem, cuius verba paulò supra memorauimus, si Deus manum extenderet potentiæ suæ ad vindicandum & puniēdum, nec tota terra, nec mundus vniuersus eam sustinere posset.

Prima expositio digiti pro plaga.

Iob 19.

Isa. 9. sapi. ibidem.

Psal. 6.

Locus Iob, cap. 35.

19. Altera expositio est B. Augustini, & multorum Patrum, qui digitū Dei hoc loco interpretantur Spiritum sanctum: quod ipsi sic argumentantur: B. Lucas cap. 11. scribit, Christum dixisse aduersus calumnias Pharisæorum miracula eius tribuentiū Beelzebub principi Dæmoniorum, se in digito Dei eijcere Dæmonia: at enim idem Christi dictum referens Matthæus cap 12. ait, dixisse eū, se eijcere Dæmonem in Spiritu sancto: vnde liquet, per digitum Dei significari Spiritum sanctum. Erit igitur hic sensus illorum verborum: *Digitus Dei est hic:* Mosem & Aaron non facere illa prodigia per spiritum diabolicum, sicut faciūt Magi, sed per *Spiritum* sanctum & diuinum, cuius immensæ potestati & Magi, & Dæmones cedere coguntur. Est porro pulchra quædam analogia inter digitum & *Spiritum* sanctum: nam sicut ex corpore procedit brachium, & manus, & inde digiti; ita ex *Patre Filius*, & ex vtroque *Spiritus* sanctus: & sicut multi sunt digiti vnius corporis; ita multa sunt dona vnius *Spiritus* sancti, quemadmodum ait Paulus: *Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem & idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.* Totidem autem sunt digiti in sinistra manu atque in dextera; non enim minore gratia & virtute *Spiritus* sancti opus est ad modestè tractandas res secundas, quàm ad res aduersas fortiter perferendas. His adiiciam, quæ ad eandem sententiam scripta reliquit B. Hieronymus, exponens illa verba Domini, quæ sunt apud Matthæum, cap. 12. *Si autem ego in Spiritu Dei eijcio Dæmones, &c.* In Luca, inquit, istum locum ita scriptum legimus: *Si autem in digito Dei eijcio Dæmones:* iste est digitus, quem cōfitentur & Magi, qui contra Mosem & Aaron signa faciebant, dicentes: *Digitus Dei est iste.* Hoc digito Dei tabulæ lapideæ

Secūda expositio, digitus Dei pro Spiritu sancto.

Analogia digitorū, et Spiritus sancti.

Locus Pauli. 1. Corinth. 12.

B. Hieronymus.

Deuteron. 9.

dex scriptæ sunt in monte Sinai. Si igitur manus & brachium *Dei*, *Filius* est, & digitus eius *Spiritus* sanctus; *Patris*, & *Filij*, & *Spiritus* sancti vna substantia est; nec te scandalizet membrorum inæqualitas, sed ædificet corporis vnitas. Sic B. Hieronymus.

20. *Tertia expositio; Digitus Dei pro potētia.* Tertiam expositionem huius loci tradunt Hebræi, & de nostris sequuntur eā Græcus interpres, qui citatur in Catena, & Rupertus, Thostatus, Caietanus, Lippomanus, quin etiam Lyranus ait, hanc expositionem esse communē apud Hebræos & Catholicos. Isti arbitrantur, per digitū Dei, hoc loco, significari potentiam & virtutem Dei, effectricē rerum mirabilium: sicut idem significatur sæpe in Scriptura per brachium & manum. Est itaque hic sensus illorum verborum: Potentia Dei operatur per Mosem & Aaron, & ideò potentia nostra cogitur ei cedere. Aduertat Lector, virtutem Dei effectricem rerum, interdum significari nomine digiti, vt hoc loco, & apud Lucam cap. 11. nonnunquam verò plurali numero, vocabulo digitorum, vt *Locus Ps. 8.* in Psalmo 80. illis verbis: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*: nimirum virtus Dei operatiua, per se, & respectu Dei, simplex & vnica est; at verò in operibus Dei, multiplex ac multiformis relucet, multęq; rationes perfectionū Dei resplendent in eius creaturis. Nec alie- *Loc⁹ Isaiæ, cap. 40.* nū est ab hoc loco, quod Isaias ca 40. de Deo dixit: *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit: Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit pondere montes, & colles in statera?* Quid est, Deum appendere terram tribus digitis? nisi quod in hoc mundo, tria maximè eminent atque elucent Dei attributa; Potentia, qua creatus est mundus; Bonitas, qua conseruatur; & Sapientia, qua prudentissimè ordinatus est, & prouidētissimè gubernatur.

21. *Quarta expositio Ruperti.* Rupertus lib. 1. Commentariorum in Exodum cap. 33 docet, Magos, cùm dixerunt: *Digitus Dei est hic*, nescientes quid dicerēt, diuino instinctu significasse tertiam personam *Trinitatis*, id est, *Spiritum* sanctum; sicut Cayphas nesciens quid *Ioann. 11.* diceret, prophetauit de Christo. Illis autem verbis intellexerunt Magi virtutem & potentiam Dei. Ponam hîc verba Ruperti: Notum, inquit, & celeberrimū apud fidelem Dei Ecclesiā est, *Spiritum* sanctum appellari digitum Dei. Nam & ipse *Filius* de *Spiritus* sancti loquens potentia: *Si ego*, inquit, *in digito Dei eijcio Dæmonia*. *Luca 11.* Sed & plures digiti in eiusdem *Spiritus* significatione dicuntur; quemadmodum & vnus est *Spiritus*, & tamen septem spiritus ante thronū Dei legimus. *Apocal. 1.* Et Psalmista ait: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*. *Psal. 8.* Pluraliter dixit, *digitorum*, ob pluralitatem donorum vnius & eiusdem *Spiritus* sancti. Sed nūquid homines mente corrupti, & incantatores ac malefici, ita *Spiritui* proximi erant, vt scienter dicerent: *Digitus Dei est hic*, cognoscentes proprietatē eius personæ, causamq; propter quam diceretur digit⁹ *Dei*? Ergo nec illi à semetipsis locuti sunt, sed nescientes quid dicerēt, proprietatem nobis confessi sunt *Spiritus* sancti: ipsi vero nihil aliud intendebant illis verbis dicere, nisi virtus vel operatio *Dei* est hæc: Hæc Rupertus. Ergo Rupertus putat, ista verba secundum intentionem Magorum significasse potentiam *Dei*; secundum vero consilium *Dei*, significasse *Spiritum* sanctum.

22. *Sexta expositio.* Mea sententia est hæc, per digitum *Dei*, secundum litteralem sensum significari potentiam & fortitudinem *Dei*, sicut per brachium & manum *Dei* frequēter in Scriptura significatur. Significari etiam posse reor spiritum *Dei*, prout spiritus in Scriptura significat singularem quendam impulsum & impetum, ac vigorem diuinæ virtutis, quæ diuinitus alicui datur. Quo etiam modo accipitur illud Domini: *Si in spiritu Dei eijcio Dæmones*. Illud præterea dici posset, per digitum significari potentiam, & illud (*Dei*) denotare ingentem & eximiam potentiam, secundum peculiarem Scripturæ phrasim, quemadmodum dicitur Mons *Dei*, Bellum *Dei*, Cedrus *Dei*, Homo *Dei*. Vt sit hic sensus: Virtus qua operantur Moses & Aaron, maxima est, atque omnino insuperabilis. Sententiam porro B. Augustini & Hieronymi interpretantium ista verba de *Spiritu* sancto, qui est tertia persona *Trinitatis*, libenter sequimur tanquam mysticam potius, quàm litteralem: &

affen-

assentientes Ruperto dicenti, Magos illis verbis significare voluisse potentiam Dei, sed præter intentionem suam, & nescientes quid dicerent, diuino instinctu significasse personam *Spiritus* sancti.

23. *Secunda quæstio, an Magi cognouerint verum Deum.* Altera quæstio est. An Magi dicētes: *Digitus Dei est hic*, cognouerint & confessi fuerint verum *Deum*, quem prædicabat Moses? Negat Lyranus, hac potissimum ratione ductus: si Magi cognouissent verum Deum adesse Moysi & Aaron, non fuissent deinde ausi amplius resistere illis, & Dei præceptis aduersari: at Moses infrà cap. 9. narrando sextā plagam, quæ fuit vlcerum, scribit hæc verba: *Nec poterant malefici stare coram Mose, propter vlcera, quæ in illis erant.* Ex quo significatur, etiam post tertiam hāc plagam, Magos sese opposuisse Mosi, & aduersari conatos esse. *Opinio Lyrani discutitur.* Putat igitur Lyranus, Magos per digitum Dei significare voluisse principem Dæmonū, qui plura & maiora facere poterat, quàm alij Dæmones, eorumq; operationes cohibere atque impedire. Sic enim Pharisæi dicebant: *Matth. 12.* Christum facere miracula in Beelzebub principe Dæmonum. Lyrani verba ita sunt: *Digitus Dei est hic.* Id est, virtus diuina nos impediens. Vnde coacti sunt agnoscere & confiteri diuinam virtutem: Et hæc expositio est cōmunis apud Catholicos & Hebræos. Sed quia dicti Magi nō cessauerunt propter hoc resistere Mosi, & adstare Pharaoni, vt habetur sequenti capite, ideo posset aliter exponi, sine præiudicio tamen: quod non confessi fuerint virtutē diuinam, cùm dixerunt: *Digitus Dei est hic*: sed virtutem alicuius Dęmonis superioris, impedientis per artem Magicam, operationem inferiorum Dæmonum, sicut Pharisæi imponebant Christo expulsionem Dæmonum, tanquam per principem eorum factam dicentes: *Matth. 12. et Luca 11.* *In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* Et secundum hanc expositionem, Magi non confitebantur, Mosem esse seruum Dei, sed Magum; & signa, quæ faciebat, facere artibus Magicis. Sic Lyranus.

24. Sed enim Lyrano aduersantur omnes tam Hebræi, quàm Christiani, maximè verò Patres: ac meritò sanè. Etenim phrasis hæc, *Digitus Dei*, Scripturæ peculiaris est, ad Deum solum pertinens: nec tolerabilis esset, qui potentiam Dæmonis digitum *Dei* appellaret. Nomē enim *Dei* præcisè sumptum, de vero tantum *Deo* vsurpat Scriptura. Ratio autem Lyrani, qua ductus est ad eam interpretationem, perinfirma est. Potuerunt enim Magi, semel *Deo* eos illustrante, & ad loquendum impellente, veritatem agnoscere ac fateri: postea verò, diuino numine destituti, sibiq; derelicti, ad priorem suam improbitatem, & impietatem redire, contradicendo, & aduersando Mosi: nam & hoc Dæmones fecerunt contra Christum Dominum. Nonne Pharao sæpius agnouit virtutem *Dei*, quæ operabatur per Mosem, ideoq; suppliciter orabat Mosem, vt pro se Deo supplicaret? Quoties tamen deinde sua in malitia obduratus, *Dei* iussis resistere perseuerauit? Nonne Balaam Gentilis & ariolus, qui ad maledicendum Hebræis conductus fuerat, diuinitus mutata eius mente benedixit ei populo, & prophetico afflatus spiritu, multa & præclara de Deo, & populo Hebræo vaticinia edidit? Is tamen postea consiliū dedit Madianitis, quemadmodum Hebræos ad Idololatriam adducerent. Lege librum Numer. cap. 22. 23. 24. 25. & 31. Et rex Nabuchodonosor, vbi audiuit interpretationem illius statuæ traditam à Daniele, verum Deum agnouit, & miris laudibus prædicauit, vt scriptum est Daniel. 2. is tamen postea, mēte admodum mutata, erexit statuā, in qua se, vt Deū, adorari voluit ab omnibus: Et cum ex miraculo illorum trium iuuenum, in admirationem, & amplissimam prædicationem *Dei*, quem illi colebant, effusus esset, postmodum tamen rursum in superbiam elatus, ob idq; transformatus in bestiam est: quæ pluribus verbis in libro Danielis cap. 3. & 4. prodita sunt. Immo verò ratio ipsa Lyrani, in eū ipsum retorqueri potest. Si enim Magi credebant Mosem operari virtute principis Dæmonum, quomodo ei resistere audebant, cum scirent, inferiores Dæmones nihil posse contra superiores Dęmones? Caietanus non it inficias, illis verbis Magorum significari verum Deum; sed ait sibi non liquere, an ea verba dixerint illi ex animo, an fictè ad excusationem

tionem suæ impotentiæ. Sed credibilius est, locutos esse ex animo, ad id loquendum incitatos à Deo.

QVINTA DISPVTATIO.

An potestas, qua mira faciunt Magi, sit humana, vel naturalis, vel diuina, an verò sit potius diabolica.

25. EX occasione superiorũ disputationũ visum est tractare hoc loco quæstionẽ, An sicut Magi illi euidenter cõuicti sunt, Mosem & Aarõ fecisse prodigia illa potestate diuina: ita manifestis signis, & argumentis peruinci queat, mira opera Magorũ, nõ fieri potestate vlla hominũ, nec naturalium causarum, nec bonorũ Angelorũ, sed adiutorio, & potentia Dæmonum. Manifestis profectò signis, firmissimisq; rationibus compertum & comprobatũ est, Dæmones adesse Magis, eosq; iuuare ad opera mira, quæ faciunt, perpetrãda. Principio, spiritus illi, quibus cum societatẽ & commerciũ habent Magi, iubent se à Magis adorari tanquã deos, sibiq; sacrificia fieri: hoc autem est proprium Dæmonum; qui honorem diuinitatis ab initio affectatum, quia in cœlis assequi non potuerunt, in terris, decipiendo homines, aliquo modo adipisci, & obtinere cupiunt. Boni verò Angeli eiusmodi honorem non modò non concupiscunt, sed vehementer auersantur. Legimus in Apoc. cap. 19. sanctũ Angelum, qui apparuerat Ioanni, prohibuisse, ne Ioannes adoraret ipsum, dixisseque: *Ne feceris, conseruus enim tuus sum, Deum adora*. Deinde, Magi sunt homines flagitiosissima vita, impurissimisque moribus præditi; & artibus magicis abutuntur ad patrãda adulteria, furta, homicidia, quinetiã infanticidia: at boni Angeli nec maleficis hominibus fauent, & à talibus sceleribus prorsus abhorrent. Quid, quod Magi eos, quorũ vtunẽ opera, inuocantes, minantur illis quædã impossibilia, nisi venerint; & cùm venerũt, imperant illis, & certo quodã loco manere cogũt; tale autem imperiũ habere homines nõ possunt in beatos Angelos: habẽt autẽ in Dæmones; vel quia superior Dæmon, cũ quo Magi societatem & fœdus fecerunt, cogit inferiores Dæmones parere iussis Magorũ; vel simulant Dæmones, cogi se à Magis, cùm tamẽ id voluntate sua faciant, nec ab illis cogi queãt; quò facilius videlicet decipiant homines, tantã vim, & auctoritatem Magorũ admirantes, ob idq; certã illis fidem habentes. Quod autẽ Dominus apud Matthæum, cap. 12. & Lucam 11. argumentatur se non eijcere Dæmones in potestate principis Dæmonũ, quod non possit Sathanas Satanã eijcere: alioqui regnũ eius diuisum esset, nec diu stare posset; Hæc, inquam, Domini argumentatio intelligenda videtur (sic certè interpretatur eã Augustinus) de perfecta eiectione Dæmonis ex homine, id est, tam ex corpore, quàm ex animo; vel de eiectione profecta ex odio Dæmonis, & desiderio euertẽdi imperiũ, quod habet in homines: nã eijcere Dæmonẽ ex humano corpore, quò facilius ea re deceptos animos hominum varijs inficiat erroribus; non est eijcere Dæmonẽ ex hoĩe, sed magis intrudere in hominẽ.

Magorum Doctores & adiutores esse Dæmones.

Locus Matthæi ca. 12.

S. Augustinus.

26. Sed ad institutam probationẽ redeo. Societatem Magorum cum Dæmonibus, bene demonstrat Eusebius lib. 5. de præparat. Euangel. cap. 7. disputans, non aliunde, quàm à Dæmonibus potuisse Magos discere verba illa, & cæremonias, quibus ipsos Dæmones aduocant, eosq; vel certo cuipiam loco, vel annulo, vel vasi, vel statuæ, vel alijs rebus adesse cogũt: nec aliũde scire quibus sacrificijs, aut libamẽtis, aut suffimẽtis Dæmones abigãtur, & fugẽtur, aut cõtra, quib^9 oblectentur & alliciantur. Huius rei testem excitat Porphyrium magicæ artis peracrem patronum & propugnatorẽ, in libro de Responsis ita scribentẽ: Non solum felicem cõuersationem suam, verum etiam quibus rebus gaudeant Dij, aut quibus illigentur, significarunt ipsi hominibus. Et item, quibus rebus Dij cogantur, & quæ offerenda sint ipsis, & quos dies vitare, aut eligere oporteat; & figuræ simulachrorum quales esse debeãt, & in quib^9 maximè locis diuersentur, & omninò nihil est, quod ab ipsis dijs homines nõ didicerint. Non autem

Eusebius.

Porphyrius.

solùm

solùm figuras quasdã corporales à Dijs amari, docet Porphyrius, sed illis quoq; figuris etiam deos ipsos circumscribi: contineri enim & eos in cõsecrata imagine, quasi in sacra quadam terra. Sacrã enim putat terram esse, quæ Dei habet imaginẽ; qua sublata, istud statim soluitur, quo Deus continebatur. Hæc Porphyrius, Eusebio referente.

17. Sed nihil est, quod apertius demonstret, efficaciusq; probet intimam cum Dæmonibus Magorum societatem, atq; coniũctionem, quam Epistola quædam Porphyrij scripta ad Anebonum Aegyptium, quã Eusebius lib. 5. de præparat. Euangel. cap 6. scriptis suis inseruit. Ponit in ea Porphyrius nouem dubitationes, sibi, vt ait, inexplicabiles super his quæ faciunt Magi erga Dæmones: ipse vocat Deos: vnde liquidò cernitur, res magicas, malorum spirituum, quos vulgato iam nomine Dæmones vocamus, artificio, opera, & interuentu peragi. Prima Dubitatio: Quomodo, inquit Porphyrius, Magi obseruant & inuocãt Deos, tanquam superiores, quibus tamen, quasi inferioribus imperant, & quod volunt, facere eos cogunt? Secunda Dubitatio; Cur Dij Magorum, iubẽt homines esse iustos, & castos, cum ipsi à Magis inuocati, & iussi, multa perpetrẽt flagitia & maleficia? Tertia Dubitatio: Nolunt Dij exaudire Magum, qui non multis ante diebus abstinuerit à Venere: ipsi tamen, Magorum rogatu & iussu, illiciunt & incitant atque inflãmant homines ad turpes & infandas libidines. Quarta Dubitatio: Volunt Dij Magos, qui inuocaturi sunt ipsos, antè, carnium vsu abstinere: ipsi tamen nidore, ac sanguine cæsorũ animalium, maximè oblectantur. Quinta Dubitatio: Eũ qui mortuum tetigit, ad operationes Magicas accedere prohibent: cum tamen mortuorum tum animalium, tum hominũ cadaueribus res Magicæ maximè peragãtur. Sexta Dubitatio: Magi minantur soli ac lunæ, & Dijs cœlestibus dicentes, se cõcisuros cœlum, & arcana Isidis enunciaturos, & Osiridis membra Typhoni tradituros, nisi Dij aduenient, & respondeant ipsis. Absurdum tamen videtur, Deos, quasi essent infantes, fictis eiusmodi minis & territamentis commoueri. Moueri autem Deos istis Magorum minis, Cheremon sacer scriba testatur; & hæc esse ait illa, quibus Dæmones maximè coguntur. Septima Dubitatio: Preces atque orationes, quibus vtuntur Magi inuocantes Deos suos, prorsus inanes ac ridiculæ videntur: sic enim eos compellant: Tu, inquiunt, qui è limo emersisti, qui sedes in lacu, qui nauigio nauigas, qui singulis horis formam commutas, & in singula Zodiaci signa commutaris. Atque hisce precationibus, aiunt, Deos hominum visui se subijcere, ac repræsentare. Octaua Dubitatio: Quid sibi volunt verba barbara, & nihil planè significantia, quibus vtuntur Magi ad suos Deos aduocandos? Nam si ad verborum significationem Dij respiciunt, quacunque voce res eadem significetur, mouebuntur: non enim Dij sunt Aegyptij, vel Scythæ, vel istorum tantùm linguas norunt. Nona Dubitatio: Cum Dæmones sint supra ordinem rerum sensibilium, quomodo possunt rebus sensibilibus allici aut cogi, sicut à Magis alliciuntur & coguntur? Quare aut Magorũ malignitate, omnia hæc cõficta sunt, aut aliter homines de Dijs cogitant, quã rei veritas habeat. Hæ sunt in Epistola illa Porphyrij dubitationes. Vnde liquet, malorum spirituum instinctu & auxilio Magos facere, quæ vulgò mira videntur.

Porphyrij Epistola ual de memorabilis ad coarguẽdam Magorũ impietatem.

Cæterùm duæ hoc loco existũt quæstiones: quarũ prior est hæc: Cum Dæmones sint incorporei, ob idq; cœlestiũ corporum potestati, & actioni non sint subiecti, cur nisi sub certis quibusdã cœli constellationibus non aduocantur à Magis, nec aliter magica opera perfici queunt? Respondere possum, id quidem plures & varias ob causas Dæmones velle obseruari ab hominibus. Primò, vt in eum errorem homines inducant, vt credant numen esse aliquod, & diuinitatẽ in stellis, easq; pro Deo adorent & colant. Deinde, vt simulando, multa fieri per stellas maleficia, & ingentia detrimenta inferri hominibus, infament eas, & inuisas exosasq; reddant hominibus. Præterea, Dæmones, vt qui non nisi per causas naturales operantur effectus naturales, animaduertunt, secundum certas quasdam constellationes, materiã sublunarem, 18.

Cur Magi & Dæmones certas quasdã in cœlo constellationes priusquam operẽtur, curiosè obseruent.

lunarem,

lunarem, circa quam tunc operari volunt, magis affici, magisq; idoneam reddi ad effectus illos recipiendos: ex quo fit, vt nonnunquam Dæmones secūdum incrementa lunæ, maximè quosdam vexent, ob id vocatos Lunaticos, quorum aliquot sanasse dicitur Dominus in Euāgelio, vt est in Matthæi cap. 4. & 13. Nā cùm cerebrū hominis sit humidissimū, ideoq; maximè subijciatur potestati lunæ, magnam vim habentis concitandi humores; in cerebro autem perficiātur actiones interiorum sensuum; hinc fit, vt Dæmones, secundum incrementa lunæ, vehementer hominis tum phantasiam, tum interiores corporis humores commoueant & conturbent, & inde vexent & affligant hominem.

Locus Matthæi cap. 4. & 13.

29. Altero quæstio est: Quomodo Dæmones, qui non modò sensus, verùm etiam corporis sunt expertes, alliciantur per artes magicas, certis quibusdam herbis, & lapidibus, & animalibus, & libamentis, atque suffimentis, & carminibus, alijsq; cæremoniis corporalibus. Bene hanc quæstionem exoluit S. Augustinus in lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 16. respondens istiusmodi rebus allici, & trahi Dæmones, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis; ea ratione, vt eiusmodi exhibentur ipsis in signum diuini honoris, quem illi flagrantissimè cōcupiscūt. Ponam hic Augustini verba, quæ sunt huiusmodi: Illiciuntur Dæmones ad inhabitandum, per creaturas, rebus quibusdam delectabilibus, pro sua diuersitate diuersis: non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Vt autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitijs apparendo; eorumque paucos, discipulos suos faciunt, plurimorumq; doctores. Neque enim potuit, nisi primis ipsis docentibus, disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur nomine, quo cogatur: vnde magicæ artes, eorumque artifices extiterunt. Hæc Augustinus.

Quomodo Dæmones qui sunt incorporei, certis quibusdam rebus corporalibus delectentur.
S. Augustinus.

SEXTA DISPVTATIO.

De quarta plaga, quæ dicitur fuisse muscarum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuū, & in domos tuas, omne genus muscarum: & implebūtur domus Aegyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra in qua fuerint. *Versu 21.*

30. ANte omnia quæritur; Quod genus animalis musca fuerit, per quod Dominus in hac quarta plaga cruciauit Aegyptios. Vox hebræa (habob, quā Latinus interpres hoc loco vertit, muscas omnis generis, & diuersi generis, & itē muscā grauissimam) propriè significat mixturā animaliū præcisè: & quia non declaratur, quorū animaliū sit mixtura, datus est locus sacrarum literarū tractatoribus, de animalibus huius quartæ plagæ variè admodū existimandi & scribēdi. LXX. Interpretes & hic, & in Psal. 77. & 104. verterūt cynomyam, id est, caninā muscam, quæ pertinacius inhæret, acriusque mordet. Cuius animalis speciē, & infestā hominibus, noxiamq; naturā, hisce verbis descripsit Philo in primo libro de vita Mosis: Supersunt tria genera plagarū inflicta ab ipso Deo, sine vllo humano ministerio. Primū fuit per animal omniū audacissimum, cynomyam; cui verā appellationē imposuerunt periti nominū, vt erant sapientissimi; cōpositā, videlicet, è duabus impudentissimis animātibus; musca & cane: altera vincēte omnes volucres temeritate; altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrūt enim intrepidè, & si quis arceat, nō cedunt peruicaciter, donec satiētur, hic carnibus, illa sāguine. At cynomya, particeps amborū audaciæ, & mordax, & insidiosum animal est. Nam è lōginquo, in teli morem, magno impetu aduolat, infixaq; cuti, hęret pertinaciter. Tūc verò diris exagita-

Philo.

tæ,

tæ, multo erant molestiores, vltra natiuam sitim sanguinis, armatæ diuinitùs ad vltionem contra homines impios. Sic Philo.

31. *An legendũ sit κυνομυῖα an κοινομυῖα. S. Hieronymus.*

Verùm S. Hieronymus sub finem eius Epistolæ, quam scripsit ad Suniã & Fretelam (ea verò inter Epistolas eius numeratur 135.) arbitratur LXX. Interpretes nõ vertisse κυνομυῖαν, id est, Caninã muscam, vt interpretati sunt Latini: sed κοινομυῖαν, id est, communẽ muscã, vel muscam, vt communiter omnẽ muscam cõprehendat, id est, omne genus muscarum, sicut vocatur in hoc octauo capite Exodi: ad quam item sentẽtiam Aquila vertit παμμυῖαν, id est, omnimodã muscam. Hæc Hieronymus. Sed cõtra eius sententiã facit, quod non solùm Theodoretus & Augustinus, & Origenes, alijque antiqui Patres legunt ex translatione Septuaginta, cynomyiam, id est, canicam muscam, verumetiam ita legit Philo, vt ex verbis eius paulò ante memoratis manifestum est. Vixit autem Philo tempore Christi Domini nostri, & Apostolorum; quo tempore fuisse sinceram atque incorruptam translationem LXX. Interpretum, fit admodum verisimile. Latinus porrò noster interpres in hoc loco, vt suprà diximus, hebræam vocẽ interpretatus est, muscam omnis generis, vel diuersi generis, & item muscã grauissimam. Similiter muscam vocauit in libro Sapientiæ, cap. 16. vbi commemoratur hæc quarta plaga: at verò in Psal. 77. & 104. secutus LXX. Interpretes, etiã græcum nomen, quo illi sunt vsi, retinuit, appellans cynomyiam.

32. Sed enim pleriq; tum Hebræorum, tũ de nostris hebrææ linguæ ac Scripturæ studiosis curiosisq́; mixturã animaliũ, quã significat vox hebræa, nolunt fuisse muscarũ; sed aliorum animaliũ, & grandiorũ quàm musca, & nocentiorũ homini. Iosephus certè memorans hanc plagã, in 2. lib. Antiquitatum ita scribit: Varias & multiformes bestiolarum species immisit, quales nemo ante eam diẽ vnquã viderat; tanta copia, vt tota regio repleretur hoc malo: præ quarũ item frequentia, & homines plurimi extinguebãtur, & terra coli nullo pacto poterat: & qui præsentaneũ exitiũ euadebãt, infecti tamen earũ veneno, à morbis corripiebantur. Sic Iosephus. Dauid Kimhi in suis Radicibus, hebræam vocem (Habob) interpretatur, ex multis speciebus animalium: Vatablus habet, varij generis insecta: Pagninus; omne genus ferarum: Paraphrasis Chaldaica; mixturam bestiarum noxiam: Rabbi Salomon, turbam serpentiũ, & scorpionum, atq; aliorũ venenatorũ animaliũ: Rabbi Sephararadi, & ABenEsra, incursionem leonum, pardorum ac luporũ.

Iosephus.

Hebræorũ Rabini, Kimhi. Sepharadi. Aben Esra. Salomon.

33. *Caietani opinio discutitur.*

Caietanus ait: Licet Scriptura hoc loco, tantũ dicat fuisse mixturam animalium, non declarando, quorũ animaliũ mixtura fuerit; ex verbis tamen ipsius Scripturæ bona fieri coniectura potest, fuisse mixturã paruorum animaliũ agrestiũ, quæ terris, & rebus Aegyptiorũ tã domesticis, quàm externis nocuerint; nõ autẽ personis ipsorum; & ideò nõ fuisse muscas, quæ personis magis, quàm rebus infestæ sunt. Ponam verba Caietani: Vbicunque, inquit, in hac quarta plaga legis, omne genus muscarũ, vel muscas diuersi generis, vel grauissimã muscam, & breuiter muscas; ex officina Interpretum scitò ita legi: nam in hebræo textu nullum animal nominatur, sed tantùm mixtura. Aiunt, septuaginta Interpretes introduxisse genus muscarum, & vitio scriptorũ, introductas esse cynomyias. Sed quorum animaliũ fuerit illa mixtura, non est certum. Hebræi Doctores putãt fuisse mixturam animaliũ syluestriũ gressibilium: nos autem in expositione Psalmorũ secuti sumus Græcos & Latinos: nunc autẽ ex proposito perscrutando textũ proprium, ex his quæ in littera dicuntur, neutrã sequimur sententiam. Duo nãque de hac mixtura in littera annotauimus: alterũ, quod domus Pharaonis & Aegyptiorũ impletæ sunt hac mixtura: ex quo apparet, nõ fuisse mixturã magnorũ animaliũ, siquidẽ vel vnus leo sufficiẽs fuisset ad euertendã vnam domum. Alterũ est, quod terra habitata ab Aegyptijs fuerit corrupta & comesta ab ista mixtura: vnde liquet, non fuisse muscas; siquidẽ hæ principaliter sunt molestæ personis hominũ: Scriptura verò nullam in hominibus fuisse læsionẽ, sed in domibus tantùm & terris significat. Ex his probabilius apparet, fuisse mixturã paruorũ animalium agrestium, quæ ex agre-

agreſtibus locis in terrā habitatā ab Aegyptijs venerint, eam comedentes atq; deſtruentes. Nec propterea excludūtur ab hac mixtura agreſtia volatilia, ſed tātùm agreſtia venenoſa, quæ perſonis hominum nocent. Hactenus ex Caietano.

34. At enim, Caietano arbitrantur, animalia illa non fuiſſe muſcas, nec fuiſſe infeſta, & noxia hominibus, omnino aduerſatur Latina tranſlatio, & item LXX. Interpretum, quas, omnes Patres & Theologi ſecuti ſunt: hæ namq;, vbicunq; in Scriptura memoratur hæc plaga, faciūt eam muſcarum. Aduerſantur etiā Caietano duo Hebræorum principes, à Patribus & ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus valde laudati, Philo & Ioſephus; qui (vt ex ſuprapoſitis eorum verbis manifeſtum eſt) animalia illa præcipuè maximeq; hominibus nocuiſſe prodiderunt. Aduerſatur demùm Caietano ſacra Scriptura tribus in locis. Primùm in Pſalmo 77. dicens: *Miſit in eos cynomyiam & comedit eos.* Et item in libro Sapientiæ cap. 16. vbi hæc plaga memoratur, apertè dicitur, Muſcarum morſibus occiſos eſſe Aegyptios. Denique in hoc capite dicitur, miſiſſe Deum omnis generis muſcas in Pharaonem, & in ſeruos eius, & in omnes domos, & in omnem terram eorum. Vbi videre licet, non ſolùm domos, & terras Aegyptiorum, ſed etiam perſonas eorum fuiſſe infeſtatas & læſas ab illis animantibus.

35. *Auctoris ſententia.* Sed quænam eſt noſtra ſententia? Ego, vt putem quartam hanc plagam fuiſſe omnis generis muſcarū, valde moueor auctoritate Latini interpretis, vbiq; vocantis muſcas: quam lectionem pleriq; Doctorum Latinorum ſecuti ſunt. Vehementer etiam mouet me auctoritas LXX. Interpretum, Hebrææ linguæ peritiſſimorum, & in ſcientia ſacrarum litterarum ſapientiſſimorum hominum, vbique vertentium muſcas. Nam licet propriè vocent κυνομυῖαν, id eſt, caninam muſcam; non ideo tamen alias muſcarum ſpecies excluſerunt; ſed præcipuè nominarunt caninam muſcam, quòd ea propter inſignem audaciam, & violentiam atque moleſtiam memorabilior eſſet. Nec leuiter me mouet auctoritas idem ſentientium, Philonis, & Origenis, atque omnium Græcorum interpretum; & de Latinis, S. Auguſtini; ſed omnium maximè B. Hieronymi, Hebraicæ linguæ & Scripturæ doctiſſimi: qui non ſolùm ſemper vertit muſcas, ſed aliam lectionem nullam memorat. Fuit ergo plaga illa omnis generis muſcarū. Thoſtatus quippe varias muſcarum ſpecies eſſe docet; quaſdam communes; alias virides & fœtentes; quaſdam valde craſſas & ſonantes; nonnullas ex mortuis aquis generatas, alias, quæ iumenta maximè inuadant & infeſtent; & item quaſdam morſu venenatas, quales fuiſſe dicit, quæ per hanc quartam plagam miſſæ ſunt aduerſus Aegyptios.

36. *Quàm fuerint aliquā do exitiales muſcæ.* Nemo autem leuem fuiſſe putet hanc muſcarum plagam: nam præter moleſtiam, perniciem quoque non ſolùm ſingulatim hominibus, ſed vniuersè populis etiam attuliſſe muſcas, ex veterū monumentis notum eſt. *Plinius.* Audi Plinium in libro decimo, cap. 28. hæc prodentem: Inuocant & Aegyptij Ibes ſuas contra ſerpentium aduentum, & Elei Myiagrō Deum, muſcarum multitudine peſtilentiam afferēte: quę protinus intereunt, ea qua litatum eſt illi, die. Idem lib. 29. capite ſexto: Nullum, inquit, animal minus docile quàm muſca, exiſtimatur, minoris ſue intellectus: eo mirabilius Olympiæ ſacro certamine, nubes earum, immolato tauro, Deo, quem Myioden vocant, extra territorium id abire.

Cur Iudæi principem Dæmonum vocauerint Beelzebub. *B. Hieronymus.* Verùm duæ hoc loco Lectori fortaſſe occurrent dubitationes: quarum altera eſt: Cur Iudæi principem Dæmonum appellauerint Beelzebub, quod nomen ſignificat Dominum vel Deum muſcæ, ſiue muſcarum. Audi reſponſionem beati Hieronymi ſuper caput decimū Matthæi, ad hunc modum ſcribentis: Beelzebub, Idolum eſt Accaron, ſic vocatum in quarto Regum volumine, quaſi dicas, Idolum muſcæ. Principem autem Dæmoniorum, ex ſpurciſſimi animalis vocabulo appellabant Iudæi, quod muſca dicitur, propter immunditiam, quæ exterminat ſuauitatem olei. Sic Hieronymus. Dicamus nos hoc ipſum paulò explicatius. Accaronitæ (fuit autem Accaron vna de præcipuis Philiſtinorum prouincijs, quarum domini vocantur reguli in libro Ioſue, capit. 13.) Beelzebub maximè colebant, vt principem,

summumque Deorum omnium. Hebrei autem odio quodam & detestatione illius gentis, quæ ipsis diu multumque infesta fuerat, principem Dæmonum, vocabant Beelzebub, eodem videlicet nomine, quo illi summum Deum suum nominabant.

Cur Deus Accarō vocatus est Beelzebub. Altera dubitatio, cur Deus Accaronitarū vocatus est Beelzebub, id est, Deus muscarum? An quod multo sanguine victimarum, quæ offerebantur, aspersum illud Idolum, perpetuò esset plenū muscis? An quod Deus ille ab ea gente inuocaretur ad muscarum calamitatem auertendam? sicut Eleos ob similē causam refert Plinius, vt supra diximus, sacrificasse Deo, quem Myiagron, id est, muscarum venatorem, vel occisorem appellabant. Nusquam tamen memini legere, talem muscarum calamitatem antiquitus cōtingere solitam Palæstinæ.

37. *Mystica expositio quartæ plagæ.* De reliquo, tradenda nobis est mystica huius quartæ plagæ significatio atque interpretatio. *S. Augustinus.* S. Augustinus conuenientiam quartæ plagæ cum quarto præcepto Decalogi, quod est: *Honora patrē tuum, & matrem tuam,* hunc in modum declarat. Aegyptiorum Cynomyia, id est, canina musca, pœna est eorum qui parentes non honorant: qui enim parētes honorare negligunt, musca eos canina, id est, nequitia Diaboli spiritualiter affligit, & cruciat. Caninum enim est, parentes suos non agnoscere: vnde canum catuli, cæci nascuntur. *Origenes.* At Origenes, & idem Augustinus in sermone 87. de Tempore, quartam hanc plagam Cynomyiæ, id est, caninæ muscæ, comparāt Cynicorum sectæ, qui ad reliquas deceptiones suæ improbitatis, etiam voluptatem, summum prædicant bonum. *Isidorus.* Secundum Isidorum, per hanc plagam canini mores, id est, audaces, sordidi, & maledici signantur. Potest etiam musca canina significare forensem eloquētiam causidicorum, & litigantium, qui tanquam canes se inuicem mordent & lacerant. Sed quia musca est animal vagum, & inquietum, & importunum, ac molestum, *S. Gregorius.* pulchrè docet S. Gregorius muscas istas Aegyptias significasse mūdanarum & carnalium cogitationum & desideriorum inquietudinem & molestiam, qua mundi amatores & sectatores voluptatum vehementer feriuntur. Ponam verba eius omni melle dulciora: exponens enim verba illa Iob, capite 28. *Et mare loquitur, Non est mecū.* Sic ait: Quid maris nomine, nisi secularium mentium amara inquietudo signatur? Quæ dum se vicissim inimicitiis impetunt, quasi aduersantes se vndæ collidunt? Rectè profectò mare, vita secularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab interne sapientiæ quiete atque stabilitate disiungitur. Quid enim in hac vita laboriosius, quā terrenis desiderijs æstuare: aut quid quietius, quā, q̄d sit huius seculi, nihil appetere? Hinc est, quod Israeliticus populus custodiam Sabbati accepit in munere: hinc è contrario est, quod Aegyptus muscarum multitudine percussa est. Populus namque Dei cultor, accipit Sabbatum, id est, requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum carnaliū appetitu frangatur: Aegyptus verò quia mundi huius figuram tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens & inquietum animal est: in qua quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Vnde alibi dicitur: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguēti.* *Eccle. 1.* quia cogitationes superfluæ, quæ assiduæ in animo carnalia cogitante, & nascuntur, & deficiunt; eam suauitatem, qua vnusquisque intrinsecus per Spiritum vnctus est, perdunt: quoniam integritate eius perfrui non permittunt. Aegyptus ergo muscis percutitur, quia corda eorum, qui terrenā vitam diligunt, dum suorum desideriorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt: vt ad quietis intimæ desiderium non leuentur. In his itaque inquietudinum fluctibus habitare sapientiam Dei non posse, vir sanctus rectè cognoscens, dixit: *Et mare loquitur: Non est mecum.* Hactenus ex B. Gregorio.

SEPTI-

SEPTIMA DISPVTATIO.

De germano intellectu & sententia illorum verborum, quæ Moyses dixit Pharaoni:

ersu 26. Non potest ita fieri: abominationes enim Aegyptiorũ immolabimus Domino Deo nostro? Quod si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij, corã eis, lapidibus nos obruent.

38. HÆC verba dixit Moses Pharaoni, potestatem faciẽti Hebræis sacrificandi Deo, non tamẽ extra Aegyptum, sed in Aegypto. Hoc negat Moses fieri posse sine Hebræorum exitio: quos ea sacrificãtes animalia, quorũ cædes abominationi erat in Aegypto, sine dubio lapidaturi erant Aegyptij. Verùm ante omnia, horũ verborum lectionis varietas excutiẽda est. LXX. Interpretes totum hunc locũ asseriuè ita transtulerunt: *Non potest fieri sic: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Si enim immolauerimus abominationes Aegyptiorum palã ipsis, lapidabimur.* Paraphrasis Chaldaica huiusmodi reddit sententiam: *Non cõuenit ita facere: eò quod iumentum quod Aegyptij colunt, tollemus ad sacrificandum corã Deo nostro. Ecce sacrificabimus pecudẽ Aegyptiorum, quam ipsi colunt, ipsis videntibus; an non iubebunt lapidari nos?* Pagninus ex Hebræo sic vertit: *Non est rectum vt faciamus sic: Num abominationem Aegypti sacrificabimus Deo nostro? si sacrificauerimus abominationem Aegypti in oculis eorum, nonne lapidabunt nos?* Itaque LXX. Interpretes totum hunc locum assertiuè reddiderũt: Paraphrasis Chaldaica, priorẽ partẽ assertiuẽ; posteriorẽ interrogatiuè: Pagninus vtramq; interrogatiuè: Latinus interpres priorem partem interrogatiuè, posteriorem verò assertiuè expressit.

39. *Tres lectiones huius loci.* S. Augustinus, tres fuisse in ætate sua, apud Interpretes, loci huius lectiones, in quæst. 28 in Exodũ, docet his verbis: *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Deo nostro.* Id est; hęc sumus immolaturi, quæ abominantur Aegyptij; & propterea nõ possumus immolare in Aegypto. hæc enim manifestant verba, quæ adiungit, dicens: *Si enim immolauerimus abominationes Aegyptiorum palam ipsis, lapidabimur.* Hoc autem intelligentes quidã Interpretes nostri, sic locum hũc interpretati sunt: *Non potest sic fieri; numquid abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro?* Cum magis hoc Scriptura dixerit quod abominationes Aegyptiorum immolaturi erant. Alij verò Latini sic legunt hunc locum: *Non potest fieri sic: quoniam abominationes Aegyptiorum non immolabimus Deo.* Contrarium sensum facit addita particula negatiua: cũ tamen Moses apertè dicat, immolaturos eos esse abominationes Aegyptiorũ; & ideò velle in solitudinem ire, vbi Aegyptii non viderent abominationes suas. Est autem mysticè intelligẽdum hoc dictum Mosis: sicut & quod dictum est Genes. 46. Pastores ouium esse abominabiles Aegyptijs. Sic enim sacrificia Hebręorum abominationes sunt Aegyptijs, sicut iniquis abominabilis est vita iustorum. Hæc Augustinus.

Tres itaq; sunt huius loci lectiones, priores duæ affirmatiuæ, quarum prior, vtramq; partẽ sententiæ reddit assertiuè, & est lectio LXX. Interpretũ: posterior autem primam reddit interrogatiuè, secundã verò assertiuè, & est lectio Latini Interpretis. Tertia lectio negatiuè reddit sententiã huius loci. Et quia S. Augustinus improbare videtur secundã lectionẽ, quæ est nostri Latini Interpretis, sciendum est, eam facilè defendi posse, si subintelligamus illa verba: *Coram Aegyptijs* vt proxima post verba declarãt. Vt sit hæc integra lectio: *Num abominationes Aegyptiorum immolabimus coram ipsis?* Quæ interrogatio vim habet negãdi. Et hoc indicãt proximè sequẽtia verba; *Si enim immolauerimus abominationes Aegyptiorũ corã ipsis, lapidibus nos obruẽt.* Aduertat autẽ Lector, in Latina lectione, particulã illã, enim, aut vacare, cũ nõ seruiat interrogationi, sed obstet potius; aut positam esse pro An, vel Num. *Lectio vulgata lectionis Latinæ defenditur.*

Sed quæ sunt abominationes Aegyptiorũ? Dupliciter hoc exponi potest. Primò, 40. *Quid hoc*

loco per abominationes Aegyptiorum intelligere oporteat. Primò, vt significet ea, quæ Dijs suis sacrificabant Aegyptij, quæ Hebræis erant abominanda. Apud veteres certè porcus immolabatur Cereri: anser Veneri: asinus Priapo: Dianæ canis: Phœbo equus. Huiusmodi porrò animalia, immolare Deo, nefas erat apud Hebræos. Verùm hæc interpretatio licet non malè aptetur tertiæ lectioni huius loci, quæ est negatiua; nec lectioni LXX. Interpretum, nec nostræ lectioni Latinę accõmodari potest: vtraq; enim in lectione apertè dicitur, immolaturos esse Hebræos ea, quæ abominabantur Aegyptij. Verius igitur dictu est, per abominationes Aegyptiorum intelligi debere, eius generis animalia, quorum cædem, siue ad esum, siue ad sacrificium, abominabantur Aegyptij, quod ea pro Dijs colerẽt: huiusmodi autem animalia erant, tauri, oues, capræ, & id genus alia. Quam etiã ob causam, pastores ouium detestabantur Aegyptij, vt scriptum est Genes. 46.

41. Cęterùm quispiam fortasse quæreret, vnde notum fuerit tunc Mosi, Hebræos immolaturos esse animalia, quorũ cædem abominabantur Aegyptij, cum nihil tale Deus illis mandasset, sicut testatur Hieremias, cap. 7. Et post id tẽporis, Deus, data lege, præscripserit, quæ animalia sibi essent immolanda, quæ verò non. Responderi potest, vel id fuisse notum Mosi per singularem quãpiam Dei reuelationem: nec id mirum, cum ei familiarissimus esset, & ore ad os, tãquam amicus cum amico, loqueretur cum eo. *Numeror. 12.* Vel id fortasse fore putauit Moses, recordatione eius sacrificij, quod fecit Abraham Deo, & quo fœdus cum eo percussit, vt legitur Genes. 15. Tunc enim Deus sibi iussit sacrificari, vaccam, arietem, capram, & item turturem, & columbam: quorum animalium cędem execrabantur Aegyptij.

42. *Disceptatio cum Ruperto.* Ex his petenda est solutio eius ratiocinis, siue argumentationis, qua Rupertus argumentatur, per abominationes Aegyptiorũ, quas immolaturi Deo erãt Hebræi, nõ debere intelligi pecora, quæ immolaturi essent Deo, & quorũ cædẽ abominarentur Aegyptij; argumẽtatur, inquam, hoc Rupertus auctoritate Dei, qui per Hieremiã cap 7. affirmat, cũ eduxit Hebræos ex Aegypto, nihil tunc se præcepisse illis de holocaustis vel animaliũ victimis sibi faciẽdis. Arbitratur itaque Rupertus, abominationes Aegyptiorũ immolãdas Deo, esse fidem, iustitiam, pietatẽ, cæterasq; virtutes, quas Aegyptij abominabantur, & item asperã cõmissorum peccatorum pœnitentiã, macerationẽ corporis, malarumq; cupiditatum mortificationem, aliarumq; similium rerum, quarum sacrificiũ Deo gratissimum erat, Aegyptijs contrà prorsus abominabile. Abscribam hîc verba Ruperti, quia tractans illa verba: *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro:* ad hunc modum scribit: Grauis Aegyptiorum detestatio, & eorum, qui veri adoratores vnius Dei esse cupiunt, pulchra instructio. Primò sciendum, quia de nullo hîc pecore agitur, quod vel abominandum, vel colendum esset Aegyptijs, vt Domino Deo vero mactaretur, & immolaretur. Nam per Hieremiam ipse loquitur: *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocaustomatum & victimarum: sed hoc præcepi eis dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.* *Locus Hierem. 7. vide infrà numero marginali 43.* Quænã igitur sunt abominationes Aegyptiorũ, nisi fides, & omnes animi virtutes? Vel quæ sunt, quæ colunt Aegyptij, nisi omnia vitia? Abominabilis nãque est superbis humilitas, & iniustis vniuersa iustitia. Dicit autem Scriptura: *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatũ Deus non despicies.* *Psal. 50.* E contrario, tumidam ceruicem & cor crassum Aegyptij colunt: sed primitus hæc mactare debet verus Israel, & tunc demũ spiritũ contribulatũ, & cor offerre contritum, vt legitimum & ritè ordinatum sit sacrificium. Igitur abominationes Aegyptiorum, id est, veritatẽ, & sanctitatem immolabimus: & ea, quæ colunt Aegyptij, id est, omnem falsitatem, omnemq; prauitatem, vnum Deũ colendo, in nobis ipsis immolabimus. Sed omnes qui hoc ordine volunt immolare, persecutionem patiuntur: vnde subditur: *Si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij coram eis, lapidibus nos obruent.* Hactenus fuere Ruperti verba.

At enim sacrificium, de quo loquitur Rupertus, est internum & spirituale, 43. *Refellitur*

&

interpretatio Ruperti. & est sacrificium vitiorum & virtutum: non est autem externum, nec aspectabile, nec animalium sacrificium: Mosem verò loqui de sacrificio externo & corporali, & aliquorum animalium, præter concordem omnium expositorum tam Hebræorum quàm Christianorum sententiam, apertè declarant etiam illa verba Mosis: *Si mactauerimus ea quæ colunt Aegyptij coram ipsis, lapidibus obruent nos:* Quæ verba ad internum sacrificium virtutum siue vitiorum haud quaquã aptari possunt. Nimirum, ob tale sacrificium faciendum nihil tunc Hebræis timendũ erat ab Aegyptijs. Auctoritate porrò Hieremiæ non aliud concluditur, nisi Deum, cùm locutus est Mosi, de liberandis educendisq; Hebræis ex Aegypto, nihil ei tunc præcepisse de certo aliquo genere animalium sibi tunc sacrificãdo, vt patet legenti tertium & quartũ caput Exodi: vbi legatio ista Mosis ad liberandum populum à Deo iniuncta narratur. Moses tamen vel diuina reuelatione, vt diximus, vel exemplo maiorum suorũ, præcipuè vero Abrahæ, cognitũ habuit; sacrificia, quæ post egressum ex Aegypto facienda erant Deo, eorum potissimùm fore animalium quorum cædem atque immolationem abominabantur Aegyptij.

44 Clausula sit huius disputationis, mystica expositio illorum verborum: *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Sancti viri, Deo immolant abominationes Aegyptiorum, quoniam ea colunt maximè, eaq; potissimũ offerunt Deo, quæ mundani homines & carnales maximè fugiunt, oderunt, auersantur: paupertatem dico, humilitatem, ignominias, laborum & dolorum perpessionem, voluntarias corporis afflictiones, iniuriarum atque offensarum prõptam condonationem; hæc illi offerunt Deo, gratissimum nempe, & acceptissimum ipsi sacrificium, sicut Dauid dixit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* (*Locus Psal. 50.*) Atque hæc est complurium, & cum primis nobilium auctorum interpretatio; vt Ambrosij in primo libro Epistolarum, Epistola 4. quæ est ad Irenæum: & Bernardi in sermone super illis verbis: *Dixit Simon Petrus ad Iesum.* Sed omniũ (*Ambrosi⁹, & Bernardus. Matth. 19.*) dissertissimè locũ hunc tractauit B. Gregorius in lib. 10. Moralium cap. 27. exponens enim verba illa Iob, cap. 12. *Deridetur iusti simplicitas*: Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, & sensum verbis velare; & quæ falsa sunt, vera ostendere; & quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc prudentia, vsu à iuuenibus scitur; hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo, superbiunt: hanc qui nesciunt, subiecti & timidi, in alijs mirantur: quia ab eis hæc duplicitas, iniquitatis nomine palliato, diligitur; dum mentis peruersitas, vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit, honorum culmina quærere, & adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere: irrogata ab alijs mala, multiplicius reddere: cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere: cũ virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. (*Pulchra B. Gregorij oratio & disputatio, Quàm diuersi bonorum, atque improborũ sint sensus, studia & mores.*)

At contrà, sapientia iustorum, est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire: vera, vt sunt, diligere; falsa euitare; bona gratis exhibere: mala libẽtius tolerare, quàm facere: nullam iniuriæ vltionem quærere; pro veritate contumeliam, lucrum putare. Sed hæc iustorum simplicitas deridetur: quia puritatis virtus, à sapientibus huius mundi fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, stultum ab illis putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Vnde bene egregius ille Dei sapiens de huius mũdi dilectoribus dixit: *Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Oues quippe Aegyptij edere dedignantur: sed quod abominantur Aegyptij, hoc Israelitæ Deo offerunt: quia simplicitatem conscientiæ, quam iniusti velut infirmam abiectamque despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt. Hactenus ex B. Gregorio.

BENEDICTI PERERII IN CAPVT NONVM EXODI, DISPVTATIONES QVINQVE.

Exponuntur tres plagæ sequentes,hoc est,quinta, quæ fuit pestis; sexta, vlcerum; septima grandinis, mixtæ cum ignibus cælestibus.

CAPVT NONVM EXODI.

Versu 1. DIXIT autẽ Dominus ad Moysen: Ingredere ad
Pharaonẽ,& loquere ad eum: Hęc dicit Dominus
Deus Hebręorum: Dimitte populum meũ,vt sacri
2. ficet mihi. * Quod si adhuc renuis,& retines eos,
3. * ecce manus mea erit super agros tuos,& super e-
quos,& asinos,& camelos,& boues,& oues,pestis valde grauis.
4. * Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel & possessio
nes Aegyptiorũ, vt nihil omninò pereat ex his quæ pertinent ad
5. filios Israel. * Constituitq; Dominus tempus, dicens: Cras fa-
6. ciet Dominus verbũ istud in terra. * Fecit ergo Dominus verbũ
hoc altera die,mortuaq; sunt omnia animãtia Aegyptiorum: de
7. animalibus verò filiorum Israel nihil omnino perijt. * Et misit
Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ
possidebat Israel. Ingrauatumq; est cor Pharaonis,& nõ dimisit
8. populum. * Et dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Tollite ple-
nas manus cineris de camino,& spargat illum Moyses in cęlum,
9. corã Pharaone. * Sitq; puluis super omnẽ terram Aegypti: erũt
enim in hominibus & iumentis vlcera,& vesicæ turgẽtes in vni-
10. uersa terra Aegypti. * Tuleruntq; cinerẽ de camino,& steterunt
corã Pharaone,& sparsit illum Moyses in cęlum: factaq; sunt vlce
11. ra vesicarum turgentium in hominibus,& iumentis: * nec pote-
rant malefici stare corã Moyse, propter vlcera quæ in illis erãt,&
12. in omni terra Aegypti. * Indurauitq; Dominus cor Pharaonis,
13. & nõ audiuit eos, sicut locutus est Dñs ad Moysen. * Dixitq; Do
minus ad Moysen: Mane cõsurge,& sta corã Pharaone,& dices
14. ad eum: * Hæc dicit Dñs Deus Hebræorum: Dimitte populum
meum,vt sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas

meas

meas super cor tuum,& super seruos tuos,& super populũ tuum,
vt scias quod non sit similis mei in omni terra.* Nũc enim exten 15.
dẽs manũ, percutiam te, & populũ tuumpeste,peribisq; de ter-
ra. * Idcirco autem posui te,vt ostendam in te fortitudinẽ meã, 16.
& narretur nomen meũ in omni terra. * Adhuc retines populũ 17.
meum,& non vis dimittere eum. * En pluam cras in hac ipsa ho 18.
ra grandinem multã nimis, qualis non fuit in Aegypto à die qua
fundata est,vsq; in præsens tempus. * Mitte ergo iã nunc, & cõ- 19.
grega iumẽta tua, & omnia quæ habes: homines enim,& armẽ-
ta,& vniuersa quæ inuenta fuerint foris, nec cõgregata de agris,
cecideritq; super ea grãdo,morientur. * Qui timuit verbum Do- 20.
mini de seruis Pharaonis fecit cõsurgere seruos suos,& iumẽta in
domos: * qui autem neglexit sermonem Domini dimisit seruos 21.
suos,& iumenta in agris. * Et dixit Dominus ad Moysem: Extẽ- 22.
de manum tuam in cęlum,vt fiat grando in vniuersa terra Aegy
pti super homines, & super iumenta,& super omnem herbã agri
in terra Aegypti.* Extenditq; Moyses virgam in cęlum, & Do- 23.
minus dedit tonitrua, & grandinem,ac discurrentia fulgura su-
per terram:pluitq; Dominus grandinẽ super terrã Aegypti. * Et 24.
grando & ignis mista pariter ferebantur:tantæq; fuit magnitudi
nis, quanta ante nũquam apparuit in vniuersa terra Aegypti,ex
quo gẽs illa condita est. * Et percussit grãdo in omni terra Aegy 25.
pti cuncta quæ fuerunt in agris,ab homine vsq; ad iumenta:cun-
ctamq; herbam agri percussit grando,& omne lignũ regionis
confregit. * Tantùm in terra Gessen,vbi erant filij Israel, grando 26.
nõ cecidit: * Misitq; Pharao, & vocauit Moysen & Aaron, di- 27.
cens ad eos: Peccaui etiam nunc,Dominus iustus:ego & popu-
lus meus,impij. * Orate Dominum vt deficiant tonitrua Dei, &
grando,& dimittã populũ,& nequaquã hic vltra maneatis. Ait 28.
Moyses: * Cũ egressus fuero de vrbe,extendam palmas meas ad
Dñi,& cessabunt tonitrua & grando nõ erit: vt scias quia Dñi 29.
est terra: * noui autem quod & tu, & serui tui nec dum timeatis 30.
Dominum Deum.* Linum ergo & hordeũ læsum est, eò quod 31.
hordeum esset virens,& linum iam folliculos germinaret: * triti- 32.
cum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant. * Egressus- 33.
que Moyses à Pharaone ex vrbe,tetendit manus ad Dominum:
& cessauerunt tonitrua & grando, nec vltra stillauit pluuia super
terram.* Videns autem Pharao quod cessasset pluuia, & grando, 34.
& tonitrua, auxit peccatum. * Et ingrauatum est cor eius,& ser- 35.
uorum illius, & induratum nimis: nec dimisit filios, sicut præce-
perat Dominus per manum Moysis.

PRIMA DISPVTATIO.

De quinta plaga, quæ fuit pestis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 3. **Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis valde grauis.**

1. *Iosephus.* CVR Iosephus in lib. 2. Antiquitatū hanc solam omnium decē plagarū commemorare prætermiserit, cū alias omnes diligenter exposuerit, non alia videtur reddi posse ratio, nisi admodum crassa quædam, vel obliuio, vel incuria. *Philo.* Philo hanc plagam breuiter exposuit, his verbis: Post hanc pœnam (quartam scilicet plagā) successit alia, nemine tūc quoque ministro iræ numinis, videlicet, interitus pecorū. Namque armenta & greges ouium, caprarumque, præterea iumēta omnis generis, vna die, tanquam ex cōposito, gregatim moriebantur, portendentia, paulò post secuturam pestem hominum: quemadmodum aiunt, publicas pestilētias solere primum in bruta sæuire animalia, & inde mox in homines. Sic ille. Hæc plaga, sicut præcedens, non per Mosem vel Aaron, sed proximè à Deo, vel potius inuisibili Angelorū ministerio, inflicta est. *Caietanus.* Cuius rei Caietanus sub finē octaui capitis, huiusmodi reddit causā: Nec per Mosem, inquit, nec per Aaron, sicut præcedentes plagæ, nec mediante virga, aut signo aliquo sensibili fecit Deus hoc miraculū, vt textus sonat, ad tollendā videlicet occasionē suspicādi, quod in virga esset virtus faciendi mirabilia per magicas artes, & nō ipse Deus faceret miracula hæc. Sic Caietanus.

2. Meritò autem hac quinta plaga puniti sunt Aegyptij in suis animalibus. Et enim ipsi vehementer Hebræos afflixerant, eorum iumenta & armenta, atque greges vel rapiendo, vel intolerandis oneribus impositis enecando. Vocatur hæc plaga, secundum Latinam trāslationem, & ipsorum LXX. Interpretum, & scripturam Hebraicam, pestis grauis: secundum autem Paraphrasin Chaldaicam, nominatur mors, ab effectu nēpe, quia subitam animalibus mortem afferebat. Ac lectio quidem Latina significare videtur, pestem illam primùm cecidisse super agros, & inde super animalia, vt primò quidē pascua, quæ erant in agris, subita peste infecta & corrupta sint, ex quo postea factū est, vt animalia, quod illis pascuis alerentur, pestem contagione traxerint, atq; interierint. Sed enim, secundum lectionem Hebraicam, & Septuaginta Interpretum, & Paraphrasis Chaldaicæ, pestis illa animalibus duntaxat, quæ erant in agris, contigit: sic enim ipsi legunt: *Et erit pestis, seu mors, super iumenta, & pecora tua, quæ sunt in campis, & super equos & asinos*. Et ita profectò res habuit: nam & Latina ipsa translatio paulo infrà memorans effectum huius plagæ, narrat tantummodo animalium interitum, nihil de agrorum corruptione loquens. Sic enim ait versu 6. *Mortua sunt omnia animantia Aegyptiorum: de animalibus verò filiorum Israël nihil omnino perijt*. Ergo illud, quod suprà dixerat, versu 3. *Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos*, sic interpretandū est: Erit manus mea super animalia tua, quæ fuerint in agris, siue in campis.

Ex his liquet, non fuisse hac plaga læsas tactasque personas hominum, sed tantum animalia: non quidem omnia, sed ea solum, quæ erant in agris, siue campis; neque hæc omnia, sed quinque solum eorum genera, quæ videlicet in textu recensentur: equos dico, quibus vtebantur Aegyptij ad magnificē incedendum & ad bellandum: asinos item & camelos, quorum erat vsus ad iter faciendum, & portanda onera; huiusmodi enim animalium maxima est in Aegypto copia: denique boues & oues; nam licet hæc animalia non occiderent Aegyptij ad vescendum, vel sacrificandum; bobus tamen vtebantur ad arandum, ouibus autem ad lacticinia & lanificia. Nec verò horum quinque generum omnia per quintam plagam mortua sunt; sed voluntate Dei, superfuere aliqua, quæ deinde in septima & decima plaga perierunt, vt infrà dicitur. Cū igitur hoc loco dicitur, perijsse omnia 3. *Quas res perdiderit hæc quinta plaga.*

nia

nia animalia, intelligere conuenit illud (*Omnia*) esse positum pro plurimis; nam hic modus loquendi non est insolens in
Caietanus. Scriptura. At Caietanus multò secus id exponit: ait enim hunc esse sensum, non quod omnia Aegyptiorum animalia perierint, sed quod quæ perierunt, omnia fuerunt Aegyptiorũ, & nullum animal Hebræorum tunc perijt: Et hanc interpretationem comprobant illa Scripturæ verba quæ sunt versu 6. *Mortua sunt omnia animantia Aegyptiorum: de animalibus verò filiorum Israel, nihil omnino perijt.* Verba Caietani hæc sunt: Cũ dicitur in textu, omnia animantia Aegyptiorum esse mortua, duplex potest esse sensus: alter, vt, *ly*, omnia determinet animalia, & significetur, omnia animalia in textu numerata, periisse in campis: sed hoc aduersari videtur ipsimet Scripturæ, quæ narrat in septima plaga perijsse animalia in agro; & in decima plaga commemorantur primogenita animalium occidenda. Nec sufficienter responderetur, quod post istam quintam plagam aliundè in Aegyptum adducta fuerint similia animalia: temporis enim breuitas, quo istę omnes plagæ factæ sũt, obstare videtur. Non quadrat igitur hic sensus litteræ. Alter itaque sensus est, vt, *ly*, *omnia*, determinet *Aegyptiorum*: perinde ac dictũ fuisset: *Et mortua sunt animantia*: faciendo ibi punctum, & subiungendo, *omnia Aegyptiorum*; ita vt determinetur, animantia, quæ mortua sunt, omnia fuisse Aegyptiorum. In cuius textus testimonium subiungitur: *De animalibus verò filiorum Israel nihil omnino perijt.* Et hic sensus tanquam consonus huic litteræ, & subiunctis omnibus, amplectẽdus est, quia non significatur, omnia Aegyptiorum animantia in agro perijsse, sed graui peste multa esse mortua, & illa quidem omnia fuisse Aegyptiorum, nullo animali Hebræorum læso. Hæc Caietanus.

4. Versu 7. Super illis verbis: *Et misit Pharao ad videndum nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingrauatumq; est cor Pharaonis, & non dimisit populum.* Primò adnotandum est, sicut habet Latina lectio hoc loco, ita quoque habere Hebraicam lectionem & Chaldaicam, non tamen itidem habere Græcam translationem, quę non habet verba illa: *Misit Pharao ad videndum.* Sed sic habet: *Videns Pharao, quod non mortuum esset à iumentis filiorum Israel quidquam.* Hanc variationẽ Eugubinus putat non vitio LXX. Interpretum, sed iniuria temporum vel inscitia librariorum accidisse. Sed nihil planè errati est in Græca lectione: quippe quæ eandem reddit sententiam, omisso tantùm illo de nũtijs à Pharaone missis. Et illud ante nos à viris doctis obseruatum est in translatione LXX. Interpretũ, eos non curasse verbum de verbo reddere, sed ipsam sententiam planè ac dilucidè exprimere; nunc additis quibusdam alijs verbis, interdum detractis quibusdam, quæ sunt in textu Hebraico; nonnũquam diuersis verbis appositis, ad idẽ tamen significantius exprimendum. Deinde super istis verbis quæstio existit, cur Pharao in hac plaga miserit ad videndũ, an Hebræis hæc plaga contigisset, & non miserit ad videndum in præcedentibus plagis. Quidam respondent, etiam ante misisse Pharaonem, sed id, quemadmodum quædam alia, tacuisse Scripturã. Hoc improbat Thostatus: Cur potius, inquit, in hac plaga, quàm in alijs id memorasset Scriptura, si idem ipsum in alijs quoque accidisset? Præterea, si antea misisset Pharao, cum ea de re iam semel & iterum factus certior fuisset, non rursus in hac plaga misisset ad id sciendum: sicut quia in hac plaga id compertum habuit, in alijs subsequentibus mittere supersedit; cum tamen in illis plagis eadem Aegyptiorum, & Hebræorum facta esset distinctio. Propius igitur vero est, plagas, quæ hanc quintam præcesserunt, eiusmodi fuisse, vt obstarent, ne Aegyptij in terram Gessen, vbi erant Hebræi, ire possent. Hoc manifestum est in plaga ranarum: & ciniphum, & muscarum. Similiter in plagis, quæ hanc quintam subsecutæ sunt, idem videre licet. Verùm quid dicemus de prima plaga, qua in sanguinem aqua versa est? Hæc enim obstare non potuit, quo minus irent Aegyptij in terrã Gessen, vt viderent, an ea plaga percussi fuissent Hebræi. An, cum omnis aqua Aegypti fit vel in Nilo, vel ex Nilo deriuetur, corrupta Nili aqua, putarunt Aegyptij etiam aquas Hebræorum fuisse corruptas? & verò, eas quoq; in sanguinem esse conuersas, suprà osten

Eugubin.

Quæstio.

Thostatus.

sum est. An non id fecerunt Aegyptij, quod cum esset prima plaga, non venit illis in mentem id explorare; præsertim cùm Moses non denuntiauerit Pharaoni, fore discrimen hoc Aegyptiorum, atq; Hebræorum?

5. Quæres, cur Pharao non orauerit Mosem pro remotione huius plagæ, sicut antea fecerat? Sed ratio in promptu est: priores namque plagę, aliquandiu durabant, & idcirco tolli poterãt: hæc autem quinta plaga, subita corruptione & morte animalium consummata est, nihil faciens reliqui, quod seruari posset. Illud denique hoc etiam loco posset quæri, An pestis illa per hanc quintam plagam missa, fuerit naturalis, id est, ex causis naturalibus naturaliter profecta; an verò fuerit supernaturalis, id est, per omnipotẽtiam Dei, præter naturæ ordinem & cursum inflicta. Fuit sanè illa pestis principaliter supernaturalis: nam idcirco propriè vocatur manus Domini: *Ecce*, inquit Dominus, *manus mea erit super agros tuos, & iumenta tua*. Hoc ipsum ostendit eius effectus, id est, subitus tot animalium interitus, non quæ intra vrbes, sed quæ extra vrbes in campis erãt. Sed illud certam huius rei fidem facit, quod cùm Hebræi atque Aegyptij promiscuè habitarent, & itidem eorum animalia simul essent in campis, pestis tamẽ animalia Aegyptiorum sustulit, Hebræorũ nihil læsit. Posset aliquo modo dici fuisse pestis illa naturalis, nimirum dispositiuè, seu præparatiuè. Siquidem per plagas præcedentes, facta est in terra Aegypto præparatio quædam ad pestẽ. De ranis quippe suprà scriptũ est, eas fuisse mortuas, & in immensos aceruos congregatas, & ab illis computruisse, & corruptam esse terram, Exodi capite octauo, versu 14.

6. *Mystica expositio quintæ plagæ.* Accipe, Lector, paucis, huius plagæ mysticam interpretationem, quam B. Augustinus his verbis tradit. Quintum præceptum Decalogi est: *Non mœchaberis*. *Exodi 20.* Quinta plaga fuit mors pecorum. *S. August.* More pecorũ viuit ac moritur, qui ratione ac lege diuina contempta, illicitas sectatur libidines, nec audit quod ei dicitur: *Psalm. 31.* *Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*. *Psalm. 48.* Et item illud: *Homo cùm in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Si viuere vt pecus non times; saltem, vt pecus mori time. Sic Augustinus. *Origenes.* Origenes ait: Quoniam Aegyptij diuinum animalibus cultum impiè tribuebant, idcirco occisis eorum animalibus, & impietatis suæ merito puniti sunt; & dementiæ suæ admoniti, quod diuinum in his animalibus numen esse credidissent, quod misera morte viderent interire.

SECVNDA DISPVTATIO.

De sexta plaga quæ fuit vlcerum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 8. & sequẽtibus. Dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses, in cœlum coram Pharaone, sitque puluis super omnem terram Aegypti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera & vesicæ turgentes in vniuersa terra Aegypti. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cęlum: factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis. Nec poterant malefici stare coram Moyse, propter vlcera quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti. Indurauitq; Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos.

7. *Philo.* SEXTAM Hanc plagam breuiter enarrat Philo in primo libro de vita Mosis, ita scribens: Vnam, de communi sententia, fratres ambo inflixerunt plagam. Deo enim iubente, cinerem è fornace hauserunt manibus, quẽ solus Moses iactauit in aërem. Moxque puluis excitatus, & longè lateque dispersus, hominibus, brutisq; dira per totam cutem inussit vlcera; carnibus in-

bus intumescentibus, simulq; fœdis pustulis scatentibus, perinde quasi succensæ clam, efferuescerent. Quo cruciatu, sicut par erat, in exulceratione atque inflammatione oppressi, non minus animo laborabant, quàm corpore, miserè vexati doloribus. Videbatur enim vnum vlcus à vertice vsque ad imos pedes; his, quæ membratim sparsa erant, continua serpigine in vnũ coëuntibus; donec rursum legislatore supplicante, pro sic affectis, leuatus est morbus. Cæterum hæc castigatio commissa est ambobus fratribus; propter puluerem, ipsi Aaron, penes quem erat cura pœnarum è terra prouenientium: Mosi autem, propter aërem mutatum ad affligendos incolas: hic namq; minister erat calamitatum ex aëre cœloq; descendentium. Sic Philo.

8. Hæc igitur plaga præparata est à Mose simul & Aaron; vtroq; manibus suis ferente cinerem è camino: solo tamen Mose eum spargente in aëra: vnde factus est puluis, effector huius plagæ. Cur autem Aaron non etiam sparserit, quem gestabat puluerem, in aëra, sicut Moses; & quorsum illum puluerem gestauerit, quidue factum eo puluere sit, Scriptura tacet, & S. Augustinus quæst. 30. in Exodum, Lectori pẽsitandum relinquit, ita scribens: Signa superiora, virga fiebant, quam non Moses, sed Aaron, vel extendebat super aquam, vel ad terram percutiebat. Nunc verò, interpositis duobus signis de cynomya & pecorum mortibus, vbi nec Aaron, nec Moses aliquid operati sũt manu, dicitur, vt Moses fauillam spargat in cœlum de fornace, & hanc ambo sumere iubentur; sed Moses tantùm spargere, non in terram, sed in cœlum: tanquam Aaron, qui datus erat interpres Mosis ad populum, terram percutere deberet, vel in terram, siue in aquam manum extendere: Moses verò, qui erat in his, quæ erãt apud Deũ, in cœlum iubetur fauillã spargere. Quid duo illa superiora signa sine Mosis & Aaron manu facta? Quid alia per manum Mosis & Aaron patrata? Quid, inquam, sibi vult ista diuersitas? Neque enim nihil denotat. Hæc Augustinus.

S. August.

9. Sparsit itaque Moses puluerem in aëra, cœlum versus, tum vt Pharaoni significaret plagam illam à Domino, ipsius puniendi causa, cœlitus mitti: tum vt cinis ille sparsus in aërem, & in puluerem conuersus, cadensque super homines, & animalia, efficere hanc plagam deberet; quæ hominibus propter eorum culpam, animalibus verò, in pœnam hominum infligebatur. Respondet autem hæc pœna Aegyptiorum culpæ; quippe qui Hebræos afflixerant circa fornaces ardentes, in seruitio coquendorum laterum: quem laborem fuisse grauissimum Hebræis, manifestum facit indicium, quod volens Deus atrocitatem seruitutis Hebræorum Aegyptiacæ declarare, eã appellet fornacem ferream: sic enim legimus Deuter. 4. *Eduxit eos Dominus de fornace ferrea Aegypti*. Magna porrò conuenientia est inter illum puluerem, causam tantæ plagæ, & inter effectum plagæ: siquidem Moses, Dei iussu, accepit cinerem ex camino, seu fornace ardenti: & hac re indicabatur effectus inde profecturus: ex illius namque sparsione natæ sunt vesicæ turgentes, quæ fiunt ex calore: Cum enim caro valde calescit igne, primum existunt in ea quædam vesicæ, siue tumores pleni humore aqueo, vi caloris resoluto: ille autem cinis erat calidus & siccus. Gestabant verò Aaron & Moses manus plenas cinere, siue vt alij vertunt, volas; vel vt alij, pugillos: Cùm enim cõuenturi essent in aula regia Pharaonem, nec inibi cinerem inuenissent; nec serui Pharaonis aliundè voluissent eum afferre, atque eis præbere.

Sed ponderemus verba: *Tollite plenas manus cineris de camino*. Sic habent etiam septuaginta. S. Augustinus loco suprapõsito, legit, *Fauillam ex fornace*. Philo, *Cinerem è fornace:* sic etiam vertit Pagninus. Vatablus legit, *Fauillam fornacis calcariæ*. Paraphrasis Chaldaica habet, *Fauillam fornacis*. Caietanus ait, secundum textum Hebraicum sic reddi hunc locum debere: *Tollite pugillos vestros, plenos inflationis fornacis:* Neq; enim in Hebræo nominatur vel cinis, vel fuligo, vel caminus, sed tantum significatur materia illa, quam flammæ fornacis vis eleuat, quasi eã exsufflãs, quæ materia cadit extra fornacem, cum non amplius attingitur ab impetu eleuãtis flammæ; ea verò est media inter cinerem & fumum, grauior vtique fumo, sed cinere leuior. 10. S. August. Caietanus.

Si

Sic Caietanus. Propriè autem, vt quidam volunt, significatur hîc, alba illa fauilla nondum planè versa in cinerē, qua semimortui carbones cōteguntur. Sumpta verò fuit hæc materia ex fornace ardenti, vt simili pœna cruciarentur Aegyptij, eius, qua Hebræos ipsi circa fornaces afflixerant.

11. Sequitur: *Sitque puluis super omnem terram Aegypti*. Non est putandum, ex illo cinere in aerem sparso, factum esse puluerem super omnes Aegyptios, eorumq; animalia: erat enim perpaucus cinis ille, vt qui manibus tantùm Aaron & Mosis gestaretur: sed omnis ille spargebatur in aerem, ad præsignandam vim plagæ, quę talis erat futura, qualis ille puluis, qui sparsionem cineris subsecutus est. Is verò, Dei potentia tunc productus in aere, in modum densæ niuis vel pruinæ, cadebat super Aegyptios, eorumque animalia: in quibus mox, vrente quadam facultate efficiebat vesicas turgentes. Non igitur erat puluis terræ: is enim licet sit naturaliter siccus, vim tamen non habet vrendi, turgentesque vesicas excitandi. Sed erat puluis, vt diximus, vrens, à Deo factus, vim quandam igneam habens, & plagæ huius effectricem. Si quis contra pugnet fuisse puluerem terræ, eum profectò necesse est dicere, superadditam diuinitùs fuisse hanc nouam virtutem & qualitatem. Et quia puluis ille plurimus erat, & iugiter cadens ex aere, acriq; & vrēti qualitate pollens, implebat Aegyptiorum corpora turgentibus vesicis. Similem huius plagæ minatus est deinde violatoribus legis Dei, Moses, vt scriptū est Deuteron. 28. illis verbis: *Det Dominus imbrem super te, puluerem: & de cœlo cadat super te cinis, donec conteraris.* Sed pergamus ad alia.

Locus Deuteron. c. 28.

12. *Eruntq; in hominibus & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes in vniuersa terra Aegypti.* Monet Caietanus, non dici: *In oībus hominibus, & iumētis*, sed indefinitè *in hominibus & iumentis*: id autē est, in plurimis eorum. Adiungit autem: *In vniuersa terra Aegypti*: significās plagam hanc peruasisse omnia loca Aegypti, in quibus habitabant Aegyptij, & iumenta eorum; non tamen omnes Aegyptios, neque omnia eorum iumenta percussisse. Fuit porrò ea plaga vesicarum turgentium, & vulnerum atque vlcerum: quid autem hæc sint in humano corpore, indicemus. Vesicæ, sunt quidam tumores excitati in cute à calore eleuante ac resoluente: intra quos tumores erant quædam, vt ita loquar, aquositates resolutę à calore ignis, ex partibus carnis subtilioribus, & delicatioribus. Deinde, calore magis siccante, cutis consumebatur, & contrahebatur, ac denique rumpebatur: quæ ruptio carnis aperta, dicebatur vulnus. Post rupturam autem cutis, caro illa aperta & hians paulatim putrescens, & consumpta fiebat vlcus. Ab vlcere autem, eo differt vulnus, quòd vulnus est diuisio carnis extrinsecus facta vel ferrò, vel ligno, vel lapide: vlcus verò, est diuisio carnis ex interiori malo profecta: nimirum cum ob aliquam interiorem intemperiem caro putrescit & cōsumitur, sanguine simul & carne conuersis in saniem. LXX. Interpretes habēt, *vlcera & vesicas feruentes*, vocabulū Hebræum (sechin) & scabiem, & vlcus significat. Vatabli translatio habet, Apostema generans vlcera, vel scabies producens pustulas; Pagninus vertit, vlcus generans inflationes: Paraphrasis Chaldaica; scabies germinans vesicas. Iosephus ait, per hāc plagam exulcerata fuisse intus in cute corpora Aegyptiorum. Philo tradit, horrendam visu hanc plagā fuisse: videbatur enim quasi vnum vlcus à vertice vsque ad imos pedes; ijs, quæ membratim sparsa erant in corporibus vulnera, in vnum, continua serpigine, coeuntibus. Illud hîc obiter notandum, aliquando Deum has plagas ex aliqua materia sensibus hominum manifesta, producere voluisse, vt hanc ex puluere, & tertiam, quæ erat ciniphum: interdum verò absque materia vlla apparente, vt in alijs plagis videre licet. Ex quo intelligitur, Deum ad id, quod vult, peragendum, nō egere creaturarum ministerio, & posse sine causis secundis quidquid vult efficere: & item ipsum, dominum esse omnium creaturarum, easq; ad nutum ei obedire, secūdum illud Dauidis: *Omnia seruiunt tibi.* Et sicut scriptum est in libro Sapientiæ, cap. 16. *Creatura tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro ijs, qui in te confidunt.*

Caietanus. *Vesica.* *Vulnus.* *Vlcus.* *Iosephus.* *Philo.* *Psal. 118.*

Sequitur:

13. Sequitur: *Nec poterant malefici stare coram Mose, propter vlcera, quæ in illis erant.* versu 11. Licet malefici in tertia plaga,
8. euidenti veritate cõuicti fuerint, Mosem per diuinam potentiam operari, dicentes illud: *Digitus Dei est hic*: ex hoc tamen
Malitia Magorum. loco patet, eos postea non recessisse à malitia sua; quin imo perseuerasse, quoquo modo poterant, obsistere Mosi. Fuerunt igitur illi ex eorum hominum genere,
Roman. 1. quos Apostolus dixit: Cùm Deũ cognouissent, non sicut Deum glorificauisse, aut gratias egisse. Quemadmodum aër, præsente sibi Sole fit lucidus, & mox, abscedente eo, fit tenebrosus; idemque sæpius ei contingit: ita mirandum non est, humanum animum aliquando diuina luce illustratum, multa, quæ vera & diuina sunt, & videre, & prædicare; eundemque diuino illo lumine orbatum, postea in tenebris errorum versari. Non placet mihi adnotamẽtum Caietani super hoc loco; Hinc, inquit, apparet per-
Caietanus. seuerantia Magorum aduersus Mosem; & quod non credebant ipsum summum Deum, qui est fons essendi, facere illa mirabilia per manus Aaron, & Mosis; sed Dæmones aliquos potentiores. Verùm nos in disputat. ca. 6. vbi tractauimus illa verba: *Digitus Dei est hic*, opinationem
Rupertus. hanc cõfutauimus. Rupertus docet hoc loco, Magos, & maleficos fuisse à Deo confusos, ostensumque, quanto essent
Ter Magi Pharaonis victi & cõfusi sunt. inferiores Mose & Aaron. Primò, victi & confusi sunt, cum virga Aaron virgas eorum deuorauit, id est, serpens Aaron eorum serpentes: deinde, cum non po-
Exodi 7. tuerunt ciniphes producere. Postremò,
Infrà 8. cum diris vlceribus percussi, non potue-
Ibidem. runt consistere ante Mosem. Fuisse porrò hanc plagam Aegypti grauissimam, satis clarè ostendit diuina Scriptura Deu-
Locus Deuteron. c. 28. teron. 28. Loquens contra præuaricatores, & violatores legis diuinæ. Verba Scripturæ hæc sunt: *Percutiat te Dominus vlcere Aegypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque ac prurigine, ita vt curari nequeas.* Simili plaga Philistæos, qui Arcam Domini cæperant, vehementer afflictos fuisse legimus, in primo libro Regum, cap. 5.

14. Breuem huius plagæ mysticam expo-
Mystica expositio sex- sitionem, Doctores tradunt huiusmodi: Origenes in homilia in Exodum super hoc loco: Hæc, inquit, plaga habet vl- *ta plaga:*
cera, & vesicas, cum feruore. In vlceri- *Origenes.*
bus arguitur dolosa malitia: in vesicis, turgens, & inflata superbia: in feruore, iræ ac furoris insania. S. Augustinus in li- *S. August.*
bro de Conuenientia decem præceptorum legis, & decem plagarum Aegypti, hoc modo super hac plaga philosophatur: Sextum præceptum est: *Non occides*, *Exodi 20.*
Sexta plaga, pullulæ in corpore, & vesicæ bullientes, & scaturientes incendia vlcerum, velut de fauilla fornacis. Tales sunt animæ homicidiales: ardent ira, & per iram homicidæ frater perit. Ardent homines iracundia, ardẽt & gratia: nam qui vult fratri subuenire, feruet; & qui vult occidere, feruet: ille præcepto, iste morbo: ille bonis operibus, iste saniosis vlceribus. O si possemus videre animas homicidarum, sine dubio plus eas plangeremus, quàm putrescentia corpora vlceratorum. Sic Augustinus. At Prosper *Prosper &*
& Rupertus disputant, hac plaga desi- *Rupertus.*
gnatam esse adulterorum pœnam. Quid enim est adulter, cõbustus libidinis igne sulphureo, nisi cinis de camino? *Omnes enim adulterantes* (inquit Oseas cap. 7.) *quasi clibanus succensus à coquente.* Cinis de camino tollitur, & in cœlum spargitur, fiuntque vlcera vesicarum turgentium: quia adulter de perpetrati adulterij incendio, ad cœleste iudicium rapitur; æternaque pœna turgens, totusque vlcerosus, sempiternum in anima & corpore portabit incendium.

Restant vltimo loco declaranda verba 15.
illa: *Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos*, versu 12. In quinque præcedentibus plagis, ait Caietanus, non *Caietanus.*
est nominatus Dominus indurans cor Pharaonis, sed in hac sexta plaga dicitur quod Iehouah indurauit cor Pharaonis: ad significandũ, videlicet quod subtractione diuinæ gratię fiebat illa induratio. Verùm scito, in Hebræo non vocari indurationem, sed roboratiõẽ cordis: & hoc intellige vbiq; tam in præcedentibus, quàm in sequentibus, vbicunq; nominatur induratio cordis. Ad similitudinẽ quippe roboris est, resistere Deo loquenti siue per Prophetas, siue per miracula, siue per plagas. Hæc Caietanus. Adnotauit *Origenes.*
Origenes, indurationem cordis, dupliciter commemorari in Scriptura, sæpe tanquam

quam ab ipsomet homine factam; supra enim sæpius legimus, induratum fuisse cor Pharaonis; videlicet ab ipsomet; & cap. 8. scriptum fuit: *Ingrauauit cor suum Pharao*. Quemadmodum autem peccator induret cor suum, docuit nos B Paulus in cap. 2. Epistolæ ad Romanos illis verbis: *An diuitias bonitatis Dei, & patientia, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram?* Quibus verbis declarauit Apostolus, indurationem hominis esse impœnitentiã eius, abutentis Dei lõganimitate ad amplius peccandum. Cõmemoratur etiam, nec rarò, in Scriptura induratio hominis tanquam à Deo profecta. Nam & in hoc loco Exodi dictum est, Deum indurasse cor Pharaonis; & ad Romanos 9. scriptum est: *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*. Quo loco Paulus dicens Deum indurare, non aperuit, quemadmodum induret Deus, qui summè bonus est, & nullius mali auctor: cùm tamen induratio sit grauissimũ peccatum. Hanc quæstionem, inquit Origenes, ronens Apostolus ad Romanos 9. inexplicatam præteriuit, tanquam sublimiorem captu audientium, nec audẽs talium rerum secreta chartis & atramento committere. Modus enim quo Deus indurat corda hominum, videtur esse de numero eorum, de quibus dixit Paulus, se, cum raptus est ad tertium cœlum, & in Paradisum Dei, audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Imo deterruit nos à curiosa huius quæstionis scrutatione dicens, *O homo, tu quis es, qui contrà respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Et subdit Origenes: Vnde & nobis hæc obseruasse tantum & inspexisse sufficiat; atque ostendisse auditoribus, quanta sint in lege diuina profundis demersa mysterijs, pro quibus dicere in oratione debeamus: *De profundis clamaui ad te Domine*. Sic Origenes.

16. Sed illud, in hac induratione Pharaonis demiratur S. Augustinus, ijs rebus esse Pharaonem magis obsirmatum in malitia, quibus reb. maximè emolliri; & ad timorem atque obedientiam & reuerentiam Dei flecti debuisset. Tractans enim illa verba huius capitis, quæ sunt in versu 7. *Misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his, quæ possidebat Israel: Ingrauatumq; est cor Pharaonis, & non dimisit populum*. Hunc in modum disputat: Quo modo ex contrarijs causis facta est hæc ingrauatio cordis Pharaonis? Si enim & pecora Israelitarum mortua fuissent, tunc videretur causa competens, qua cor eius ingrauaretur ad contemnendum Deum; sicut etiam si Magi eius fecissent mori pecora Hebræorum. Nunc verò, vnde debuit ad timendum & credendum moueri, videns nullum pecus mortuũ ex pecoribus Hebręorum, hinc magis ingrauatus est, & huc vsque ingrauatio eius progressa est. Sic Augustinus. Verùm nos huius nobilissimę disputationis de induratione Pharaonis, & in vniuersum, humani cordis, longissimum facturi sumus tractatum infra super caput vndecimum, absoluta iam omnium plagarum tractatione.

Locus Pauli ad Rom. cap. 2. — *Origenes.* — *2. ad Cor. 12.* — *Roman. 9.* — *Psal. 129.* — *S. August.* — *Pharao quibus rebus maximè debuerat emolliri, ijs rebus magis obduratus est.*

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Nunc enim extendens manũ percutiam te, & populum tuum peste: peribisque de terra. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. *Versu 15. & 16.*

17. HAec Domini verba non possunt referri ad plagam proximè sequentem, qua nec rex nec populus Aegypti peste perierũt: sed referre oportet ad vltimam plagã, qua primogenita Aegyptiorum, tam hominum, quàm animalium, peste perierũt diuinitus immissa, Angelorum ministerio. Pestem enim à Deo in populos mitti Angelorum ministerio, manifestũ est exemplo eius pestis, quæ contigit Iudæis tempore Dauidis, qui vidit Angelum stantem contra Hierusalẽ euaginato gladio. Tandem mors Pharaonis & principum eius consummata est, cùm submersi sunt in mari rubro. Sed *1. Paralip. 21.*

enim

enim hic locus Exodi, aliam reddit sententiam in textu hebraico: hanc nimirũ:
Exodi 14. *Et quidem, si voluissem potuissem te interimere peste, qua occidi pecora tua.* Et postea sequitur: *Verumtamen ideo te posui, vel stare feci, &c.* Cum hac lectione conuenit Paraphrasis Chaldaica sic habẽs in hoc loco: *Quoniam nũc propè erat coram me, vt misissem etiam plagam fortitudinis meæ, & percussissem te: & populum tuum morte, atq; ita deletus esses de terra.* Atq; hæc lectio & sententia, optimè cõuenit cum eo, quod proximè sequitur: *Ideo autem posui te,* nam illa coniũctio *autem* indicat pẽdere hãc sententiam ex præcedenti; hoc enim significat, Deum potuisse tã Pharaonem, quàm oẽs Aegyptios, in momento perdere peste, sicut perdiderat eorum animalia: verùm seruasse illos, vt pluribus eos plagis percutiendo, magis potẽtiam & gloriam suam demonstraret. Atque hanc quoq; sentẽtiam nostra lectio Latina habere potest, vt sit hic eius sensus: Ego quidẽ percussurus sum te, & populum tuum peste, & deleturus è terra; sed id non statim faciam: seruaui enim te pluribus alijs plagis feriendum, quo illustrior & celebrior existat gloria nominis mei.

18. Sequitur: *Ideò autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.* Horum verborum triplex potest esse sententia; quarum prima est, Deum posuisse Pharaonem, id est, fecisse sic obstinatum & obduratum in malitia, vt eum multifariam puniendo, occasionem haberet demonstrandi potentiam suam. Verùm hæc sententia & impia est, & absurda. Neque enim Deus potest quemquam effectiuè obdurare, vt infrà ostendemus, cùm super ea re disputabimus: nec est æquum, mala facere, vt eueniãt bona: nec Deus
Roman. 3. indiget malis nostris, vt his puniendis, iustitiam & potentiam suam declaret. Omnia namque Dei attributa possunt, citra pœnarum inflictionem, alijs vijs innotescere hominibus Sapientia quippe in mundi dispositione, & quotidiana rerũ gubernatione elucet: Bonitas & Liberalitas in bonorum largitione: Potentia in rerum creatione, & operatione miraculorum: Misericordia in miserorum subuentione, ac depulsione miseriarum: Clementia, in gratuita peccatorum remissione: Iustitia in præmiorum condigna retributione; idemq; de cæteris dici potest.

Altera illorum verborum sententia esse potest, Deum non quidem fecisse obdurationem Pharaonis, sed eam consultò permisisse; & per se, talem voluisse permissionem, quo per illum & in illo iustitiam, & potentiam suam illustriorem, & admirabiliorem faceret. Sed neque hoc rectè dici potest: talis enim diuina permissio obstinationis hominum, est maxima pęna, quæ possit homini hac in vita infligi; quocirca nemini à Deo infligitur, nisi propter plurima eius grauissimaque peccata præcedentia: quod indicat Scriptura in libro Prouerbiorũ, vbi ait, peccatorem cum in profundum malorum venerit, tunc contemnere. Non igitur tanta pœna insonti homini iustè infligeretur. Restat igitur tertia, & vera sententia, vt sit hic illorum verborum sensus: Ego te, tua iam induratum malitia, ordinaui ad illustriorem demonstrationem potẽtiæ ac iustitiæ meæ. Deus enim, qui summè bonus, & potẽs est, nõ solùm bonis benè vtitur, sed etiam malis: ex quolibet malo boni aliquid eliciens. Est quippe vera, quæ à Theologis celebratur, illa Boëtij sententia in libro quarto de Consolatione, Prosa sexta: Sola, inquit, est diuina vis, cui mala quoque bona sunt: cum competenter eis vtendo, alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta cõplectitur: vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in prouidentiæ regno liceat temeritari. 19.

Prouer. 18.

Boetij præclara sententia.

Deus porrò varias ob causas obstinatos homines diu patitur & sustinet, nũc beneficijs, aliàs supplicijs afficiens. Ac primò quidem id facit, vt notum fiat omnibus, quale quantumque sit malum induratio cordis, quæ nec diuinis beneficijs, nec miraculis, nec flagellis emollitur, aut flectitur ad bonum. Tum, quo longius det obstinatis spacium resipiscẽdi ac pœnitendi: *Ignoras*, ait Paulus, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* & apud Iob 24. *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ipse abutitur in superbiam.* & in libro Sapientiæ, capite duodecimo dicitur, nõ fuisse impotẽs Deus 20.

Sex causæ, ob quas Deus longo tẽpore obduratos tolerat.

Ad Ro. 2.

vel bestijs sæuis, vel iussu tantùm suo impios statim exterminare: sed partibus eos iudicans, dabat locum pœnitentiæ. Deinde vt hinc magis explédesceret diuina bonitas & longanimitas, & patientia Dei, tam diu sustinentis induratos: & quæ, & quanta sit eorũ malitia, & quàm iusta, ad extremum, punitio, liquidò cernitur. Adhæc, vt ex comparatione reproborum atque electorum, clarius appareret misericordia Dei erga electos: hoc indicant verba illa Pauli ad Roma-
Locus Pauli ad Ro. 9. nos nono: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Postremò, non statim Deus reprobos perdit, ne eos perdendo, periclitentur electi cum illis permixti: hoc declarat parabola illa zizaniorum, qua vsus
Matt. c. 13. est Dominus in Euangelio, prohibens auferri zizania, vsque ad tempus messis, ne simul cum illis eradicaretur & triticũ.

21. Quod autem hoc loco Latinus Interpres dixit: *Posui te*, idem in supradicto loco Epistolæ ad Romanos reddidit: *Excitaui te*. quod verbum exponens S. Augustinus: Excitaui, inquit, te, vt contumacius resisteres imperio meo, non tantùm permittendo, sed multa etiam, tam intus, quàm foris operando, quæ, per occasionem, maioris contumaciæ causa tibi essent. Septuaginta Interpretes & Paraphrasis Chaldaica sic habent hunc locum: *Ideo seruatus es* vel *propter hoc in vita conseruaui te*. quasi dicat, vel vna plaga te de medio tollere potuissẽ, sed ideo tam diu te in vita seruaui, vt manifestarem in te gloriam meam. Verbum Hebraicum (*hamat*) significat stare, subsistere, sustentare, & statuere. Vnde Pagninus vertit, *Feci te stare*, & Vatablus legit, *Constitui te*. Sed harum omnium lectionum eadem est sententia.

QVARTA DISPVTATIO.

De septima plaga, quæ fuit grandinis, tonitruorum & fulminum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Extenditque Moses virgam in cęlum, & Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac discurrentia fulgura super terrã: pluitque Dominus grandinem super terram Aegypti, & grando & ignis mixta pariter ferebantur: tantæq; fuit magnitudinis, quanta ante nũquam apparuit in vniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa condita est. *Versu 23. & 24.*

Hanc plagã sic enarrat Philo. Aegyptus hyemẽ nescit, hyemalesq; tempestates: hęc circa brumam irroratur paruis, rarisq; pluuijs, in locis duntaxat maritimis: supra Memphim aũt regiam, nullas oĩno sentit. Tunc igitur repentè aër nouam sumpsit faciem, vt hybernis regionibus consuetę tempestates simul ingruerent; imbres dico & grãdines, & procellæ & turbines, & collisiones nubium, & continua fulgura & tonitrua specie prodigiosa. Grando eñ intermixta ignibus, nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed vtraque eodem deferebantur impetu: Nec solùm inclemẽtia cęli contristabat incolas, verùm etiam rei nouitas. Credebant enim, nec falsò, ab irato Deo mutari omnia: Tempestatibus insolitis arbusta, & segetes vastãtibus, simulque pereuntibus nõ paucis animalibus; partim frigore absumptis, partim elisis grandine, ruente in morem lapidũ; nonnullis etiã ictis fulmine; ex quibus, si quę supererant, ambusta circumferebãt vulnera, ad terrorem videntium. Hæc Philo. In hac itaque plaga tria elementa sæuierunt in Aegyptios: Aër, per tonitrua: Aqua per grandinem: Ignis, per fulgura; vt vel inuiti cogerẽtur Aegyptij agnoscere contumaciter resistere se præpotenti Elementorum, & Mundi Domino: Nam vt scriptum est in libro Sapientiæ *22. Philo.*

cap. 5.

cap. 5. *Orbis terrarum pugnabat pro Deo, aduersus insensatos, & omnis creatura armabat se aduersus impios.* Et quia Ethnici diuersis elementis diuersos præsidere Deos credebant; alios esse dicetes Deos cœlestes, alios igneos, alios aereos, alios marinos, alios terrenos, alios demùm etiam subterraneos; vnde Syri dicebāt, Deum Israel, esse Deum montium, & non vallium, vt traditur 3. Regum, c. 20.

Locus 3. Reg. c. 20. Idcirco Deus per has Aegypti varias plagas ostendit se verum & vnicum esse rerum omnium Dominum; & quibuslibet rebus vti quādo vult, & quemadmodum vult ad vlciscendos hostes suos, siue ad seruos suos iuuandos atque recreandos.

23. Voluit hanc plagam misericors Deus ante denunciare, præmonens Pharaonē & Aegyptios, vt ex agris reducerent domum, quæ salua esse cuperent. Sic enim legimus versu 19. dixisse Mosem Pharaoni: *Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim & iumenta, & vniuersa, quæ inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritq; super ea grando, morientur.* Tali porrò denunciatione ac præmonitione vsus est Dominus, tum quod cùm summè sit misericors, vindictam temperat misericordia, aperteq; declarat, quàm verè de ipso dictū sit: *Miserationes eius super omnia opera eius:* & quod *misericordia superexaltat iudiciū*, tū etiā quia nouerat inter Aegyptios esse quosdam Deum timentes, & tali miseratione dignos: de quibus sic est in versu 20. *Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos & iumenta in domos.* Sed hæc, Theodoreti auctoritate firmanda atq; illustranda sunt. Is autē ponit hanc quæstionē, num. 21. Cur Deus grandinē illaturus, ante denuntiauit Aegyptijs, vt pecora domū cogerentur? cui sic ipse respondet: Dominus cū sit humanissimus, misericordia temperat supplicia. Alioqui etiā nouerat quosdam esse venia dignos, & timentes Deū; vt Scriptura narrat. Grandinē verò & fulmina immisit illis, ostendens quod ipse sit Dominus omnium elementorum. Etenim tam Aegyptij, quàm Greci existimabant quosdam Deos esse cœlestes, alios terrenos, alios subterraneos: & alios in montes, alios inagros imperium habere. Quapropter Syri dicebant, Deum montiū esse Deū Israel, & non Deum conuallium. Quocirca meritò Deus omnium, non solùm per fluuium, & terram, sed per aerem & aquam, & fulmina cœlitus missa, castigauit Aegyptios; docens, omnium se rerum creatorem, & dominum esse. Quod & Moses verbis illis indicauit: *Vt cognoscas quia Domini sit terra, & tu, & serui tui.* Sic Theodoretus.

Psal. 144. Iacob. 2. Theodore. Psal. 23.

24. *Quatuor mira ī hac plaga.* Quatuor fuere admodū mira & horrifica in hac plaga. Primò quod hæc cōtigerunt in Aegypto, vbi nihil horum antea fieri solitū erat: tum quia tonitrua & fulgura ac fulmina crebriora, & terribiliora erāt, quàm alibi fieri soleāt. Deinde, grando propter insuetatā magnitudinē, & impetū quo ruebat deorsum, ingēti erat pauori, ac stupori. Sed illud potissimum admirationem, & timorē faciebat, quod cū grando permixta esset crebris magnisq; ignibus & fulminibus, nec ignium tamen ardore, grandinis durities liquescebat, aut mollescebat; nec frigore grandinis, ardor ignis extinguebatur, aut mitigabatur. Quare in libro Sapientiæ c. 16. ita super hac re proditū est: *Hoc erat mirabile, quod in aqua, quæ omnia extinguit plus ignis inualescebat, & supra vires suas excandescebat: Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant.* Ergo tonitrua vehementer Aegyptios terrebant: grando omnia quæ in agris molliora & teneriora erant, perdebat: fulmina, quæ dura & resistentia erant, demoliebantur, atque dissipabāt. In superiorum temporum monumentis traditū memoriæ est, imperante Ludouico filio Caroli Magni, summoq; Pōtifice Eugenio Secūdo, circa annū Domini octingentesimū vigesimū quintū, in Gallia miræ magnitudinis cecidisse grandinem, & pecora multa atq; homines interemisse: atq; eadem tempestate glaciē durissimam duodecim pedum longitudine è cœlo cecidisse. Illud etiam aduertat Lector, in hoc loco Exodi dici, tunc pluisse grandinē; non quod pluuia mixta fuerit cum grandine, id enim duritiē grandinis diluisset, & vim eius nocendi, contra Dei consilium, valde debilitasset: sed quod densissima grando, ad modum pluuiæ deciderit: sicut dicitur aliquando

Matthæus Palmerius Florētinus in suo Chronico.

Q pluisse

pluisse lapides & lanam. In Psalmo 77. præter grandinem, nominatur pruina, illis verbis: *Et occidit in grandine vineas eorum & moros eorum in pruina.* In libro autem Sapientiæ memoratur nix & glacies. Sic enim est in cap. 16. *Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant; vt scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & in pluuia coruscans.*

25. Mysticam huius plagæ interpretationē huiusmodi tradit Origenes: Hucusq; per errorum suorum figuras mundo supplicia temperantur. Post hæc autem verbera, veniunt de supernis tonitrua, & grando, & ignis discurrens in grandine. Videte temperamentum diuinæ correptionis. Non cum silentio verberat, sed dat voces, & doctrinam cœlitus mittit, per quam possit culpam suam mundus castigatus agnoscere: dat & grandinem, per quam tenera adhuc vastentur nascētia: dat & ignem sciens esse spinas, & tribulos peccatorum, quos debeat ignis ille depascere; de quo igne dixit Dominus: *Ignem veni mittere in terram.* Per hūc enim ignem incentiua voluptatis, & libidinis consumuntur. Hæc Origenes: Eadem atq; iisdem prorsus verbis habet B. Augustinus in serm. 87. de Tempore. Verùm in libro de Conuenientia præceptorum Decalogi & Plagarū Aegypti, ex proprio sensu super hac septima plaga, sic philosophatur S. Augustinus: Septimum præceptum est: *Non furaberis*: Et plaga septima fuit, grando in fructibus. Quod per furtum, contra Dei præceptum subducis, de cœlo perdis: nemo enim habet iniustum lucrum sine iusto damno. Qui furatur, acquirit vestē: sed cœlesti iudicio perdit fidem: vbi lucrū, ibi damnum: visibiliter lucrum, inuisibiliter damnum. Lucrū sua cæcitate; damnum, quia viuit sine æquitate. Ergo qui suo malo forinsecus furantur, iusto iudicio Dei intrinsecus grandinantur. O si possent fures, aut latrones, aut raptores inspicere agrum cordis sui, profectò lugerent, dum ibi non inuenirent, quod in eos animæ mitterent: tametsi in furto suo inuenirent, quod gutturis auiditate sorberent. Maior est fames animę quàm corporis: periculosior est plaga, & grauior mors: multi ob istā famem animę mortui ambulant, & viuentes portant funera sua. Viuere quidem videntur in corpore, sed malis artibus mortui, probantur in corde. Et multi in anima famelici, de vanis delicijs, & diuitijs gloriantur. Denique bonum Christianum Scriptura diuitem dicit: *Absconditus, inquit, in corde thesaurus, homo qui est ante Deū diues.* Quid ergo tibi prodest, si vbi homo non videt, furaris; & vbi Deus videt, iusto eius iudicio grandinaris? Hæc Augustinus.

Expositio mystica septima plaga. *Origenes.* *Lucæ 12.* *S. August.* *Exodi 20.*

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Tantæque fuit magnitudinis (grando) quanta ante nunquā apparuit in vniuersa terra Aegypti, à die qua fundata est, vsque in præsens tempus, & ex quo gens illa condita est.

Versu 18. & 24.

IN huius Disputationis explicatu, duę quęstiones breuiter tractandæ sunt. Primò quæritur, An in Aegypto generentur aliquando imbres, & grando, & tonitrua, ac fulmina. Iosephus in lib. 2. Antiquitatum memorans hanc septimam plagam negat, hæc generari in Aegypto, ita scribens: Cùm rex non resipisceret, grando nunquam ante in Aegyptio cœlo visa, tunc verò maior, quàm apud alios hyberno tempore, aut in septentrionali regione, vere iam adulto supernè ruens, omnes eorum fructus contriuit. Sic ille. Hoc ipsum pluribus verbis docet Philo hunc in modum scribēs: Aegyptus penè sola, inter regiones in meridiano tractu sitas, vnam ex quatuor anni temporibus ignorat hyemem: vel quia, vt fertur, non longè abest à Zona torrida, cuius occulto afflatu calescunt finitima: vel quia, circa æstiuum solstitium, inundans fluuius nubes absumit. Incipit enim crescere æstatis initio, & sub eius finem definit. Quo tpe & vēti Etesiæ impingunt ex aduerso in Nili ostia, impediturq; aquarū exitus, mari tumescente per ventorum violentiam, & fluctibus quasi pro muro se oppo- 26.

Iosephus. *Philo li. 1. de vita Mosis.*

opponentibus, ita vt amnis fluenta retro agantur. Ita fit, vt aquis sibi inuicem occurrentibus, tum his quæ supernè à fonte descendunt, tũ ijs, quæ repelluntur ab ostijs, & dilatari nequeuntibus, propter ripas eminẽtiores, exaggeratasq́; , tandẽ necessariò supereffundantur. Est & alia causa, cur hyems Aegypto sit superuacanea. Nam quod imbres alibi, hic restagnationes fluminis efficiunt, arua fœcundantes ad prouentus frugum annuos. Natura autẽ non solet ita in vanum operari, vt pluuias terræ non indigẽti largiatur; simulq́; gaudet varietate sui artificij, concentum è contrarijs qualitatibus temperans; & ideo alijs supernè è cęlo, alijs infernè è fontibus ac fluuijs præbet aquarum commoda. Sic Philo.

27. *Plinius.* Iuxta hæc sunt etiam quæ tradit Plinius lib. 2. c. 50. Hyeme, inquit, & æstate rara fulmina, contrarijs de causis: quoniam hyeme, nubes crassiori corio spissantur, omnisq́; terrarũ exhalatio rigens ac gelida, quidquid accipit ignei vaporis, extinguit. Quę ratio, Scythiam & circà rigẽtia loca, à fulminũ casu immunia præstat: & è diuerso nimius ardor Aegyptũ. Siquidẽ calidi, siccíq; halitus terræ, raras admodũ tenuesq́; & infirmas densantur in nubes. Vere autem & Autumno, crebriora fulmina, corruptis in vtroque tẽpore æstatis, hyemisq́; causis. Qua ratione, crebra in Italia: quia mobilior aer, mitiore hyeme, & æstate nimbosa, semper quodammodo vernat, vel autumnat. Ita Plinius. Nec his diuersa videtur Scriptura tradere: quæ non pluere in Aegypto, non obscurè significat Deuteronomij, capite 11. vbi scriptum est: Terram Chanaan, eo dissimilẽ esse Aegypto, quòd illa pluuijs suo tempore perfundatur; hæc verò ductis ex Nilo canalibus, vsquequaque irrigetur. Ex quo potest colligi, Aegyptum carere pluuijs. Quod si ob caliditatem & siccitatẽ Aegypti, non generantur in eo pluuiæ, multò minus generabitur grãdo, vel glacies, quæ ex intentiore frigore generantur.

28. *Auctoris sententia.* Atenim, ex aduerso, probabilis admodum ratio in cõtrariũ suppetit nobis ex hoc loco Exodi; vbi dicitur, in hac septima plaga cecidisse grandinem tanta magnitudine, quanta nunquam antea in Aegypto apparuerat. Si enim nunquam in Aegypto generatur grando, ineptum profectò & ridiculum, & absurdum fuisset, ita loqui: Vt si quis diceret, Romæ cecidisse tantam & talem grandinem, aut tantum pluisse, quantum nunquam ante pluerit in cœlo Empyreo Nõ enim Scriptura hoc loco narrat pro miraculo, quod hęc facta fuerint tunc in Aegypto, quæ antea nunquam ibi erant facta; sed hoc quasi admodum memorabile, & mirabile narrat, cecidisse tunc grandinem tantæ magnitudinis, quantæ magnitudinis nunquam, ante id temporis, visa fuerat in Aegypto. Qui modus loquendi apertè demonstrat, ista fuisse aliàs facta in Aegypto, sed non talia & tanta. Videtur itaque dicendum, pluuiam & grandinem, & fulmina, & tonitrua aliquando fieri in Aegypto, in partibus eius videlicet nonnullis, quæ sunt magis maritimæ & septentrionales. Sed quoniam hæc fiunt inibi perquam rarò, & perexiguè, & in paucis Aegypti partibus, idcirco absolutè & simpliciter dicuntur, nõ fieri in Aegypto: quod enim parum est, pro nihilo ducitur.

Altera quæstio est; Quid significet illud: *A die quo fundata est Aegyptus vsq; in præsens tempus*, versu 18. Vel: *Ex quo gens illa condita est*, versu 24. Hoc tribus modis exponi posset: primò, vt perinde sit, quasi diceretur, ex quo terra fundata est, & genus humanum creatum, siue ab exordio mundi. Ab origine autem mundi vsque ad tempus harum plagarum, siue vsque ad octogesimum annum ætatis Mosis (eum namque annum tunc is agebat, vt Exodi 7. traditur) præterierunt anni bis mille quadringenti quinquaginta tres: ab exordio quidem mundi, vsque ad diluuiũ, mille sexcẽti quinquaginta sex, Genes. 5. à diluuio vsq; ad ortum Abrahæ, ducenti nonaginta duo, Genes. 11. Ab ortu Abrahæ vsque ad discessum eius ex Chaldæa, & promissionẽ terræ Chanaan datam ei à Deo, anni septuaginta quinque, Genes. 12. hinc vsq; ad legẽ in monte Sinai, tertio mẽse post egressionẽ Hebræorũ ex Aegypto, latã, anni quadringenti triginta, ad Galat. 3. Verùm expositio hæc cum Scripturę verbis minimè congruit. Non enim dicit Scriptura hoc loco: *ex quo terra fundata est*: sed, *ex quo Aegyptus fundata est*: 30.

est; nec dicit, ex quo humanum genus conditum, vel, ex quo factus est homo; sed ait, ex quo gens Aegyptiaca condita est.

30. Altero igitur modo sic exponi possunt illa verba, vt significent, ex quo terra illa vocata est Aegyptus, atq; eius terræ indigenæ &c. incolæ appellati sunt Aegyptij. Sed hæc interpretatio non solùm Scripturæ verbis incongrua est, verùm etiam absurda, falsamque sententiã continens. Appellatio enim Aegypti & Aegyptiorum multò post ætatem Mosis, & post tempus istarum plagarum facta est. Nominata enim est Aegyptus ab Aegypto Danai fratre, & filio Beli Aegyptij, cui defuncto successit ille in regnũ, eiecto fratre suo Danao, qui cõcessit Argos in Peloponnesum, à quo Argiui nominati postea sunt Danai. Et B. quidem Augustinus lib. 18 de ciuitate Dei, c. 11. Eusebium scilicet in Chronicis secutus, putat id contigisse, imperante apud Hebræos Iosue, id autem est plus octingentis annis post diluuium. Sed enim apud Iosephum in priori libro contra Apionem, Manethon Aegyptius, sed græcarũ litterarum ac doctrinarum peritus, quiq; rerum Aegyptiacarum historiã, scripsit ex sacris Aegyptiorum libris de promptam; numerat omnes reges Aegypti, à tempore egressus Hebræorum ex Aegypto, vsque ad tempora Danai, & Aegypti fratrum, recensitis cuiusq; regis annis, quibus regnauit: quorum annorum facta computatione existit summa annorum trecentorum & amplius nonaginta. Hæc si vera est supputatio, necesse est, initiũ appellationis Aegypti fuisse propè annos quadringentos post tẽpus harum plagarum Aegypti, post diluuium autem, plus mille annis.

Origo appellationis Aegypti & Aegyptiorum.

S. August.

Manethon apud Iosephum.

31. Sed recta, & conueniens Scripturæ, interpretatio illorum verborum, est huiusmodi, ex quo terra Aegypti post diluuiũ habitari cœpit, & ex quo posteri Noe ad eam terram profecti, eam coluerunt, & gentis Aegyptiacæ auctores, & parentes fuere. Id autem factum est post diluuium: id enim ostendunt extrema illa verba c. 10. libri Genes. *Ab his tribus filijs Noe diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.* A diluuio autem, vsque ad tempora plagarum Aegypti, effluxerunt anni septingenti nonaginta septem, vt ex superiori computatione liquidò perspici potest. Nec modo post diluuium, sed post euersionem turris Babel, confusionemque linguarum (id verò contigit annis circiter centum post diluuium, vt à nobis demonstratũ est in 2. tomo Cõmentariorum nostrorũ in Genes. in lib. 15. & in vndecima eius libri disputatione) tunc enim factam esse primùm diuisionem hominum secundum diuersas linguas, &c. profectionem ad diuersas prouincias; & tunc fuisse originem diuersarum gentiũ & regnorum, declarat Scriptura in libro Genesis, c. 11. illis verbis: *Atque ita diuisit eos Dominus, ex illo loco in vniuersas terras: & inde dispersit eos super faciem cunctarum regionum.* Nã quod Gerardus Mercator probare conatus est, gentem Aegyptiorum fuisse ante diluuium, quinimo paulò post exordium mundi, multifariam confutatum à nobis est in tomo nostro 2. in Genesim, in libro 15. atq; eius in lib. 2. disputatione, ad numerum marginalem 39. & sequentes. Primus autem omnium habitator, & quasi parens gentis Aegyptiorum, fuit secũdus filius Cham, filij Noe, qui vocatus est Mesraim, vel, vt pronuntiant Hebræi, Mizraym, ex quo & terra Aegypti, & gens, eodem nomine apud Hebræos nominatur. A tempore porrò euersionis Babel, & confusionis linguarũ, & diuisionis gentium, vsque ad tempora plagarum Aegypti, fluxerunt anni sexcenti nonaginta septem. Iuuat itaq; ridere hoc loco vanissimam & mendacissimam Aegyptiorum iactantiã, qui gloriabantur quàm plurimis annorum millibus fuisse regnatum in Aegypto, ante regem eius Amasim, qui ætate Cyri & Cambysis regum Persidis regnauit. Audi Pomponium Melam lib. 1. de situ orbis ita scribentem: Aegyptij vetustissimi, vt ipsi prædicant, hominum, trecenos & triginta reges ante Amasim, & supra tredecim millium annorum ætates, certis annalibus referunt: mãdatumque litteris seruant, dum Aegyptij sunt, quater cursus suos vertisse sidera; ac solem bis iam occidisse, vnde nunc oritur. Sic ille: quæ sumpta sunt ex Herodoto, & Diodoro.

In Gerardum Mercatorem.

Mesraim primus Aegypti habitator.

Ridetur Aegyptiorum antiquitas ab ipsis iactata mendaciter.

Mela.

Herodotus.
Diodorus.

BENE-

BENEDICTI PERERII
IN CAPVT DECIMVM EXODI,
DISPVTATIONES DVAE.

Exponuntur duæ sequentes plagæ; octaua, quæ fuit locustarum; & nona, triduanarum tenebrarum.

CAPVT DECIMVM EXODI.

ET dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pha- *Versu 1.*
raonem: Ego enim indurauí cor eius, & seruorum
illius; vt faciam signa mea hæc in eo, * & narres in 2.
auribus filij tui, & nepotũ tuorum, quoties con-
triuerim Aegyptios, & signa mea fecerim in eis:
& sciatis quia ego Dominus. * Introierunt ergo Moyses & Aa- 3.
ron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus
Hebræorum: Vsquequo non vis subijci mihi? dimitte populum
meum, vt sacrificet mihi: * Sin autem resistis, & non vis di- 4.
mittere eum: ecce ego inducam cras locustam in fines tuos,
* quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, 5.
sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodet enim
omnia ligna quæ germinant in agris. * Et implebunt domos 6.
tuas, & seruorum tuorum, & omnium Aegyptiorum: quan-
tam non viderunt patres tui & aui, ex quo orti sunt super ter-
ram, vsque in præsentem diem. Auertitque se, & egressus est
à Pharaone. * Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum: Vsque- 7.
quo patiemur hoc scandalum? dimitte homines, vt sacrificent
Domino Deo: nonne vides quod perierit Aegyptus? * Reuo- 8.
cauerúntq; Moysen & Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis: Ite
& sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt?
* Ait Moyses: Cum paruulis nostris & senioribus pergemus, 9.
cum filijs & filiabus, cum ouibus & armentis. Est enim solemni-
tas Domini Dei nostri. * Et respondit Pharao: Sic Dominus sit 10.
vobiscum, quomodo dimittam vos, & paruulos vestros: cui du-
bium est, quod pessimè cogitetis? * Non fiet ita, sed ite tantùm 11.
viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis. Statimque
eiecti sunt de conspectu Pharaonis. * Dixit autem Dominus 12.
ad Moysen: Extende manum tuam super terram Aegypti

ad locustam, vt ascendat super eam,& deuoret omnem herbam,
13. quæ residua fuerit grandini.* Et extēdit Moyses virgā super ter-
rā Aegypti: & Dominus induxit ventum vrentē tota die illa &
14. nocte: & mane facto, ventus vrens leuauit locustas. * Quæ ascen-
derunt super vniuersam terram Aegypti: & sederunt in cunctis
finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus
15. non fuerant, nec postea futuræ sunt. * Operueruntque vniuer-
sam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur her-
ba terræ: & quidquid pomorū in arboribus fuit, quæ grando di
miserat: nihilq; omninò virens relictum est in lignis & in herbis,
16. in cūcta Aegypto.* Quamobrē festinus Pharao vocauit Moysen,
17. & Aarō & dixit eis: Peccaui in Dn̄m Deū vestrū,& in vos: *Sed
nūc dimittite peccatū mihi etiam hac vice, & rogate Dn̄m Deū
18. vestrum, vt auferat à me mortem istam. * Egressus Moyses de con
19. spectu Pharaonis, orauit Dominum. * Qui flare fecit ventum ab
occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in
mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis finibus
20. Aegypti. * Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit fi-
21. lios Israel. * Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum
tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Aegypti tam den-
22. sæ, vt palpari queant. * Extēditque Moyses manum in cœlum:
& factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus
23. diebus: * Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo
24. erat. Vbicunque autem habitabant filij Israel, lux erat. * Voca-
uitque Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Ite & sacrificate
Domino, oues autem vestræ & armenta remaneant, paruuli ve-
25. stri eant vobiscum. * Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta
26. dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. * Cuncti gre-
ges pergent nobiscum: non remanebit ex eis vngula, quæ neces
saria sunt in cultum Domini Dei nostri: præsertim cùm ignore-
mus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum peruenia-
27. mus. * Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit di-
28. mittere eos. * Dixitque Pharao ad Moysen: Recede à
me, & caue ne vltra videas faciem meam: quo-
29. cunque die apparueris mihi, morieris. * Re
spondit Moyses: Ita fiet vt locutus
es, non videbo vltrà fa-
ciem tuam.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

De octaua plaga, quæ fuit locustarum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 13. vsq; ad 17. Et extēdit Moyses virgā super terram Aegypti, & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa & nocte: & manè facto ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti, & sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis & in herbis terræ in cuncta Aegypto.

1\. *Rupertus lib. 1. Commentar. in Exod. c. 38* ECCE, inquit Rupertus, quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Dominus pugnando pro Israël in Aegyptios: ranæ, sciniphes, muscæ atq; locustæ, fuerunt castrorum eius acies; & ex huiusmodi cohortibus, totas, contra fortes Aegyptios, composuit legiones. Singuli milites, secundū se, breues quidem & infirmi, verùm pro exercitibus Pharaonis, satis valentes fuere, duce imperio Dei. Nempe, quod multus hominum exercitus facere non potuisset, istę phalanges locustarum strenua peregere militia. Operuerunt enim vniuersam superficiem terræ. Quamobrem festinus Pharao, tanquam ad deditionem, vocauit Mosem & Aaron, duces tanti exercitus, atque primates imperatoris Dei. *Rogate*, inquit, *Dominum Deum vestrum, vt auferat mortem hanc à me.* Hoc, velut deditiitius dixit: sed vbi data est requies, tanquā perfuga, indurauit cor suum, nec dimisit filios Israël. Attamen à locusta victus est fortis rex. Proinde satis elegāter cùm dixisset quodam loco Deus per Prophetam: *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & eruca:* continuò adiunxit: *Fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Fortitudo, inquit, mea magna, locusta, bruchus, & eruca, non sane respectu supernarum virtutum, & fortitudinum cœlestium, sed infirmorum comparatione hominum in sua infirmitate superbientium, qui ceruicem erigunt contra Deum, quam pulici subijciunt. Hactenus Rupertus. *Ioel 2.*

2\. *Philo.* Hanc plagā locustarū sic exponit Philo: Moses, iubente Deo, virgā extēdit in aërem: moxq; Auster incubuit violētissimus, per totā diē noctemq; inualescēs; malū, vel per se valde noxium. Est enim ventus aridus & feruidus, inuehens dolorē capitis & grauedinē, languorisque tædiū: præsertim in Aegypto, regione ad Austrū opposita, & exposita solibus, vt in qua cū primū hic vētus mouetur, ęstu exurat omnia. Tunc verò intulit etiā locustarū agmina in stirpiū perniciē: quæ indesinenter affluentes, absumpserunt quidquid, post tempestates superiores, superfuerat, vt in amplissima regione nihil relinqueretur viride. Ad has extremas calamitates redacti Aegyptij vix resipuerunt, regi clamantes: Quousque non permittis his hominibus exitū? An nondum sentis Aegyptum perditam? Ille, vt tum videbatur, assensit; relaxataque plaga, ad Mosis deprecationem ventus à mari exortus, locustas dispulit. Ita Philo.

3\. *Memorabilia de locustis ex Plinio.* Non parū valet ad hunc Scripturæ locum illustrandū, quæ in lib. 11. c. 29. scribit Plinius his verbis: Mori matres cùm pepererint, certū est; vermiculo statim intra fauces innascente, qui eas strangulat eodemq; tēpore mares obeunt. Tam friuola ratione moriētes, serpentē, cū libuit, necant singulæ, faucibus eius apprehensis mordicus: non nascuntur nisi in planis & rimosis locis. In India ternum pedū lōgitudinis esse tradūtur, cruribus & fœminibus serrarū vsum præbere, cū inaruerint. Est & alius earū obitus. Gre-

gatim sublatæ vento, in maria vel stagna decidunt, longinqua maria transeũt, cõtinuata plurium dierum fame, propter quã externa pabula petere sciunt. Deorũ iræ, pestis hæc esse intelligitur. Nãq; & grandiores cernuntur, & tanto volãt pennarum stridore, vt aliæ alites credan tur: Solemq; obumbrant, solicitè suspectantibus populis, ne suas operiant terras: sufficiuntq; vires: & tanquam parũ sit maria transisse, immẽsos tractus permeant, diraq; messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsu erodentes, & fores quoq; tectorum. Italiam, ex Africa maximè coortæ, infestant: sæpe populo ad Sibyllina coacto remedia confugere, inopiæ metu In Cyrenaica regione lex etiã est, ter in anno debellandi eas: primò oua obterendo; deinde fœtum; postremò adultas, desertoris pœna in eum, qui cessauerit. Et in Lemno insula certa mensura præfinita est, quam singuli enectarum ad magistratus referant. Gracculos quoq; ad id alunt, aduerso volatu occurrentes earum exitio. Necare, & in Syria, militari imperio coguntur. Tot orbis partibus vagatur id malum. Parthis tamen hæ in cibo gratæ. Hæc Plinius.

4. Si locusta igitur, per se animal est vsq; eo dirũ & noxiũ; quales putare cõuenit fuisse locustas illas Aegyptiacas, per Dei omnipotentiã productas, & ab irato Deo & peccata Aegyptiorũ vlcisci volente, in eorũ perniciẽ exitiumque missas? Pharao quidẽ certè non alio nomine hanc locustarum plagam appellauit, quàm mortis: *Rogate*, inquit, *Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Enimuerò locustæ illæ omnia deuoraue rũt, quę erãt in agris; absumẽdo fructus, flores, frondes, germina, semina, ligna etiã tenera, perdentesq; ferè omnia, qui bus hominũ vita sustentatur. Infestabãt præterea vehementer, & affligebãt Aegyptios turmatim ingrediẽtes ac replẽtes eorũ domos, & impetu in eorũ manus atq; oculos insilientes, morsuq; necantes; sic enim in libro Sapientiæ, c. 17. scriptum est: *Locustarũ morsus occiderunt eos.* Nec sinebant eos vllo in loco quiescere: in lectos namq; & in cibos inuadentes, omnia turbabant atq; fœdabant. In vijs quoq; conculcatæ, in saniem cõuersæ, horrorem incutiebant. In Psalmo 104. vbi memoratur hæc plaga, præter locustam, mentio fit bruchi; illis verbis: *Dixit, & venit locusta & bruchus, cuius non erat numerus.* Sed sciendum est, bruchũ esse speciem locustæ, carentem alis, segetesq; rodendo consumentem.

Locus lib. Sapient. c. 16.

Locus Psal. mi 104.

5. Tradit hoc loco Scriptura, Deum excitasse ventum quendam vrentem, quo locusta immissa est in Aegyptum: non enim locustæ illæ genitæ sunt in Aegypto, sed extra, in desertis videlicet locis, vel Arabiæ, vel Aethiopiæ. Quis fuerit ille ventus, tacuit Scriptura; Thostatus putat fuisse subsolanum, orientalem ventum: nam ventum, quo deinde locustæ illæ ex Aegypto eiectæ sunt in mare rubrum, qui haud dubiè contrarius fuit vento, quo illæ immissæ fuerunt in Aegyptum, Scriptura hic appellat occidentalem, id est, Fauonium, natura sua frigidum & humidum, ob idq; satis efficacẽ ad dissoluendas locustarum vires. Sed contraria sententia est Philonis, aientis, ventum qui tulit locustas in Aegyptum, fuisse Austrum: idemque sensere LXX. Interpretes, appellantes illum hoc loco Notum. Nec sanè quod Scriptura hoc loco dicit de vento illo eum fuisse vrentem, quadrat in ventum subsolanum: optimè autem conuenit in Austrum, maximè verò respectu Aegypti, vt dixit Philo.

Quis fuerit ventus ille vrens, quo locustæ delatæ sunt in Aegyptũ Thostatus.

Philo.

6. Sed enim mirabitur Lector, Pharaonem tot plagis percussum, tantisq; affectum damnis per Mosem, non iussisse eum occidi. Proculdubio, si rex ille suo iudicio & arbitrio relictus fuisset, id facturus erat: Sed Deus aut mentem eius ab ista cogitatione & consilio prorsus auertit: aut ei ingentem incussit metũ: penitus persuaso, fore, si Mosem vel attingere auderet, vt confestim ab eo interimeretur. Etenim cùm videret Mosem tantũ habere ius, potestatemq; perdendi quælibet, meritò debuit timere, ne, si eum offenderet, potestatẽ ille suam in eius exitium perniciemq; cõuerteret.

Cur Pharao tot per Mosem tãtisq; percussus malis, nõ iusserit eũ occidi.

7. Sed age, quarum rerum figurã habeat hæc plaga, vltimo loco, ex veterum sententia & interpretatione doceamus. Quod autem, inquit Origenes, octauo in loco fit mentio locustarum, puto per hoc genus plagæ, aut detrahentis, aut sẽper

Mystica expositio harum plagarum. Origenes.

per à se discordantis humani generis in constantiam designari. Locusta enim cũ regem, non habeat, sicut Scriptura dicit, vna acie ordinatum ducit exercitũ: homines verò, cùm rationabiles à Deo facti sint, neq; semetipsos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt. Sic ille. Eademque prorsus verba reperiet Lector in sermone 97. de Tempore B. Augustini. Idem verò octauum præceptum Decalogi, quod est: *Falsum testimonium non dices*, exponens atque comparans cum hac locustarum plaga: Locusta, inquit, animal est dente nocens; quid autem vult falsus testis, nisi nocere mordendo & consumere mentiendo? Et ideò nos admonet Apostolus, ne inuicem nos falsis criminibus appetamus: *Si mordetis, inquit, & comeditis inuicem, videte ne ab inuicem cõsumamini.* Hoc ipsum pluribus verbis exponit Rupertus lib. 1. in Exodum, c. 38. Plaga, inquit, locustarum ad illud legis mandatũ spectat: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hoc videlicet maximè faciunt Hæretici, & omnes qui loquuntur mendaciũ. Et in Apocalypsi quidem B. Ioannis c. 9. Vis mendacij Hæreticorum, per spiritũ locustarum his verbis designata est: *Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol & aer, & de fumo exierũt locustæ in terram.* Hic dicitur de fumo exijsse locustas in terrã, in libro autem Exodi legitur: Vento vrente locustã impulsam esse in Aegyptũ. Et in loco vtroque idem mysticè intelligendum est; videlicet, sicut locustę proprium non habẽt volatum, sed vento in perniciẽ Aegyptiorum sublatæ & impulsæ sunt: sic omnes falsi testes, siue in foro, siue in Ecclesiastico concilio contra sanguinẽ proximi, siue contra fidem Christi, falsa de Scripturis testimonia proferentes; volare se putant pennis scientiæ: sed procul dubio pennis tolluntur a vẽto diabolicæ superbiæ ad subuersionem audientium, & ad perditionem sibi consentientium. Ita Rupertus.

Numer. 30. *S. August.* *Exodi 20.* *Ad Gal. 5.* *Rupertus.*

8\. *Egregia disputatio B. Gregorij de significatio*

Ceterùm quid locustarũ nomine ac similitudine in sacris litteris, secundum intellectum mysticum significetur, copiosa & luculẽta disputatione declarat B. Gregorius in libro 31. Moralium, c. 20. tractans illa verba Iob cap. 39. *Nunquid suscitabis eum quasi locustas?* Vt autẽ *ne mysticè locustarũ*, summatim vniuersam eius disputationem comprehendã, docet S. Gregorius, Locustarum nomine in Scriptura quinque res designari, Iudaicum populum, rum Gentes ad Christum conuersas, Resurrectionem quoque Domini nostri, & item sanctorum verbi Dei prædicatorum vitam, ac demùm adulantium linguas. Ac primò quidem Iudaicum populum significarũt locustæ, quæ subitos dant saltus, sed protinus ad terram cadunt. Saltus enim velut quosdam dabãt Hebræi, cũ præcepta Domini se implere velle promitterent, dicentes: *Omnia quæ locutus est nobis Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Sed citò ad terram cadebant, cum per praua opera quasi ea se audiuisse pernegabant, dicentes: *Vtinam mortui essemus in Aegypto, & non in hac solitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam.* Locustæ igitur erant, habebant enim saltum per vocem, & casum per actionem. Locustarum quoq; nomine Gentilitas designatur. Hinc per Salomonẽ dicitur: *Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.* Derelicta gentilitas, aliena dudũ à diuino regimine extitit; sed tamen ordinata postmodum, contra aduersantes spiritus ad fidei bellũ processit. Locustarum etiã nomine per quãdam comparationem Redemptoris nostri resurrectio designatur: vnde & voce eius per Prophetam dicitur: *Excussus sum sicut locusta.* Teneri enim à persecutoribus vsq; ad mortem pertulit, sed sicut locusta excussus est; quoniam ab eorum manibus, saltu subitæ resurrectionis euolauit.

Exodi 24. *Nume. 14.* *Locus Prouerb. 30.* *Psal. 108.*

Ad hęc locustarũ similitudo ad sãctos diuini verbi prædicatores pertinet. Etenim ille prędicator ad perfectionis culmen erigitur, qui nõ actiua solũ, sed etiã contẽplatiua vita solidatur: quare ipsa prædicatorũ perfectio, rectè locustarũ similitudine exprimitur: quæ quoties se in aërem attollere conantur, primum se cruribus impellentes subleuant, & post modũ alijs volant. Similiter sancti viri, dum superna appetunt, primò quidem actiuæ vitæ bonis operibus nituntur, & tunc demùm se ad sublimia per cõtemplationis 9.

plationis saltum volando suspendunt. Crura itaque locustæ figunt, & alas exerunt: Sancti enim, rectè agendo stabiliuntur, & alta videndo subleuantur. Illud prętera simile locustis habent Sancti. Matutinis enim horis, id est, teporis tempore, locustæ vix à terra se subleuant: Cùm verò æstus exarserit, tantò altius, quantò alacrius volant. Ad eundem modum sanctus prædicator, dum quieta fidei tempora sunt, humilis ac despectus aspicitur, & locustarum more, quasi vix à terra subleuatur. Si autem persecutionis ardor incãdeat, corde cœlestibus inhærens; mox quantæ sit sublimitatis ostendit: & pulsatus, alis in altum rapitur, qui quietus in imis torpuisse videbatur.

10. *Adulantiũ lígua símiles locustis Aegyptiacis.*

Postremo loco, locustarum vocabulo linguæ adulantium exprimuntur: qd exhibita cœlitus Aegyptijs octaua plaga testatur. Sic enim scriptum est in libro Exodi capit. 10 *Ventus vrens leuauit locustas, quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti, operueruntq́, vniuersam faciem terræ, vastantes omnia. Deuastata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit.* Quid autem per significationem, locustæ portendunt, quæ plus, quàm cętera minima quæque animantia, humanis frugibus nocent, nisi linguas adulantium, quæ terrenorũ hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc, immoderatius laudando, corrumpunt? Fructus quippe Aegyptiorum, est operatio Cenodoxorum, quam locustæ exterminant, dum adulantes lingua, ad appetendas laudes transitorias, cor operantis inclinant; herbam comedunt locustæ, quando adulatores verba loquentium inani plausu & fauore supra verum extollunt. Poma quoque arborum deuorant, quando varijs laudibus, quorundam, iam quasi fortium, opera eneruant. Hactenus ex Beato Gregorio.

SECVNDA DISPVTATIO.

De nona plaga, quæ fuit triduanarum tenebrarum super Aegyptum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Dixit Dominus ad Moysem: Extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terrã Aegypti tam densæ, vt palpari queant. Extenditque Moyses manum in cœlum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat. Vbicunque autem habitabant filij Israel, lux erat. *Versu 21. 22. 23.*

HVIVS plagæ narratio & descriptio apud Philonẽ, est huiusmodi: Sereno die repentè offusæ sunt tenebrę siue ob defectum solis maiorem solitò; siue continuis densisque nubibus cœlum subrexentibus; & nimia constipatione interclusis radijs, vt dies nihil differret à nocturna caligine, qua per triduum continuata, videbatur vna perpetua nox longissima. Tunc aiunt, Aegyptios, aut non esse ausos è cubili surgere; aut si necessitates naturales vrgerent, more cœcorum, palpando parietes, ægrè potuisse progredi. Nam ignis, quo vtimur quotidie, vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur à crassissimis tenebris: ita vt saluis oculis, summè necessarium videndi sensum, ceu exoculati requirerent: hoc autem adempto, cęterorum sensuum ferè nullus vsus erat. Nam nec loqui, nec audire, nec cibis frui licebat, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, præsenti malo prægrauante, donec Mose Deum exorante, lux tenebris successit, & nocti dies serenissima. Hæc Philo. Simile quid tenebris illis Aegyptiacis, etiam in Sicilia quõdam euenisse, ob Aethnæorum *1. Philo.* *Simile qd tenebris Aegypti quõ-*

dem in Sicilia euenisse. rum ignium eruptionem solitò maiorem, narrat his verbis Cicero libro 2. de natura Deorum: Nos, inquir, tenebras cogitemus tantas, quãtæ quondam, eruptione Aethnæorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum, nemo hominem homo agnosceret: Cùm autem tertia die sol luxisset, tunc reuixisse sibi viderentur. Ita Cicero.

Cicero.

12. De hac plaga tenebrarum, quinque hæc tradit Scriptura in hoc loco: Primò docet, fuisse tenebras horribiles, & adeò densas, vt palpari possent: tum, durasse tres dies & tres noctes: deinde, fuisse eas tenebras in vniuersa terra Aegypti, vbicunque erant Aegyptij: Præterea, in tempore illarum tenebrarum non modò Aegyptios non vidisse inter se, verùm nec se mouisse de loco in quo erant: ac demum, Aegyptijs tanta offusis & oppressis tenebrarũ caligine, Hebræos clarissima cœli luce vsos esse. In libro Sapientiæ, cap. 17. pluribus verbis hęc plaga tenebrarum pulcherrimè describitur. Ac primò dicitur, Aegyptios stupore, & horrore tenebrarum perstitisse immobiles, quasi essent vinculis & catenis constricti, & tanquam in carcere vel spelũca quapiam reclusi. *Vna*, inquit, *catena tenebrarũ omnes erant colligati: & longa noctis vinculis compediti tenebantur in carcere, sine ferro reclusi.* Deinde ibi traditur, cũ reliquus terrarum orbis, clarissimis cœli luminibus frueretur, solos Aegyptios cœlesti luce fuisse prorsus orbatos. *Omnis*, inquit, *orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur: solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.* Præterea, in illis tenebris positi Aegpytij, audiebant horribiles sonitus: & visa monstrifica ac terrifica illos præ timore exanimabant. *Sonitus*, inquit, *descendens perturbabat illos & personæ tristes illis apparentes, pauorem illis præstabant; & transitu animalium, & serpentiũ sibilatione commoti, tremebundi peribant.* Sed dicet quispiam quomodo in tam densis tenebris, Aegyptij poterãt istiusmodi monstrifica & horrifica monstra cernere? Respondet ibidem Scriptura: *Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus: & metu perculsi illius, quæ videbatur, faciei, existimabant deteriora esse quæ non videbantur.* Ad extremum, partim ob tenebrarum horrorem, partim etiam propter cõscientiæ morsum (semper enim præsumit sæua perturbata conscientia) omnia pauebant & horrebant. *Siue* inquit, *spiritus sibilans inter densos arborum ramos, siue sonus auium, siue vis aquæ vehementer decurrentis, siue fragor præcipitatarum petrarum, siue ludentium animaliũ cursus inuisus, siue mugientium valida bestiarum vox, siue resonans de altissimis mõtibus Echo, deficientes faciebat illos præ timore.* Atque hæc in libro Sapientiæ prodita sunt de prodigio & plaga illarum tenebrarum.

13. Sed quò melius intelligantur, quæ de illis tenebris tradit in hoc loco Scriptura, quæstiones aliquot, more nostro, breuiter tractandæ sunt: quarum prima sit; Quemadmodum factæ fuerint illæ tenebræ; de quo plurimum inter auctores dissentitur. Philo duos attigit modos, quibus tenebræ illæ fieri potuerint: alterum, propter maximam Solis eclipsim tunc factam: alteram propter aërem adeò densatum, & constipatum, vt cœleste lumen nequaquam reciperet. Sed prior modus planè improbabilis est. Nã si fuisset eclipsis Solis, fulsissent tũc aliorum syderum lumina: at Scriptura dicit; Aegyptios omni lumine priuatos, in densissimis fuisse tenebris. Adde, quod si fuisset eclipsis Solis causa earum tenebrarum, fuisset obscuritas illa generalis, & non propria Aegyptiorum, sicut ait Scriptura. Quid, quod obscuratio totius Solis in eclipsi naturali, ne vnam quidem horam durare potest, ne dum totum triduum? Alter verò modus, quẽ adiunxit Philo, est admodum probabilis, vt infrà dicemus. Fuerunt nonnulli qui putarunt, tenebras illas non esse factas in aëre, sed in oculis duntaxat Aegyptiorum, impedita oculorum acie, ne videre possent. Sed commentum hoc apertè Scriptura excludit: non enim dixit, Aegyptios fuisse percussos cæcitate, sicut dictum est de Sodomitis Genesis decimonono, & de militibus regis Syriæ.

Prima quæstio. Quomodo factæ sint illæ tenebræ.

Philo.

Prima opinio Philonis.

Illas tenebras nõ esse factas ex eclipsi Solis.

Secunda opinio.

Non accidisse tenebras illas, quod Aegyptij percussi fuerint cæcitate.

Syriæ.4.Regum,cap.ſexto, ſed ait Scriptura, fuiſſe tenebras factas ſuper vniuerſa terra Aegypti:in terra autem Geſſen nullas fuiſſe tenebras,ſed lucem clariſſimam. Quod ſi iſto modo facta eſſet hæc plaga, quomodo dixiſſet Scriptura, fuiſſe tenebras illas denſiſſimas atq; palpabiles? Non igitur obſcuritas illa erat tantummodo in oculis Aegyptiorum,ſed extra,in ipſo aëre. Gloſſa interlinearis cauſam illarum tenebrarũ fuiſſe indicat ſolam priuationem luminis cœleſtis. At enim, tunc non fuiſſent tenebræ palpabiles: nã priuatio luminis, per ſe non eſt palpabilis. Dices, illud eſſe dictum per hyperbolen, ad declarandam magnitudinem obſcuritatis. Sed non eſt opus confugere ad hyperbolẽ, cum verba Scripturæ, commodiſſimè liceat propriè, & ita vt ſonant, interpretari atque intelligere.

Hunc ſecũdum modũ etiam Janſenius innuit ſuper c.17.lib.Sapientiæ ſub eius finem.

Tertia opinio.

Gloſſa.

14\. Lyranus, Thoſtatus, Caietanus arbitrantur,duo concurriſſe ad effectionem illarum tenebrarum Aegyptiacarum: & horum alterum eſſe priuatiuum; alterum verò poſitiuum,& vtrunque miraculoſum. Priuatiuum erat,per omnipotentiam Dei,ſubtractio radiorum Solis,cæterorumque ſyderum, quæ verſus Aegyptios, vbiuis locorum manentes, radios ſuos non emittebant. Poſitiuum fuit,multorum & craſſiſſimorum vaporum eleuatio, adeò condenſantium aërẽ,vt is tactum admitteret,& fieret palpabilis. Paulus Burgenſis ſuperuacuum putat eſſe miraculum ſubtractionis ſyderum illuminationis: & ſolam caliginem, & conſtipationem aëris tantam, vt nullo eſſet lumine penetrabilis,ſufficientem fuiſſe cauſam illarum tenebrarum,nec opus eſſe illo tam inſigni miraculo in aſtris cœleſtibus. Fruſtra autem fit per plura,& maiora, q̃ æquè bene fieri poteſt per pauciora & minora: nec ſine cauſa multiplicanda ſunt miracula. Hęc Burgenſis opinio ſatis eſt probabilis,mihique perplacet, & plurimis ante Burgenſem ſeculis, auctor eius fuit Philo in libro 1. de vita Moſis ita ſcribens: Sereno die, repẽtè offuſæ ſunt tenebræ, continuis,denſiſque nubibus cœlũ ſubtexentibus,& nimia conſtipatione, interclufis radijs ſyderũ, vt dies nihil differret à nocturna caligine. Sic ille. Ac, niſi ego valde fallor, idem Scriptura ſignificauit non obſcurè in libro Sapientiæ,cap.17.illis verbis: *Nec ſyderum limpida flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.* Quibus verbis ſignificatur, horrorem, id eſt, denſitatem caliginoſi aëris fuiſſe tantam, vt non admitteret lumen ſyderum,propter horrendam craſſitiem. Quod ſi facta eſſet tunc diuinitus ſubtractio illa illuminationis ſyderum, non vtique Scriptura in eo loco miraculum tam inſigne ac memorabile tacuiſſet; vbi alia longè minus notabilia,nõ enarrauit ſolùm,ſed etiam exaggerauit.

Quarta opinio. Lyrani, Thoſtati, & Caietani.

Quinta opinio Pauli Burgenſis.

Auctori placet opinio Burgẽſis, q̃ fuit Philonis.

Altera quæſtio eſt; Quomodo intelligendum ſit, tenebras illas fuiſſe palpabiles. Nam palpari non poteſt niſi corpus, tenebræ autem non modò corpus non ſunt, ſed nec ens vllum poſitiuum, quemadmodum loquimur in ſcholis. Adijce, quod ſenſus tenebrarum, ſicut etiam lucis, eſt viſus:ſenſus verò palpãdi,eſt,tactus, & præcipuè qui in manibus eſt. Verbum hebræum, *maſas*, quidã putant ſignificare tria, auferre, recedere,& palpare:vnde fluit triplex huius loci interpretatio:Prima: tam denſæ fuerunt tenebræ, vt noctis tenebras auferrent: id autem eſt, vt profuſus obruerẽt obſcuritatem noctis, & noctis tenebræ prę illis,nihil eſſe viderentur;non ſecus ac maius lumen,aufert minus,id eſt, obſcurat, vt non videatur. Altera lectio quam habet Paraphraſis Chaldaica, huiuſmodi eſt:*Vt ſint tenebræ, etiam poſtquã receſſit caligo noctis.* Tertia lectio; verbum hebræum, latino verbo palpandi expreſſit; quam lectionem non ſolùm habet latina tranſlatio, ſed etiam LXX. Interpretes, Pagninus & alij. Cur autẽ dictæ ſint palpabiles, exponitur variè. Philo ait, quia propter magnitudinem obſcuritatis, cogerentur homines, more cœcorum, palpando parietes, ingredi. Gloſſa dicit, eſſe dictum hoc per hyperbolen, ad denotandam videlicet obſcuritatis magnitudinem. Sed enim cũ per ſe repugnet tenebris, quæ ſunt mera priuatio luminis, eſſe palpabiles; quantumuis excreſcat ratio tenebrarum, & priuatio luminis, ſemper repugnabit tenebris, eſſe ipſas palpabiles; nec vlla videtur eſſe conuenientia tenebrarum, cũ

15. Secunda quæſtio, Quomodo illæ tenebræ fuerint palpabiles.

Philo.

Gloſſa.

eo

eo quod est esse palpabile; siquidem illę pertinent ad sensum visus, hoc autem ad sensum tactus. Verius igitur dictum est, quod à plerisque traditur expositoribus, per tenebras significari hoc loco non ipsas per se, vt significant priuationem luminis; sed ipsummet aërem tenebrosum, qui crassissimorum vaporum admixtione ita densatus & confertus erat, vt manu palparetur.

Quod autem Scriptura subiungit de filijs Israël in versu 23. *Vbicunque habitabant filij Israel, lux erat*, proculdubio habendum est pro ingenti miraculo. Hebræi enim in terra Gessen habitabāt permixti cum Aegyptijs, erantque domus eorum aliæ vicinæ alijs, vt patet ex cæde primogenitorum Aegypti, & ex eo quod Hebræi in discessu, commodatò acceperunt à vicinis suis Aegyptijs bona eorum. Cùm igitur tam arcta esset habitationis eorum societas, vbicunque tamen Hebræi erant, clarissima cœli luce fruebantur: vbiuis autem locorū essent Aegyptij, licet proximi Hebræis, in densissimis tenebris versabātur, Deo ita moderante illuminationem syderū cœlestium, vt ad Hebræos perueniret, non autem ad Aegyptios; quòd crassissima illa caligo aëris offusa erat oculis Aegyptiorum, non autem Hebræorum. In libro Sapientiæ, cap. 10. scriptum est, in illo triduo tenebroso, Hebræos audiuisse quidem voces Aegyptiorum, sed figuras eorum non vidisse.

16. *Tertia quæstio, An Aegyptij in illo triduo usi sint luminibus artificialibus.*

Tertia quæstio super illis verbis Scripturæ in versu 23. *Nemo vidit fratrem suum*, quæritur, cur Aegyptij in remedium illarum tenebrarum, non accenderint ignes, & lumina artificialia facū & tedarum ac lucernarum. Caietanus censet, illos fuisse vsos istiusmodi luminibus. Nam quod Scriptura ait, Aegyptios in illo triduo non vidisse inter se, putat non esse intelligendum simpliciter & omninò, sed cum hac adiunctione, quod beneficio cœlestis luminis, vnus non videbat alterum: at verò beneficio luminum artificialium, & inter se videre, ac negociari poterant. Ecce tibi Lector verba ipsa Caietani. Non, inquit, intelligo tanto rigore hanc literam Scripturæ, vt triduo nullus alterum videret, nullus comederet, nullus biberet, nisi forte iuxta se habuerit cibū & potū: sed intelligo formaliter, videlicet, qđ beneficio lucis cęlestis nullus viderit alterum, & nullus exierit domo: cum quo tamen stat, quod beneficio lucernarum domi se continentes, coquebant, & comedebant, &c. Hæc Caietanus. Verùm præter communem Doctorum interpretationem planè contrariam Caietano, aduersatur illi etiam aperta Scripturæ sententia, quæ in libro Sapientiæ, cap. 17. sic habet: *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen prabere*. Deinde, cùm Scriptura docet simpliciter & præcisè, quòd in illo triduo Aegyptij alij alios non videbant, cur Caietanus vult absolutā Scripturæ sententiam restringere ad lucem cœli, dicens, quod non videbant se beneficio cœlestis luminis, sed videbant tamen se beneficio aliorum luminū? Quid, quod plaga illa tenebrarum, quæ fuit grauissima & acerbissima, secundum istam Caietani expositionem, fuisset admodum leuis & tolerabilis? Siquidem priuatio luminis cœlestis tolerabilis est vtentibus adminiculo & remedio luminum artificialium: sicut ab omnibus fit singulis noctibus.

Caietanus.

17. *Burgensis.*

Paulus Burgensis ait, caliginem illam Aegyptiorū, adeò fuisse densam & crassā, vt auferret aspectū cuiuslibet lucis, & nullo esset penetrabilis lumine, nulli usq; capax illuminationis. Philo; Ignis, inq t, quo vtimur quotidie, vel aëre turbato extinguebat; vel vincebatur à crassissimis tenebris. Philoni, quā dixit de turbato aere, suffragatur trāslatio LXX. Interpretum, q̄ hoc loco hēt, factas fuisse tunc tenebras, & caliginē, & turbinē siue tēpestatem. Thostatus ait, siq sapud Aegyptios, id temporis, erat ignis, eum fuisse tunc procellosa aëris tempestate protinus extinctum, aut certè (Deo suspendēte actum secundum eius, qui est illuminare) haud quaquā luxisse. Mihi & Burgensis, & Philonis probatur sententia.

Philo.

Thostatus.

18. *Quarta quæstio, An Aegyptij in illo triduo tenebra-*

Quarta quęstio; Quo modo intelligēdum sit, quod Scriptura dixit hoc loco versu 23. neminem Aegyptiorum in toto illo triduo, mouisse se de loco, in quo erat. Glossa hanc sententiam Scripturę interpretatur, non quod Aegyptij fuerint

rint

rũ fuerint omninò immobiles. rint tunc penitus immobiles, sed quod non migrauerint ex vno loco in alium. *Glossa. Philo.* Philo ait, aut præ metu non esse ausos mouere se loco, aut aliò ire; aut si necessitates corporales vrgerent, more cœcorum, palpando parietes, ægrè potuisse ingredi. Alij dicunt, Scripturam nolle significare, Aegyptios nullo modo se mouisse loco; sed quod ex locis suis, id est, ex domicilijs & domibus non se mouebant egrediendo ad alia loca. *Caietanus.* Caietanus, vt ex supradictis eius verbis manifestum est, sic exponit, quod Scriptura dixit, Aegyptios non mouisse se loco, in quo erant, quod illi non mouebant se beneficio videlicet luminum cœlestium, quibus penitus erant priuati; at verò ignium artificialium adiutorio, poterant mouere se, & ire quocunq; vellent. Verùm hãc eius opinionem paulò *Burgensis.* supra confutauimus. Paulus Burgensis arbitratur, tantam fuisse tunc crassitiem & densitatem aeris, vt non modo aspectum omnis lucis auferret, verumetiã impediret motum progressiuum. Quod ego falsũ puto: multò enim magis crassitudo illa aeris impediuisset motum respirationis; quo impedito, confestim omnes Aegyptij perijssent.

Lyranus & Thostatus, quibus assentitur auctor. Placet mihi Lyrani & Thostati sentẽtia; qui simpliciter accipiunt, quod Scriptura dixit, Aegyptios non mouisse se loco in quo erant: id verò putant, illis accidisse, vel quia terrificis admodum visis pauefacti, metuebant, si se mouerẽt, ne quãprimùm perirẽt: vel quia tã insolitas experiẽtes tenebras, putabant totum mundi ordinem peruerti & dissolui; ob idque quocunque irent, grauiora sibi euentura mala timebant. Et hoc ipsum non obscurè significauit Scriptura in libro Sapientiæ, cap. 17 dicens; Aegyptios fuisse tunc tanquam catena quadã vinctos, & tã quam in carcere reclusos. Ergò ex eo loco in quo erant, cum sunt à tenebris occupati & oppressi, non se mouerunt Aegyptij, transeundo in aliũ locum: non tamen in eo loco, erant penitus immobiles tanquam saxa vel arbores; vt nec verba proferre, nec gemitus aut eiulatus edere, nec expuere, nec pedes, aut manus mouere possent: nam in libro Sapientiæ, capit. 18. scriptum est, fuisse tunc exauditas voces Aegyptiorum ab Hebræis.

19. Quinta quæstio; Si nemo Aegyptiorũ in toto illo triduo mouit se loco suo, conferens se ad alium; quomodo tunc Pharao misit nuncios vocatum ad se Mosẽ & Aaron? Sic enim ait Scriptura versu 24. *Vocauit Pharao Mosem & Aarõ, & dixit eis, &c.* Caietano nihil est negotij, exoluere hunc nodum: putat enim, vsu ignium artificialium, quelibet Aegyptiorum ire potuisse quocunque vellet. Sed hoc suprà repudiatum est. Illud sanè difficultatem adfert, quòd videtur Pharao etiamnum durante illo triduo tenebrarum misisse nuntios ad Mosem: sic enim fecisse legimus eum in præcedẽtibus plagis: & idcirco putandum est vocasse Mosem, vt is, deprecando Deũ tenebras illas dispelleret: nam post illud triduum, sublatis iam tenebris, non curasset vocare Mosem. Verùm quia tunc, vt Scriptura inquit, nemo vidit alium, nec se mouit loco, probabilior videtur Lyrani, & Thostati sententia, qui censent, Mosem esse vocatum à Pharaone, transacto iam illo triduo, discussisq; tenebris. Nam licet Pharao iam esset plaga tenebrarum liberatus, prioribus tamen tot tantisque plagis percussus, meritò timuit, ne alia superueniens plaga, & se, suosque perderet, ac de terra deleret: pro arcendo igitur malo, quod venturum timebat, vocari ad se iussit Mosem & Aaron. Esse porrò admodũ probabilem hanc sententiam, illud etiã fidem facit, quod in hac nona plaga, Pharao vocatos ad se Mosem & Aaron, non rogauit vt supplicarent Deo suo pro depulsione tenebrarum, sicut fecerat in alijs plagis, vt in secunda, quarta, septima, & octaua; quod non obscuro est indicio, iam tum cessasse plagam tenebrarum.

Quinta quæstio, An Pharao durantibus tenebris vocauerit ad se Mosem; an post triduũ tenebrarũ. Caietanus.

20. Finem imponet huic Disputationi mystologica harum tenebrarum Aegyptiacarum interpretatio. Tenebræ palpabiles Aegyptiorum (ait Origenes) significabant cæcitatem mentis Pharaonis & Aegyptiorũ, qui tot percussi plagis, totque visis miraculis, non agnouerunt Dei potentiam, nec voluntati eius obtemperare voluerunt. Significãt prętere a tenebræ illæ, obscurissimas esse atque impenetrabiles diuinæ prouidentiæ

Mystica expositio nona plaga. Origenes.

tię rationes: quas qui temerè ac superbè scrutati audent, densissimis errorum tenebris offunduntur: scriptum enim est de Deo: *Posuit tenebras latibulum suum*. & item: *Lucem habitat inaccessibilem*. De curiosis autem, & superbis rerum diuinarum scrutatoribus, proditum est: *Obscuratum est insipiens cor eorum*: & alio loco: *Qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria*. Aegyptus autem densissimis tenebris oppressa, significauit mũdum, ante Christi aduentum, crassissimis errorum tenebris obductum. Quales enim tenebræ fuerunt, pro Deo vero, adorare lapidem, lignum, & brutum animal? & pro Dijs colere, quorum inter se odia & bella, & adulteria atque indigna, nefandaque vitia publicare & celebrare non erubescebant? Nonne tibi videntur tenebræ palpabiles, id est, errores, qui à quouis homine, tantùm non insano aut cæcę mentis, liquidò dispici possint? Atque istiusmodi tenebræ fuerunt triduanæ: nam errores idololatriæ, & in lege naturę, & in tempore legis scriptę, & post Christi aduentum in mundo viguerunt. Tota porrò Aegypto in tenebris demersa, sola terra Gessen, vbi erat Dei populus, clarissima luce fruebatur: Et nunc hi solùm qui manent in Ecclesia Catholica, veritatis & gratiæ lucem aspiciunt: cæteris gentibus, densissima vitiorum errorumque caligine oppressis. Nonum præceptum, inquit Augustinus, est: *Non concupisces vxorem proximi tui*, & nona plaga Aegypti, fuit caligo palpabilis; nimirum, magnæ sunt animi tenebræ, non esse contentum vxore sua, sed alienam appetere, alienumque polluere torum. Est profectò palpabilis cæcitas, animi non aduertentis, nihil esse quod magis doleat patiens iniuriam istam; nec quod minus vellet sibi fieri, qui eam facit: In qua sanè duplex est, tum intemperantię, tum iniustitiæ crimen execrandum.

Roman. 7.
Prouerb. 25
S. August.
Exodi 20.

BENE-

BENEDICTI PERERII
IN CAPVT VNDECIMVM EXODI,
DISPVTATIONES QVATVORDECIM.

Denunciatur decima & vltima plaga, quæ fuit cædes primogenitorum in omni Aegypto: & induratio Pharaonis ostenditur.

CAPVT VNDECIMVM EXODI.

Versu 1. ET dixit Dominus ad Moysen: * Adhuc vn a plaga tangam Pharaonem,& Aegyptios,& post hæc
2. dimittet vos,& exire compellet. * Dices ergo omni plebi vt postulet vir ab amico suo,& mulier à vi
3. cina sua vasa argentea & aurea. * Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptijs. Fuitque Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram seruis Pharaonis, &
4. & omni populo. * Et ait: Hæc dicit Dominus:Media nocte egre
5. diar in Aegyptum, & * morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum,à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ,quæ est ad molam,& omnia pri-
6. mogenita iumentorum. * Eritque clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.
7. * Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis,ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus
8. Aegyptios & Israel. * Descendentque omnes serui tui isti ad me,& adorabunt me dicentes: Egredere tu, & omnis popu-
9. lus qui subiectus est tibi: posthæc egrediemur. * Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen:Non audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in terra Aegypti.
10. * Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

DE PLAGA DECIMA,

ID EST,

De cæde primogenitorum Aegypti, Quatuor Disputationes.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 4. vsq; ad 7. Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Aegyptum, & morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorũ: à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, ad primogenitũ ancillæ quæ est ad molã, & omnia primogenita iumẽtorum. Eritq; clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec antè fuit, nec posteà futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis, *&c.*

1. Philo. HISTORIAM huius decimæ plagæ breuiter à Mose scriptã, fusius atq; expressius enarrans Philo; Tandem inquit, accessit extrema pęna diuina, superioribus oĩbus atrocior, ipsis Aegyptijs morientibus, nõ tñ oĩbus, nolebat enim Deus regionẽ desertam reddere, sed castigare tãtùm eam voluit; Itaque parcens maximæ turbæ virorum ac mulierum, morti addixit solos primogenitos, exorsus à maximo natu regis filio, & in vilissimæ ancillæ pistrinariæ filiũ definẽs. Nam mediam circiter noctem, omnes primogeniti, sani, valentesque, nullo præcedente morbo, repentè interierunt ad vnum, vt nulla familia sine domestico luctu fuerit tũc inuenta. Prima verò luce, cum quisq; suos charissimos inopinata nece sublatos videret, cum quibus superiore die suauiter vsq; ad vesperam conuixerat, vt in publico luctu grauissimo, cõploratione cõpleuerunt oĩa. Cũ eñ nemo esset exors eius calamitatis, vnus erat clamor omnium, vnusq; luctus obtinebat regionem vniuersam, quacũq; patebat. Qui tantisper dũ intra priuatos patietes se cõtinebat, singulis aliena mala ignorantibus, priuatus etiã tũ videbatur. Vbi verò alij didicerunt ex alijs, geminabatur cõploratio, in tantũ grauante dolore publico, vt nullus consolator existeret: quis eñ solaretur alterũ, indigens ipse cõsolatione? Cęterũ, vt in tali casu solet fieri, putantes hoc esse maiorũ initia malorũ, & soliciti de interitu superstitũ, flentes cõuolabant in regiã, scissisq; vestibus, regi causam calamitatis imputabant, dicẽtes, nihil se mali passuros fuisse, si Moses impetrasset quæ petierat, nunc haberet se obstinatæ peruicaciæ præmia. Deinde per se quisq; certatim hortabatur Hebræos, vt properè tota regione decederent, vel vnã diẽ horamve differre, lõgũ rati, & insuper periculosum. Hęc Philo.

PRIMA DISPVTATIO.

Quis fuerit effector decimæ plagæ.

TRIA super hac plaga sunt à nobis tractanda: Primò, per quem inflicta sit hæc plaga Aegyptijs: Deinde, quinam fuerit effectus huius plagæ: ad hæc, qua ratione plagam hanc euaserint Hebræi. Quantum ad primum, Scriptura paulò infrà cap. 12. versu 23. auctorem huius plagæ vocat Dominum, dicens: *Transibit Dominus percutiens Aegyptios.* Non tamen id fecit Dominus immediatè per seipsum, sed inuisibili vsus Angelorũ ministerio: quod apertè in eodem loco indicauit, subiungens: *Et non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Ex quo apparet, Deũ vsum esse ministerio Angeli percussoris. Verũ de isto Angelo duplex est quæstio; Altera, fueritne bonus, an malus Angelus: & altera, fueritne vnus, an plures. Qđ ad priorẽ 2.

R quæ-

quæſtionem pertinet, ſciendum eſt, aliter Deum punire homines poſt hanc vitã, & aliter ĩ hac vita. Etenim, poſt hãc vitã homines malos punit Deus in inferno per malos Angelos: iuſtiſſima ꝑfectò ratione, nã à quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt: & Deꝰ ĩ extremo vniuerſali iudicio dicturꝰ eſt improbis: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius:* nec ſanè decet, bonos Angelos fieri tortores improborũ in inferno. Bonos autem, qui ad tp̃s in Purgatorio torquentur, haudquaquam punit Deus per Dæmones, non enim vr̃ æquum, vt qui Dæmonem in hac vita glorioſè vicerunt, in Purgatorio, eius poteſtati ac torturę ſubijciãtur. Nec eos tamen crediderim puniri per Angelos bonos: indecens eñ videtur, eos puniri per eos Angelos, quorum mox in cęlis & ciues, eiuſdemq; felicitatis cõſortes futuri ſunt; immo frequẽtes viſitatores eorũ atque conſolatores eſſe bonos Angelos, pium eſt credere. At enim in præſenti vita, Deus homines, ſiue bonos, ſiue malos indifferẽter punit, vel per Dæmones, vel per Angelos bonos. Nã Sodomitas, peſſimos nempe hominũ, puniuit per Angelos bonos, quos Abraham videlicèt paulò ante hoſpitio acceperat. Et tempore Dauidis, interempta ſunt peſte ſeptuaginta millia hominũ, per Angelum vtique bonum: vt ſatis indicat Scriptura 1. Paralip. cap. 21. nec in tanta illa multitudine fuiſſe aliquos inſontes atque innoxios dubitandum eſt, teſtante hoc ipſomet Dauide. Præterea, malus erat Angelus, qui vexabat regẽ Saul, tunc iam mente ac voluntate corruptum, & à Deo repudiatum: nihilo item minus, qui Beatum Iob tantoperè afflixit, malus fuit Angelus, vtpotè Sathan vocatus in Scriptura.

Aliter Deũ punire homines ĩ hac vita, & aliter poſt mortem.
Ioan. 8.
Locus Matthæi 25.
Geneſ. 19. & 18.
Iob 1. & 2.

An percuſſor primogenitorũ Aegypti fuerit bonus, an malus Angelus.
Lyranus Thoſtatus. Rupertus.

Ergo fieri potuit, vt hæc plaga facta ſit, vel per Angelos bonos, vel per malos. Lyranus quidem ac Thoſtatus hoc loco, & Rupertus lib. 2. in Exodũ, c. 3. arbitrantur cædem illam primogenitorum Aegypti factam eſſe per Angelos malos, duplici coniectura ex ſacris literis ducta. In Pſal. enim 77. cõmemoratis prioribus nouem plagis, narraturus Dauid plagã decimã, præmiſit illa verba, quæ ſunt in verſu 49. *Miſit in eos irã indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem: immiſſiones per Angelos malos.* Et poſt hæc ſubdit decimam plagam in verſ. 51. *Percuſſit omne primogenitum in terra Aegypti,* apertè vocauit Dauid Angelos malos, per quos facta eſt cædes primogenitorũ. Deinde in c. 12. Exodi, verſu 23. ait Dñs, ſe non permiſſurũ percuſſorẽ primogenitorũ, intrare domos Hebræorum: quo ſignificatur, Angelũ illũ, ſpontè ſua nociturũ fuiſſe Hebræis, niſi Deus prohibuiſſet: at non eſt fas exiſtimare, bonos Angelos eſſe prõptos ad nocendũ bonis. Sed neutra harũ coniecturarũ magni eſt momenti. Non prior, vocantur eñ Angeli mali, non à malitia morali, ſed à malitia pœnali: futuri eñ erãt mali & noxij Aegyptijs. Nec probabilior eſt altera cõiectura: nihil enim aliud illis verbis Dñi ſignificatur, niſi principalẽ auctorẽ eius plagæ eſſe ipſummet Dñm; eius verò adminiſtrum fuiſſe Angelũ, nihil ſua voluntate arbitrioq; facientem, ſed omnia ex Dei præſcripto atq; imperio agẽtem & moderantẽ. Alioqui, fuiſſe tunc inter Hebræos, non paucos improbæ vitæ ac morũ, & qui iuſtè ab Angelo puniri poſſẽt, minimè dubitauerim. Equidem propenſior ſum ad credendũ cædem illã primogenitorũ factam eſſe per Angelos bonos: verùm cum ſuper ea re ſuprà diſputatũ à nobis fuerit in cap. 7. Exodi, ad numerũ marginalẽ 71. ſuperuacuum fuerit, eadẽ hoc loco repetere.

3\. *Fueritne vnus Angelus an plures effectores huius plagæ.*

Altera queſtio eſt, Vtrum fuerit vnus Angelus, qui percuſſit omnia primogenita Aegyptiorum, an plures Angeli. Videtur ex ipſa Scriptura vtrumq; elici poſſe. In Pſalmo enim 77. plurali numero vocãtur Angeli mali, per quos facta eſt cædes primogenitorum: hic autem cap. 12. Exodi, verſu 23. appellatur numero ſingulari percuſſor. Sed neutrum certam fidẽ facit: notum eſt enim, eſſe moris in Scriptura, ponere interdũ ſingularem numerũ pro plurali, & contrà pluralem pro ſingulari: ſed enim probabilius eſt, fuiſſe plures Angelos illius cædis auctores. Etenim terra Aegypti longiſſimè ac latiſſimè patet, habẽs plurimas ciuitates, multoq; plura oppida, longiſ-

longissimis dissita interuallis, & propè innumerabiles domos. Cædes autem il la facta est in tota Aegypto, vbicumq; locorum versabantur Aegyptij; ita vt nulla domus ab ea cęde fuerit immunis: & facta est cædes eodem tempore, atque eo quidem breuissimo: non igitur vnus Angelus potuit tam breui tépore, in omnibus Aegyptiorum habitationibus, longissimè inter se distantibus, interficere omnia primogenita Aegyptiorum. Legimus in 2. Reg. cap. 24. vnum Dei Angelum occidisse septuaginta millia Hebræorum: sed ea per triduum sunt occisa. Est item proditum in 4. Reg. 19. Angelum Domini cæcidisse centum octoginta millia Assyriorū: sed illi erant simul in vno exercitu, atque in vno loco, & per vnam noctem occisi sunt. At cædes hæc Aegyptiaca longè amplior fuit, & in plurimis, atque inter se multum distantibus locis, & breuissimo temporis spatio, medio nempe noctis tempore; quod etiam amplè sumptum, vnam horam non potest excedere. Non est itaque improbabile, cuiuslibet ciuitatis, vel magnæ habitationis fuisse vnum Angelum percussorem. Ac sententiæ quidem nostræ, quãtum ad superiores duas quæstiones, quasi adstipulatorem, & probatorem habemus Caietanum: is enim exponēs illa verba, cap. 12. versu 23. *Non sinet percussorem ingredi domos vestras*. Iuxta Hebræum (inquit) sic habetur: *Et non dabit vastatorem ingredi domos vestras*. Ex Chaldaica officina putant quidam prodijsse illud: *Non sinet, vel permittet*, tanquam vastator fuerit malæ intentionis ad occidendos etiam primogenitos Israel, si Deus permisisset. Sed Hebraica litera habet; *Non dabit*, & propterea cessat hinc argumentū, quod vastator fuerit Angelus malus: nihil em̄ aliud hinc habetur, nisi qđ Deus non per seipsum, sed per Angelū, hoc est, per multitudinem Angelorū occidit primogenita, præsidendo illi multitudini Angelorum, & ordinando ne domos signatas sanguine agni ingrederetur: ordinãdo inquam, tanquam si præsens dux diceret: Hanc domum intrate, illam verò domum non intrate. Sic Caietanus. *Caietanus.*

SECVNDA DISPVTATIO.

De effectu decimæ plagæ.

4. SECVNDO loco de plagæ huius effectu dicendū est: Is autem fuit triplex; *Triplex effectus huius plagæ.* Primus, cædes primogenitorum hominum; alter, cædes primogenitorum animalium; tertius, Deorum Aegyptiorū euersio. De primo loquens Scriptura, ait, cæsa esse omnia primogenita Aegyptiorum, à primogenito vsque Pharaonis, qui sedebat in solio eius, hoc est, qui successurus ei erat in regnum, vel qui iam coronatus fuerat rex à patre, sicut Salomon à Dauide patre suo; *3. Reg. 2.* & aliqnando apud quasdam gentes regnasse simul patrem & filium, traditum memoriæ est: à primogenito igitur Pharaonis orsa cædes, progressa est vsque ad filium ancillæ versantis molam, vel, vt alio loco dicitur, vsque ad filium captiuæ, quę sedet in carcere. *Exodi 12.* Serui namque vel mancipia, interdiu in laboribus, & duris operibus exercentur: noctu verò, ne fugiant, in ergastulo reclusi tenentur. His porrò verbis describitur & supremus atque honoratissimus primogenitus, & infimus ac vilissimus, ne vllum cædi superfuisse primogenitum suspicari quisquam posset. Verùm oritur dubitatio, quomodo non est Pharao vnà cum alijs primogenitis occisus: videtur enim fuisse primogenitus patri suo, vt qui successerit ei in regnum. *An Pharao fuerit primogenitus.* Responderi multifariam potest: Primo, non fuisse primogenitum, sed secundum filiū; mortuo tamen primogenito sine liberis, regnum ei obtigisse: vel dici potest, non fuisse eum per successionē electū, quippe in Aegypto aliquamdiu regnabant, qui erant ex vna familia, vel Dynastia, verbi gratia, vel Diapolitana, vel Thebana. Responderi etiam posset, eū singulari consilio & ordinatione Dei fuisse seruatum ex hac cæde, quo vehementius torqueretur, vidēs tantā Aegyptiorum cladem, & vt postea cū omni exercitu suo demersus in mare rubrū, mirè diuinam omnipotētiã illustraret.

Cæterùm illud hoc loco habet difficultatem. Si primogeniti solùm occisi sunt, quomodo in capite 12. Exodi, versu 30. dicitur, nullã fuisse domũ in vniuersa Aegypto, in qua non aliquis iaceret mortuus? non enim est verisimile, in omni domo fuisse aliquẽ primogenitũ. S. Augustinus in quæst. 44. in Exodũ, respondet esse factũ diuina præsciẽtia, & ordinatione, vt eo tẽpore in omni domo Aegyptiorũ esset aliquis primogenitus, quo tempore facienda erat cędes hęc primogenitorũ. Augustini verba respondentis propositę quęstioni, sunt huiusmodi: An & hoc diuinitùs præscientia Dei fuerat procuratũ, vt in omnibus omninò essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Aegyptij? Sic Augustinus. Cuius sententię Lyranus subscripsit. Hugo S. Victoris memorat hoc Augustini responsum, & insuper ait; Sic posse nos interpretari verba Scripturæ, vt non intelligamus simpliciter in omni domo fuisse aliquẽ mortuum, sed subintelligamus, in qua erat primogenitus: vt sit hæc plena & perfecta oratio: Nulla erat domus in Aegypto habens aliquẽ primogenitum, in qua non sit facta cædes. Caietanus; Si miraris, inquir, in omni domo Aegypti fuisse primogenitũ, responderi posset, appellatione primogeniti, apud homines intelligi, non eũ modò qui primus natus est, sed etiã eum, qui primo nato mortuo, succedit in iuribus primogeniti. Thostatus arbitratur nomine primogeniti hoc loco intelligi debere oẽs qui fuerant primogeniti ex parẽtibus suis, siue viuerent parentes, siue non; siue mares fuerint, siue fęminæ, siue primogeniti fuerint respectu vtriusq; parentis, siue vnius tantùm. Ex quo licet intelligere, fieri potuisse, vt in vna domo essent cõplures primogeniti: exẽpli gratia, vt paterfamilias fuerit primogenitus parẽtibus suis; & itẽ vxor eius fuerit primogenita parentibus suis; & vtriusq; filius primogenitus; et si pater ille familias habuit plures vxores, & ex illis plures liberos, respectu cuiuslibet vxoris potuit esse aliquis primogenitus. Hinc apparet, potuisse in vna domo esse primogenitos plures quàm quinque. Rabbi Abrahã, Aben Esdra censet, propositionẽ hanc vniuersalẽ Scripturæ, quod in omni domo Aegypti fuit aliquis mortuus, non esse omninò vniuersaliter accipiendã, sed pro maxima parte; vt sit sensus: Paucissimæ in Aegypto fuere tunc domus, in quibus non aliquis esset mortuus. Sanè non est in Scriptura infrequẽs, vsurpare sententias vniuersales, siue aiẽtes, siue negantes, nec tamen vniuersaliter, sed plurimùm, & pro maxima parte interpretandas. Ego vt hanc interpretationem non repudio, ita expositionem B. Augustini atque etiam Thostati libenter amplector.

5. Quæstio, si tantum cæsa sunt primogenita, qui fieri potuit, vt in omni domo fuerit aliquis primo genitus? S. Augustinus. Lyranus. Hugo S. Victoris. Caietanus. Thostatus. R. Aben Esdra.

6. Sed cur Deus occidere voluit primogenitos Aegyptiorũ? Ponit hãc quęstionẽ numero 22. in Exodũ Theodoretus, & respondet, propterea id esse factũ, quia Aegyptij oppresserant populũ Hebræũ, quẽ Deus loquens cũ Mose, vocauit filiũ suũ primogenitũ, Exodi 4. vel cædes primogenitorũ respondet crudelitati Aegyptiorũ in Hebræos, quorũ filios masculos, recens natos, necabant in flumine. Sed illa mihi videtur præcipua causa, quod Deus prædixerat hanc vltimã plagã ita fore atrocẽ, vt ea cogerentur Aegyptij vel inuiti, dimittere Hebræos. Cædes porrò primogenitorum fuit Aegyptijs acerbissima, tã extẽsiuè, quã intensiuè: extensiuè, quod nulla domus Aegyptiorũ hanc plagã euaserit; quapropter magis tunc de hac plaga, quã postea de submersione Pharaonis, & exercitus eius in mari rubro doluerũt Aegyptij. Intensiuè autẽ, quod verisimile sit, inter illos primogenitos, fuisse cõplures etiã vnigenitos: & ipsa primogeniti mors, est amarissima parẽtib. Quocirca solet Scriptura, vt dolorẽ aliquẽ exaggeret, cõparare eũ dolori, q capit ex morte primogeniti vel vnigeniti, sicut legimus apud Zachariã, c. 12. *Plãgẽt eũ plãctu quasi su p vnigenitũ: et dolebũt super eũ, ut doleri solet in morte primogeniti.*

Cur voluerit Deus cædi primogenites Aegyptiorum.

7. Alter effectus huius plagæ fuit cædes primogenitorum animalium. Sed quorum animalium? omniũ prorsus: præter duo tantùm eorum genera: tum eorum quæ non erant in potestate ac possessione Aegyptiorum, vt sunt volucres per aera volãtes, & feræ in desertis

Quorum animaliũ primogenita occisa sint, et cur.

&ab-

& abditis locis versantes: tum eorum, quod non ordine quodam generant filios, sed vno partu plures edunt, nullo primogenitorum discrimine. Percussit autem Deus animantes rationis expertes, non sanè ob culpam aliquam, sed in pœnam dominorum atque possessorum; horum quippe magna opulentiæ pars in illis erat. Tertius effectus huius plagæ fuit percussio Deorum Aegypti. Sic enim dixit Dñs, vt scriptum est Exodi 12. versu 12. *Et in cunctis Dijs Aegypti faciam iudicia. Ego Dominus.* Qualia fuerũt hæc iudicia (inquit Caietanus) non est scriptũ: rationi tamẽ consentaneũ est, quod ceciderint, vel deleta seu comminuta fuerint in nocte illa, omnia simulachra Deorum in Aegypto. Septuaginta Interpretes pro illo, *Faciam iudicia* verterunt; *Faciam vltionem, vel vindictam*, sed quę fuit illa vltio? Lippomanus citat B. Hieronymũ, ex traditione Hebræorũ prodentẽ, fuisse tunc destructa templa Deorũ Aegypti, vel motu terræ, vel fulminibus. Putant quidam, idola Aegyptiorum fuisse deiecta in terram, & mutilata; ad eũ videlicet modum, quo legitur in 1. Regũ, cap. 5. Idolũ Philisthinorum, cui nomẽ Dagon, deiectũ esse in terrã diuinitùs, atque obtruncatũ, humi iacuisse apte arcam Dñi. Hebræi tradunt, idola Aegypti fuisse lapidea, tunc cõminuta in puluerẽ; lignea, esse putrefacta, vel in cinerem redacta; metallica demum, esse resoluta & liquefacta. Et quia, in eo tẽpore, super omnes Deos Aegypti, præcipuo cultu, & honore colebatur Serapis siue Apis bos, vt ostendimus in 4. tomo Cõmentariorum nostrorũ in Genesim, super caput 46. numero marginali 22. nõ temerè putabimus, cladem istam Deorũ Aegypti, præcipuè ad Apim bouẽ pertinuisse. Hæc porrò Deorũ Aegypti percussio & euersio, in magnam Aegyptiorum ignominiam, detrimentumque redundabat. Supradictus verò triplex effectus huius plagæ, media nocte euenit: vt improuisa videlicèt atq; inopinata, incautis securisque hominibus, horribilior & atrocior, acerbiorque contingeret. Id præterea factum est eo tempore, quo primogeniti erant congregati cum suis quisque parentibus domi suæ.

Qualis fuerit percussio Deorũ Aegypti Caietanus.

B. Hieronymus apud Lippomanum.

TERTIA DISPVTATIO.

Quomodo Hebræi euaserint hanc decimam plagam.

1. TERTIO loco declarãdum est, quemadmodũ Hebræi, cum permixtè habitarent vnà cum Aegyptijs in terra Gessen, plagam istam euaserint. Docet hoc Scriptura in cap. 12. Exodi, versu 22. his verbis: *Fasciculum Hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem: nullus vestrũ egrediatur ostiũ domus sua vsq; mane. Trãsibit enim Dominus percutiens Aegyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendit ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras lædere.* Superliminare, & liminare, sunt duo ligna transuersaliter posita in ostio, vnum subtus, & alterum suprà; in quibus sunt cardines portarũ, super quibus vertuntur portæ. Postes, sunt duo ligna, erecta à cardinibus inferioribus vsque ad superiores, quibus inhærent latera portarum. Hæc porrò iussit Deus præcipuè tingi sanguine agni paschalis, tum, quia patent magis aspectui transeuntium, quàm ipsum liminare: tũ etiam quia immobiliter manẽt, nec voluuntur, sicut valuæ, dum clauduntur, vel aperiũtur fores. Ille autem sanguis, dicitur fuisse in signum: sic enim habes capite duodecimo Exodi, versu 13. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti.* Sed cuius rei, & cui personæ sanguis ille futurum erat signum? Haud dubiè sanguis ille denotabat ædes Hebræorum, quos ab illa plaga seruare Deus constituerat. Erat autem signum vel Hebræis, vt tali signo notatas ædes suas, sperarent à percussore Angelo non iri percussum: Vel erat signũ Angelo exterminatori, qui mãdatum acceperat à Deo, ædes sanguine tinctas, prorsus intactas atq; illæsas prætereundi; in ædibus autem, quæ sanguinem illum nõ haberent, oĩa primo-

Quemadmodum Hebræi plagam decimam euaserint.

Sãguis quo tingebãtur ædes Hebræorum cuius rei signum fuerit.

genita interficiẽdi. Sed enim principaliter Deus voluit aspersionem illam sanguinis, signum esse futuræ aliquãdo liberationis humani generis ab æterna morte per effusionem sãguinis Messiæ. Per huius itaq; cæremonię obseruationem, implicitè profitebãtur Hebræi, ab æterna morte se liberatum iri per sãguinem Messiæ: omnia enim Euãgelicæ legis futura sacramenta, adumbrabantur & præfigurabãtur in legalibus cæremonijs & ritibus, nec tam per se proderãt illis cæremonialia quàm quod opertã & adumbratam continebant fidem & professionem Messiæ. Licet igitur sanguis agni immolati, nec p se, nec ex aliqua naturali proprietate, signũ esset liberationis Hebræorũ ab illa plaga; potuissetque pro signo poni vel lapis, vel laurus, vel aliud quodlibet: attamẽ ritè appositeque adhibitus est sanguis agni immolati, propter analogiam, & côuenientiã videlicèt. Quemadmodum propter eãdem causam, pro signo nunquã ampli⁹ futuri diluuij, De⁹ posuit in cęlo iridem, vt ipse dixit Noe Genes. 9. & apud Ezechiel. ca. 9. iussus est Angelus occidere omnes, pręter eos, in quorum frontibus signata erat litera Tau, habẽs vtique Crucis similitudinem.

9. *An omnes Hebræorũ ędes fuerint tincta sanguine.* Sciendum porrò est, non omnes domos Hebræorum fuisse tinctas illo sanguine: nam verisimile est fuisse quasdã domos, quarũ habitatores, propter paupertatem & paucitatem non erant sufficientes comedẽdo agno paschali: huiusmodi autem, ex Dei præcepto, cõferre se debebant ad aliam domum, vbi cum alijs comederẽt agnũ. Quapropter nec domus eorum tingebatur sãguine, nec ipsi nocte illa reuersi sunt ĩ domũ suã, alioqui percussi fuissent ab Angelo. Si qui autem tunc versabantur in domibus Aegyptiorum, licet sufficiẽtes essẽt comedẽdo agno; ea tamen nocte, relictis hospitibus suis Aegyptijs, demigrarũt in domos Hebræorum. Etenim nõ passi essent Aegyptij, agnos immolari in domibus suis, eorumq; sanguine tingi extrinsecus domos suas. Si enim non erãt passuri Aegyptij, vt supra dictum est, Hebræos ĩ terra sua sacrificare oues & boues; quãto minus id fieri pateren tur intra domos suas? Vt autẽ istiusmodi Hebræi ante eam noctem trãsirẽt ex domibus Aegyptiorum in domos Hebræorum, præmoniti sunt à Mose, & senioribus populi. Si qui verò Aegyptij erant tũc in domibus Hebræorum, ante eã noctẽ sunt emissi foras: alioquin alterutrum euenisset, vel enim nõ omnia Aegyptiorum primogenita fuissẽt interẽpta; vel Angelus intrasset domos aliquas sanguine tinctas, atq; inibi aliquos percussisset: vtrumque autem erat contra Dei voluntatem & mandatum. 10.

Quis fuerit sanguis qui erat in limine. Cæterùm super versu 22. cap. 12. vbi sũt hæc verba: *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine*. quæri dignũ est, quisnam fuerit ille sanguis qui erat in limine: neque enim agnus immolandus erat in limine domus, sed intra domum. S. August. in q. 46. in Exod. & ponit, & soluit hãc quæstionẽ, ita scribẽs: *S. August.* Quæritur, quem sanguinem dicat esse iuxta ostium: an sanguinẽ agni paschalis? quasi præceptũ fuerit (licet à Mose tacitum) vt agn⁹ iuxta ostium occideretur. An, quod est credibili⁹, ideo dixit, ex sanguine, qui est iuxta ostium, quod is qui sanguine linitur⁹ erat superliminare & postes, vas continens sanguinẽ positur⁹ erat iuxta ostium, vt ad manũ esset, cum vellet tingere. Hæc Augustinus. Hebræi, & plures nostratiũ hebraizãtiũ, p illo: *Qui est in limine*, verterũt, *Qui est in pelui, siue in catino*. Sed Latinam lectionem habẽt etiam septuaginta: & verò in eãdem ista recidunt sententiam. Neque enim cum dicitur sanguis fuisse ĩ limine, intelligere cõuenit, fuisse eum sparsum & fusum ĩ limine; sed fuisse in vase aliquo quod erat in limine. De hyssopo autẽ audiat Lector breue, sed pium Iansenij ądnotamẽtum *Hyssopus. Iansenius. Locus Psalmi 50.* super illis verbis Psalmi 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: Lauabis me, & super niuem dealbabor*. Hyssopi frequens & percelebris vsus fuit, præsertim autem in solẽnibus cæremonijs ad expiationem institutis; vt patet Leuitici decimoquarto, in expiatione leprosi, & Numerorum decimonono, in expiatione quę fiebat per aquas lustrationis. Hyssopi autem nõ fiebat aspersio, nisi per intinctionem eius in sanguine alicuius ani-

animalis occisi; aut in aqua, cui occisi animalis inessent cineres. Enimuerò, putandum est, cùm dixit Dauid; *Asperges me hyssopo*, &c. respexisse eū ad sanguinem illum & aquam, qua mens, per fidem aspersa, verè mundatur; sanguiné dico Christi, & aqnam sancti Spiritus, Christus namque in ligno crucis, charitatis vinculo ligatus, vera est hyssopus, ligno cedrino per filum coccineum colligata: Christus enim sua humilitate inflationem cordis nostri sanat; sicut hyssopus, humilis herba, prodest purgandis & sanandis præcordijs. Hæc hyssopus tincta in Cruce proprio sanguine, aspergit per fidem credentes in ipsum, iuxta id, quod de eo dixit Isaias, c. 53. *Ipse asperget gentes multas*. Petijt porrò Dauid, & aspergi se, & lauari, nempè cupiens se perfectè mundum fieri, in veteri enim lege bifariam purificabantur immundi, vel aspersione, vel ablutione. Hæc Iansenius.

QVARTA DISPVTATIO.

De Mystica significatione decimæ plagæ.

11. *Origenes.* MYSTOLOGIAM super hac decima plaga, Origenes tradit huiusmodi: In vltima plaga, primogenitorū infertur interitus. Primogenita Aegyptiorum, nō incōgruè principatus & potestates huius mundi, idest, Diabolus, & Angeli eius intelligūtur, quos in aduentu suo Christus destruxisse dicitur, idest, captiuos duxisse, & triumphasse in ligno crucis suæ. Possumus etiam primogenita Aegyptiorum accipere omnes Hæreticorum auctores, & inuentores falsarū, quæ in mundo sunt religionum, quas Christi veritas cū suis extinguit auctoribus. Sic Origenes. Eademque prorsus habet S. Augustinus in sermone de Tépore. At in libro de Conuenientia decē præceptorum legis, cum decem plagis Aegypti, comparans hanc decimā plagā cū decimo præcepto Decalogi, hūc in modum disputat: Decimū præceptū est: *Non concupisces rem proximi tui*. huic mandato contraria est plaga decima, mors primogenitorū. Omnes res quas habēt homines, hæredibus suis seruāt, & in hæredibus nihil est primogenitis carius. Qui volunt res alienas, tāquam iustè possidere, sine hærede se quærunt fieri à morientibus. Quid enim tam iustum videtur quàm sibi rem derelictam possidere? Dicit enim aliquis: Dimissū est mihi in testamento: secundum legē nihil videtur esse iustius ista voce: Tu laudas, quasi iustè possidentem: Deus damnat iniustè concupiscentem. Vide qualis es tu, qui optas te ab aliquo hæredem fieri: non ergo vis vt ille habeat hæredes, in quibus nihil est carius primogenitis. Proinde i primogenitis tuis puniris, qui concupiscendo res alienas, idest, quod tibi iure non defertur, quasi iuris vmbra perquiris. Perdis itaq; primogenita tua: ac facilè quidem est corporaliter perdere primogenitos; mortales enī sunt, siue ante parentes, siue post parentes moriantur. Illud valde metuē dum est, ne tu per occultā & iniustam concupiscentiam tuam, perdas primogenita cordis tui. Primogenita cordis nostri, fides est; nemo enim benè operatur, nisi fides præcesserit. Omnia opera tua bona, quasi filij tui sunt spirituales: sed inter istos filios tuos primogenita tibi est fides. Quisquis rem alienam occultè concupiscit, internam fidem perdit. Erit enim primum sine dubio simulator obsequens, nō charitate, sed fraude, tanquam amans eum, à quo se cupit fieri hæredem. Amare se simulat eum, quem mori desiderat. Et vt rerum eius se videat possessorem, optat vt propriū non relinquat hæredem. Hæc August.

S. Aug. in serm. 87.

Exodi 20.

Rupertus in libro secundo Commētariorum in Exodum, cap. 22. Super hyssopo, quem Deus iussit tingi sanguine agni, eoq; aspergi domos Hebræorum, ad hunc modum scribit: Hyssopus herba est humilis, nasciturq; in petrosis locis, & sanat tumorem pulmonis. Significat autē fidē, & humilitatem passionis Christi, per q̄ superbiæ tumor deprimitur, quo primus homo corruptus, contra suum Creatorem intumuit. Hoc spectans Psalmista, dicebat: *Asperges me hyssopo & mūdabor*. Igitur hyssopus tinctus 12. *Rupertus.*

agni sanguine, quo domus signetur, humilitas mētis est cum passionis Christi fide, in quo quisque credentiū baptizatur. Iussit porrò Deus Hebræos manere domi illa nocte vsque ad manè: Et hoc nobis etiam vigilantissimè obseruandū est, vt vsque manè, idest, vsque ad finē huius nostræ nocturnę vitæ, intra Catholicę Ecclesiæ claustra maneamus, & neque per hæreses, neque per schismata tumultuando, foras erupisse quispiam inueniatur. Nam quisquis foris fuerit inuentus, reputabitur Aegyptius, & cū Aegyptijs pariter pertranseuntis Dñi flagello percutietur, maledictus à Deo, & ablegatus in ignem æternum, paratū Diabolo & Angelis eius, quorum perpetuus infelicitatis, ac pœnæ socius & particeps futurus est. Ita Rupertus. Idē cap. 17. eiusdem libri, disputans cur cædes illa primogenitorum, nocte potius facta sit, q̄ die, in hunc modum scribit: Quid est, primogenita Aegypti, post immolationē agni esse interfecta, nisi qđ originale peccatū mundi, Deus per immolationem Christi filij sui in cruce destruxit atque deleuit? Verū hac eadem salua significatione, poterat media die, cunctis vigilantibus, nihilominus fieri cędes primogenitorū. Cur ergo potius, media nocte, dormientes placuit interfici? Videlicèt, vt historicum etiā exēplū dormitantibus proficeret, atque ad vigilandū eos percelleret: scientes, q̄ quisquis exemplo Aegyptiorum thesauriza bit sibi irā Dei, nihilominus exēplo illorum improuisam accipiet vindictā. Sic enim & vniuersale iudiciū, duris corde atque impœnitētibus, ex improuiso superueniet, tanquā laqueus, & quasi fur. Quocirca Dñs aduentum suum, quo pendendi sunt impij, mediæ nocti comparauit: *Media* inquit, *nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Sed & ipse media nocte surrexit, atque in exēplū discretionis piorum atque impiorum, pias mulieres Angelica visione & allocutione demulsit; impios autem & saruos custodes exterruit, & velut mortuos, magno terræmotu præeunte reddidit. Proinde, per os Psalmistæ, sancta Ecclesia dicit: *Media nocte surgebam ad cōfitēdū tibi.* Illud eñ tp̄s sacris vigilijs, & saluberrimæ confessioni deputatum est, vt videlicet, profunda nocte Dño confitentes, commoneamus nos, quatenus illa hora, quæ præuideri nō potest, non simus imparati: Ingens ergo clamor ille Aegyptiorum, salubriter interiori auditu fatigat nos, vt non dormiamus, sicut Aegyptij, sed vigilemus & sobrij simus: *Qui enim dormiunt* inquit Apostolus, *nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.* Sic Rupertus.

Lucæ 11. 1. Thess. 5. & alibi pas sim. Matth. 25. Infrà 28. Psal. 118.

13. *Auctoris mystelogia.* His addamus etiam nos pauca hæc. Tres nobis sunt acerrimi hostes, & grauissimi salutis nostræ aduersarij; Diabolus, Mundus, & Caro. Diaboli, duo fuere primogenita, Peccatum, & Mors: nam & primus omnium peccator fuit Angelus in cœlo; eiusque inuidia, Mors introiuit in orbem terrarum. Hæc Diaboli primogenita, vt interficeret Filius Dei, factus est homo, & per sanguinem ac mortem suam pretiosam, peccatum deleuit, quin etiam mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Mundi primogenita, sunt tria, quæ memorat Beatus Ioannes: concupiscentia Carnis, & concupiscentia Oculorum, & superbia Vitæ. Sed aduersus hæc, efficacissimus, ac saluberrimus est antidotus, Paupertas spiritus, Munditia carnis & cordis, & Humilitas mentis. Carnis nostræ primogenita, est Concupiscentia, fomes peccati, & seminarium malorum: huius & potentiam, & interitum, per Christi gratiam, graphicè descripsit Apostolus illis verbis: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Idem alio loco: *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerūt cum vitijs & concupiscentijs.*

Sapient. 2. 1. Ioan. 2. Roman. 7. Galat. 5.

Illa

Illa porrò cædes Aegyptiorum, quæ media nocte facta est, pulchrè describitur in libro Sapientiæ, capite 18. illis verbis: *Resonabat incōuenitus inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium: simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, & popularis homo similia regi passus est. Similiter ergo omnes vno nomine mortis, mortuos habebāt innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant: quoniam uno momento, qua erat praclarior natio illorum, exterminata est. De omnibus enim non credentes propter beneficia, tunc, cum primùm fuit exterminium primogenitorum, spopenderūt populum Dei se esse. Cum enim quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine, exiliens de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram prosiliuit; gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & usque ad cœlum attingebat stans in terra.*

DE INDVRATIONE Pharaonis.

Et in vniuersum, de induratione humani cordis.

DISPVTATIONES DECEM.

EXTREMA illa verba huius capitis vndecimi: *Moses, & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta, quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.* In hac historia, quam de Pharaone scripsit Moses, nouies legitur, quod Deus indurauerit cor Pharaonis. Semel cap. 4. versu 21. & iterum semel cap. 7. versu 3. & item semel cap. 9. versu 12. ter autem in capit. 10. primùm versu 1. secundùm versu 20. tertiùm versu 27. & semel sub finem cap. 11. & bis cap. 14. primùm versu 4. tum versu 8. Est autem perarduum ad intelligendum, & perdifficilè ad explicandum; quin etiam, nisi benè intelligatur, horrendum cogitatu, Deum induratorem dici, & esse cordis humani. Si enim Deus, nullius peccati auctor esse potest, est autem induratio cordis, grauissimum peccatum; quomodo eius auctor, effectorque, Deus verè appellari potest? Nos igitur, quo dilucidior sit huius obscurissimæ quæstionis tractatus, fiatque accommodatior ad intelligendum ea, quæ docere volumus, decem eum in disputationes, breues tamen atque succinctas, dispertiemur.

Nouies legitur in libro Exodi Deū indurasse cor Pharaonis.

PRIMA DISPVTATIO.

Quid sit Duritia cordis humani, & quales reddat homines.

COR durum B. Bernardus in primo libro de Consideratione ad Eugenium disertè admodum describit hūc in modum: Cor durum dictum est, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ei cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum, est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina; præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futurorum improuidum. Ipsum enim est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorum nulla est, nisi fortè ad vlciscendum, prospectio, atque præparatio. Et vt breui cuncta horribilis mali mala complectar, cor durū est, quod

15. *B. Bernardi pulchra descriptio cordis duri.*

quod nec Deũ timet, nec homines reueretur. Sic Bernardus. Possum⁹ nos, more scholastico, ad hũc modum definire & cæcitatem mentis & duritiam cordis. Etenim cæcitas mẽtis, praua q̃ dã est animi affectio, qua quis impeditus, veritatem Dei euidenter sibi demõstratam, & quasi coram, & velut ante oculos eius expositam, non cernit, neque intelligit. Duritia verò cordis, praua itẽ est animi affectio, qua quis in suo malo cõsilio & proposito obfirmatus, diuinis monitis, & præceptis, atq; correptionibus, quibus agere quidquã aut fugere suadetur vel iubetur, nullo modo cedit, nec acqescit; & quæ Deo placita sunt, ipsique vtilia, non admittit, sed omninò repudiat. Nõ dissimiliter Theodoretus quęst. 12. declarat q̃d sit obdurari cor. De istiusmodi autẽ hominibus dictũ est: *Filij hominum, vsquequo graui corde? vt quid diligitis uanitatẽ, & quæritis mendacium?*

Quid sit cæcitas mentis & duritia cordis.

Theodoret.

Psalm. 4.

16. Hinc satis apparet indurationẽ cordis, esse peccatum, idque grauissimum: quod pfectò diuina Scriptura multifariam & apertis verbis docet. Moses certè in libro Exodi & Deuteronomij, & B. Stephanus in oratione quã habuit ad Iudæos, quam Lucas retulit in Acta Apostolica, capite 7. tãquam ingens crimẽ exprobant Iudęis, duritiam cordis, appellãtes eos populum duræ ceruicis. *Dura ceruice*, inquit Stephanus, *& incircumcisi corde, vos semper Spiritui sancto restitistis.* Et in Psalm. 94. *Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra.* Et mox subditur: *Et dixi semper; Hi errant corde: ipsi uerò non cognouerunt uias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibũt in requiem meam.* Prouer. 28. *Qui mentis est dura, corruet in malum.* Ecclesiast. autẽ 3. *Cor durum male habebit in nouissimo.* Hieremias quoque ca. 30. *Propter multitudinem* inqt, *iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua, et pter dura peccata tua feci hæc tibi.* Et itẽ Paulus ad Ro. 2. *Secũdum duritiã tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram.* Idẽ ad Hebræos 3. *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo uestrũ cor malum, & ut non obduretur quis ex uobis fallacia peccati.* Ergò duritia cordis, magnum peccatum est; nec peccatum modò, sed etiam pœna peccati. Hæc enim docet B. Augustinus li. 5. contra Iulianum, ita scribens: Cęcitas mẽtis (idem verò de duritia cordis sentiẽdum est) quã solus remouet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pęna peccati est, qua cor superbũ digna animaduersione punitur, & causa peccati est, cũ mali aliquid cæci cordis errore committitur.

Duritiam cordis esse grauissimũ peccatum.

Duritia cordis & cæcitas mentis, sunt & peccatum, & pœna peccati, & causa peccati, ex B. Augustini sententia.

17. Iã verò qualiter animo affecti sint, qui cor in peccatis obduratum habẽt, licet ex diuina Scriptura discere, quæ mirifice istiusmodi hominum statum, horrendamque cõditionem, atque execrãdas proprietates, varijs quasi coloribus mirificè depingit. Principio, indurati corde, sũt quasi cæci, aut velut in tenebris palpãdo parietes ambulant, aut qui more ebriorum, titubantibus vestigijs ingredientes, passim labuntur: de quibus loquens Iob cap. 12. *Palpabunt*, inquit, *quasi in tenebris & non in luce, & errare faciet eos Deus quasi ebrios.* In istos videlicet bene cõuenit, quod dixit Dominus; *Cæci sunt, & duces cæcorum*, necnon & quod legitur Isaię 6. Nã pro eo quod Latina trãslatio hebraicæ lectioni respondens, habet; *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, et oculos eius claude.* Septuaginta Interpretes, obscuritatẽ & ambiguitatem huius sentẽtiæ declarantes, ita expresserunt sententiã Domini: *Incrassatum est cor populi hui⁹, & auribus grauiter audierũt, & oculos cõpresserunt, ne fortè uideãt oculis, et auribus audiãt, & corde intelligant, & conuertant se, & sanem illos.* Secũdò, indurati corde nolunt intelligere vt bene agant: claudũt aures salutaribus monitis, & scientiam rerum vtilium repudiãt, atque repellunt. Quorum malitiam descripsit Iob, c. 21. his verbis; *Qui dixerunt Deo: Recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus? Quis est Omnipotẽs ut seruiam⁹ ei? Et quid nobis prodest si orauerimus illum?* Cuius simile est, quod Mosi respõdit Pharao Exodi 5. *Quis est Domin⁹, ut audiam uocem eius? Nescio Dominum.* In istos dixit Iob, ca. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt uias eius, nec reuersi sunt per semitas eius.* Et ca. 34. *Qui quasi de industria recesserũt à Deo, & omnes uias*

Eorum qui obdurati sunt corde, duodecim horrẽda prietates.

Matth. 15.

eius intelligere noluerũt. Tertiò, huiusmo di homines Scriptura uocat dereliĉtos, & despeĉtos à Deo, & proieĉtos à facie eius. Vnde Dauid Psalm. 50. orat Dominum; *Ne proijcias me à facie tua*. Et Psal. 26. *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo*. Et alibi: *Ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus*. Quartò, de istis scriptum est Prouerb. 2. *Qui relinquunt iter rectũ, & ambulant per uias tenebrosas: qui latantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum via sunt peruersa, & infames gressus eorum*. Et cap. 12. *Quasi per risum stultus operatur scelus*. Quintò, uenerunt isti in profundum malorum, procedentes vsque ad contemptum hominum, & Dei, sicut scriptum est Prouer. 18. *Impius cũ in profundũ venerit peccatorũ cõtẽnit, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium*. Sextò, sunt inemendabiles; nam in istos diĉtum est Ecclesiastæ 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexit*. Et in libro Sapiẽtiæ cap. 12. *Nequam erat natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum*. Septimò, nihil pudet istos flagitiorũ suorum, licet turpissima sint, maximeque pudenda: ad quos pertinet illud Hieremiæ 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Frontem cordis, ait S. Gregorius, homil. 10. in Ezechielem, in impudentiam aperit culpa frequens, vt quò crebrius committitur, eo minus de illa, committentis animus uerecundetur. Oĉtauò, percussi & flagellati à Deo, non sentiunt, sicut dixit Hierem. cap. 5. *Domine percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*. Itaque benè quadrat in istos, quod in libro Prouer. cap. 23. scriptum est; *Eris sicut dormiens in medio mari; & quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices: Verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & ego non sensi*. Nonò, ob inueteratam, & multum, penitusque roboratam peccandi consuetudinem, fit istis hominibus quodammodo impossibile, bene agere, immò etiam non peccare; namque ipsum peccare, nimia assiduitate, factum est illis

S. Gregori⁹.

quodammodo naturale, atque idcirco deleĉtabile ac periucundum. De istis nempe verè dicitur quod est apud Hieremiam, cap. 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus uarietates suas, & uos poteritis benefacere, cum didiceritis malum*. Decimò, peccatum istorum dicitur indelebile, & vulnus insanabile. Audi Hieremiam, cap. 17. *Peccatum Iuda scriptum est style ferreo, in ungue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum*. Audi eundem cap. 30. *Hac dicit Dominus: insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: non est qui iudicet iudicium tuum ad alligandum: curationum utilitas nõ est tibi. Quid clamas super contritione tua insanabilis est dolor tuus*. Vndecimo, Paulus, huiusmodi homines ait habere cor impœnitens, & thesaurizare sibi iram Dei, & traditos in reprobum sensum. Vocat eos filios perditionis & diffidentiæ, & vasa iræ aptata in interitum, & qui desperantes (seu vt græcè est, indolentes) tradiderunt se in omnem operationem immunditiæ. Duodecimo, isti peccata indies peccatis cumulantes, semper in peius proficiunt. In hos quippe diĉta sunt verba illa, quæ sunt in Apocalypsi: *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc*. & quod scriptum reliquit B. Paulus 2. Timoth. 3. *Mali homines & seduĉtores, proficient in peius: errantes & in errorem mittentes*. Ecce tibi, quales sint homines obdurati cordis: & quàm sit non tam miserandus, quàm horrendus, execrandusque eorum status.

Ad Rom. 1. & 2.
Ephes 2.
Roman. 9.
Ad Ephe. 4
Apoc. c. 22.

SECVNDA DISPVTATIO.

An verè dici queat, Deum esse causam indurationis hominum.

18\. DEVM, propriè loquendo, non facere duritiam cordis, neque eam ponere in animis hominum, hac breui ratione tõcluditur. Duritia cordis, est grauissimum peccatum: Deus autem nullius peccati effeĉtor est: ergo nec indurationis humani animi effeĉtor esse potest.

Deũ propriè loquẽdo, nec indurationis, nec vllius peccatĩ causã esse.

poteſt.Primam huius argumentationis
propoſitionem,in proximè ſuperiori di
ſputatione abundè probauimus; Secun
dam uerò propoſitionem, quod Deus
nullius peccati ſit auctor, confirmare li
cet hoc modo. Vel Deus eſt auctor pec-
cati, tentando & incitando homines
ad peccandum: at hoc improbat, dete-
Iacobi 1. ſtaturque B.Iacobus: *Homo*, inquit, *cùm
tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur:
Deus enim intentator malorum eſt, ipſe
autem neminem tentat*, vel Deus eſt au-
ctor peccati: præcipiendo & mandan-
do ipſum fieri; atqui contraria extat di
uinæ Scripturæ ſententia in libro Eccle
ſiaſtici, cap.15. *Nemini mandauit Deus
impiè agere, & nemini dedit ſpatium pec-
candi.* Et cum Deus tam per legem natu
ralem, quàm per ſcriptam, pręceperit vi
tari peccata: ſi quempiam hominum iu
beret peccare, ſibijpſi contrarius eſſet,
& ſeipſum negaret, & ſenſu ac volunta
te mutaretur. Vel peccati auctor dicere
tur Deus, quia cooperatur homini ad
peccandum, & concurrit ad faciendum
peccatum, ea ratione, vt peccatum eſt:
quod tamen abnegat ſacra Scriptura,
dicens in libro Eccleſiaſt.cap.15. *Non di
cas, ille me implanauit* (id eſt, errare fe-
cit:) *non enim neceſſarij ſunt ei homines
impij, & omne ex ecramentum erroris edit
Dominus.* S. Auguſtinus in libro de Gra
tia & Libero arbitrio, cap.21. locū hūc
Eccleſiaſtici ita citat; *Ne dixeris; Ille me
induxit: non enim opus habet uiro peccatore.*
Deinde in libro Sapientiæ, cap.11. dici
tur Deus nihil odiſſe eorum quæ fecit:
& poſtea cap.14. ſcriptum eſt: *Odio ſunt
Deo impius & impietas eius*: Non igitur
Deus peccati, vt peccatum eſt, coopera-
tor, vel operator homini eſſe poteſt. Vel
demùm, poſſet dici Deus auctor pecca-
ti, ea ratione, quòd ipſi placitum & gra
tum eſſet: idque ſciens homo, adduce-
retur ad peccandum, vt gratificaretur
Deo. Sed contrà prorſus res habet, nam
in Pſal.5. ſcriptum eſt: *Non Deus nolens
iniquitatem tu es. Odiſti omnes qui operan-
tur iniquitatem.*

Atque hanc eſſe veriſſimam, maxi-
19. meque Catholicam ſententiam, & do-
Grauiſſima ctrinam, contrariam verò eſſe falſam,
B. Auguſti atque impiam, execrandamque, Beatus
Auguſtinus in eo libro, quo reſpondet *ni ſententia;*
ad articulos quoſdam falſo ſibi impoſi *quod Deus*
tos, multifariam docet & probat. Nam *nō ſit homi*
in reſponſione ad decimum articulum, *ni cauſa*
ita ſcribit: Deteſtanda & abominanda *peccandi.*
opinio eſt, quæ Deum cuiuſquam malæ
voluntatis, ac malæ actionis credit au-
ctorem, cuius prædeſtinatio, nunquam
extra bonitatem, nunquam extra iuſti-
tiam eſt. Mala enim homines cùm ad-
mittunt, ſuis concupiſcentijs & cupidi
tatibus ſeruiunt, quas ab illa prima vo-
luntariæ præuaricationis labe traxerūt.
Cùm autē declinant à malo, & faciunt *Pſalm.33.*
bonum, à Domino greſſus hominis di- *Pſalm.49.*
riguntur, vt viam eius velit. Non ergò
caſus ruentium, nec malignitatem ini-
quorum, neque cupiditates peccātium
prędeſtinatio Dei aut excitauit, aut ſua
ſit, aut impulit, ſed planè prædeſtinauit
iudicium ſuum, quo redditurus eſt vni
cuique prout geſſit ſiue bonū ſiue ma-
lum. Et in reſponſione ad articulū 13.
Nefas eſt, inquit, Deo adſcribere cauſas
peccatorum, & ruinarum hominum;
qui licet ex æterna ſcientia præcognitū
habuit, quid vnicuique pro meritis red
diturus ſit; nemini tamen, per hoc quod
falli non poteſt, aut neceſſitatem, aut
voluntatem intulit delinquendi. Si er-
gò à iuſtitia & pietate quis deficit, ſuo
in præceps fertur arbitrio, ſua concupi-
ſcentia trahitur, ſua perſuaſione decipi
tur. Nec in tali negocio, quidquam diui
næ voluntatis interuenit; cuius ope ſci
mus multos, ne laberentur, retentos:
nullos autem vt laberentur, impulſos.
In reſponſione denique ad decimum
quartum articulum; Fieri, inquit, non
poteſt, vt per quem à peccatis ſurgitur,
per eum in peccata decidatur. Si ergò
in ſanctitate viuitur, ſi in virtute profi-
citur, ſi in bonis ſtudijs permanetur,
manifeſtū eſt munus Dei, ſine quo nul-
lius boni operis fructus acquiritur. Si
autem ab his receditur, & ad peccata
tranſitur, nihil ibi Deus malæ tentatio-
nis immittit, & receſſurum ipſe nō de-
ſerit, antequam ille deſerat, & facit ple
rumque ne deſerat, aut etiam, ſi diſceſ-
ſerit, vt redeat. Cur autem illū retineat,
& illum non retineat, nec poſſibile eſt
comprehendere, nec licitum inueſtiga-
re.

re. Sed illud scire sufficit, & ab illo esse quod statur, & nõ esse ab illo quod rui tur. Hactenus ex Augustino.

20. *Plato.* Plato etiam in libro secundo de Republica, omninò pugnandum esse censet, ne Deus, qui bonus est, malorum di catur esse causa: alioqui secum esse pugnaturum Deum, vt qui contraria suis legibus fieri mandaret. Quocirca eos ci uitate iubet extrudi, qui nefaria illa ver ba de Deo dixerint, nobis vtique, inquit, perniciosa, Deo autẽ minimè con sona. Legendus itidem est eruditus sermo 25. Maximi Tyrij philosophi, in quo disputat, Deum non esse malorum causam. *Maxim' Tyrius. S. Basilius.* Beatus etiam Basilius super ea dem re orationem sanè quàm elegantem, doctamque composuit. Et verò, si peccatum à Deo efficeretur, non esset vtique peccatum, nec esset illicitũ: nein pe quod Deo faciente, aut iubente fit, malum esse non potest: immò esset ma lum, id non fieri: cuius rei hæc prompta, & aperta, atq; indubitata ratio est; Quòd perfectissima regula omnis bonitatis atque rectitudinis, est diuina vo luntas, vt rectè fieri necesse sit, quodcunque volente Deo, fit.

21. *Deum aliquo modo esse causã indurationis.* At enim, licet verissimum sit, quod docuimus, negari tamen non potest, Deum aliqua ratione causam verè dici indurationis hominum; siue per se, siue per accidens, siue positiuè, siue priua tiuè, siue directè, siue indirectè, siue efficienter, siue occasionaliter; Hoc autẽ breuiter ita probari potest. Principio Scriptura plurimis in locis affirmat, Deum indurasse cor Pharaonis; indura re autem, verbum est actiuum, significans actionem trãseuntem in aliud; est enim indurare, durum facere. Ergò si Deus indurat hominem, aliquid proculdubio facit ad indurationem eius pertinens, & vnde induratio eius sequa tur. Deinde, ad Romanos 1. dicitur Deus tradidisse aliquos in reprobũ sen sum, & in 2. Thessal. 2. mittere in aliquos operationem erroris, & Esaiæ 6. excæcare cor populi, & aggrauare aures eius, & Ezech. 14. decipere Prophetam errantem & mentientem, sed ista verba, tradere, mittere, excæcare, decipere, aliquam operationem significant; ergò Deus aliquo modo concurrit ad indurationem hominis. Adhæc, manifestum id faciunt verba illa Iudæorum, quæ sunt apud Isaiam, ca. 63. *Quare* inquiunt, *errare nos fecisti Domine de vijs tuis? indurasti cor nostrum ne timeremus te?* Et item verba illa B. Pauli, Roman. 9. *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Ex supradictis igitur palam est, Deum esse aliquo modo causam indurationis hominum; cùm non sit causa, nec per se, nec propriè efficiens, nec (vt vocant) positiua indurationis, declarandum est, quanam ratione Deus sit verè causa indurationis, vt verè dici queat indurare cor hominis, nec tamen ipse duritiam cordis efficiat.

TERTIA DISPVTATIO.

An Deum indurare cor hominis, intelligendum sit, manifestatiuè tantùm, vel permissiuè.

PVtarunt quidam, propterea dici Deum indurasse cor Pharaonis, quia multis, & manifestis signis declarauit alijs, atque alios scire fecit, quã fuisset durum & obfirmatum in malo cor Pharaonis. 22. Certè Augustinus strictim attigit hanc interpretationem in quæstio. 18. in Exodum; vbi cum duas ponat propositæ quæstionis solutiones, earum posterior, breuis sanè, atque aperta, est huiusmodi. Videndum est, inquit Augustinus, vtrum sic accipi possit illud; *Ego indurabo cor Pharaonis*, tanquam diceret; Ego, quàm durum sit cor Pharaonis, demonstrabo; ita vt obdurationem eius in malitia omnes euidentet agnoscant. *S. Augusti. Prima expositio, Indurare, id est, manifestare duritiam.* Pharaonem namque toties à Deo monitum, & tot ac tantis percussum plagis, & attritum calamitatibus, noluisse Dei voluntati, iussisque obtemperare; manifestò fuit omnibus indicio, eum in malitia atque impietate, maiorem in modum fuisse obduratum atque obstinatum. Sed huic expositioni

tioni duo videntur aduersari. Nimis enim durum videri potest, nec Scripturæ aliquo exemplo probabile, illud; *Indurabo cor Pharaonis*, interpretari, faciã scire, vel manifestabo duritiam cordis eius. Nec enim, (vt per se patet) simile est, quod in huius probarionem afferri posset ex c.22. Genes. *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, id est, (vt multi exponunt) cognoscere feci. Verùm, esto, nõ sit dura ista expositio, nec talis locutio sit aliena sacris literis; possit etiam non ineptè accommodari ijs, quæ de Pharaonis induratione tradita sunt in lib. Exodi. At certè, istiusmodi expositio alijs cõpluribus Scripturæ locis, vbi de induratione hominũ agitur, haudquaquam bene aptari potest. Et enim Deuter.c.2. scriptũ est, Deum indurasse cor regis Sehon, vt traderetur in manus Israelis. Et Iosue c.10. *Voluntas* inquit, *& sententia fuit Dei, ut Chananæi indurarentur, ut nullam mererentur clementiam, sed perirent.* Et apud Isaiam, c.63. sic est: *Indurasti cor nostrum Domine, ne timeremus te.* Et illud ad Roma. 9. *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*. In huiusmodi Scripturæ sententijs, alijsq; similibus perspicuum est, non habere locum illam expositionem, vt indurare cor, exponatur, manifestare quàm sit durum.

23. *Secunda expositio indurare, id est, permittere, indurari.* Altera porrò interpretatio, in titulo huius Disputationis significata, quòd Deus hominem indurare dicatur non effectiuè, sed tantùm permissiuè; id est, finere Deum indurari hominem, non præueniendo eum gratia sua, quæ induratione cordis prohibeat: Hęc, inquã in tentatio placuit, nec paucis, nec obscuris Theologis. *Damascenus.* Damascenus certè li.4. de Fide orthodoxa, c.20. docet, esse consuetudinẽ Scripturę, permissionẽ Dei vocare actionem, vt quod Deus permittit fieri, id dicatur ipse facere. Verba Damasceni ita sunt: Operæpretium est agnoscere, moris esse diuinæ Scripturæ permissionem Dei, actionem eius vocare: vnde Apostolus ait: *Conclusit Deus omnia in incredulitate*. Item; *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ut oculis non videant, & auribus non audiant*, & alia *Ad Ro. 11. Esa. 6.* similia: quę quidem omnia nõ vt Deo agente accipiẽda sunt, sed vt Deo permittente, ob liberã scilicet agẽdi facultatem, quia sine violentia bonũ esse debet. Permissionem igitur Dei, vt actionem & operationem eius dicere, consuetũ est sacræ Scripturę. Hæc Damascenus, secundum quem, Deum indurasse cor Pharaonis, nõ aliud significat, nisi Deum permisisse, vt Pharao in sua malitia atque impietate obduraretur. Idẽ tradit Glossa, Exodi 4. *Indurabo cor Pharaonis*, id est, indurari permittam. Idem traditur in libro, qui inscribitur de essẽtia Diuinitatis, & fert nomen Augustini, & in Tomo 4. Operũ eius continetur, est profectò eruditũ opus, eruditiq; scriptoris. In eo sunt hęc verba. Indurare dicitur Deus quorundã malorũ corda, sicut de Pharaone scriptũ est, non quod per potentiã suam dura faciat eorũ corda, hoc enim impium est de Deo sentire, sed quia exigẽtibus eorũ culpis duritiam cordis, quã ipsi sibi malè agẽdo nutriunt, non aufert; quasi eos induret, quia, iusto iudicio, indurari sinit. sic ibi. *Liber de essentia Diuinitatis adscriptus B. August.* Ad eandẽ sententiam interpretatus est B. Chrysostomus illud Pauli ad Ro. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*, ita scribens. *S. Chrysostomus.* Quod hic dicitur, *tradidit*, nihil est aliud, quã *permisit*. Quẽadmodũ enim si dux aliquis exercitus, ingrauescente bello, sese subduceret, quid aliud quęso faceret, nisi qđ milites hostibus traderet? non quod ipse illos in stragẽ impelleret, sed quod eos suo priuaret auxilio. Ad eundẽ sanè modũ, & Deus eos, qui oblatũ à se auxiliũ amplecti nolẽtes, priores resilierunt, reliquit. sic ille. Idẽ significare videtur Caietanus super caput 4. Exodi, scribẽs, quod Deus indurat hominẽ non positiuè, sed negatiuè, relinquendo eũ sibi ipsi. *Caietanus.* Nec solùm Scriptura dicere solet, Deum aliquid facere, pro eo, quod est permittere, sed etiã dicit Deũ præcipere aliquid pro eo, quod est permittere: quod vno exemplo Scripturæ ostendi potest. Libellum enim repudij, quem Iudæi dare iubebantur vxoribus, quas repudiabãt, Matthæus cap. 19. ait, fuisse illis permissum ob duritiam cordis eorum. Marcus autem cap. 10. ait, fuisse illis præcepto impositum. *Præcipere pro Permittere, dicit interdum Scriptura. Deute. 24.*

Verùm

Verùm hæc ſententia & interpretatio, vt eſt veriſſima, ita non videtur omnem difficultatem quæſtionis exhaurire. 24. Etenim, plus habere videtur Deus erga induratos, quàm nudam permiſſionem: alioquin nihil differret inter indurationem, & alia quæuis peccata: quodlibet enim peccatum, quod quiuis hominum facit, Deus fieri permittit. Celebris enim eſt atque exploratæ veritatis ſententia illa B. Auguſtini in Enchiridio capit. 96. *S. Auguſtinus.* Non fit quidquam, ait, niſi Omnipotens fieri velit; vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. Si igitur propterea Deus dicitur indurare hominem, quia tantùm permittit ipſum indurari: cur non ſimiliter Deus dicitur furari, quia permittit hominem furari? Aliquid igitur plus habet Deus in induratione, quàm in quibuslibet alijs peccatis. Beatus certè Auguſtinus libro 5. contra Iulianum, cap. 3. nec paucis, nec inualidis Scripturæ teſtimonijs, & rationibus argumentatur, Deum ad excæcationem mentis atque indurationem cordis concurrere, non modò ſecundum permiſſionem, vel ſecundum patientiam, ſed etiam ſecundum potentiam & actionem; non ſanè, per quam immediatè fiat duritia ipſa cordis, ſed per quam multa fiant, à quibus peccator vitio ſuo, concipiat duritiam cordis, eamque nutriat & roboret. Sed iſta B. Auguſtini ſententia quéadmodum ſit intelligenda, pluribus infrà docebimus.

QVARTA DISPVTATIO.

An dicatur Deus cauſa indurationis, non vt eſt peccatum, ſed prout eſt pœna peccati.

TERTIVS modus declarandi, qua ratione dicatur Deus indurationis hominum cauſa, eſt huiuſmodi. 25. *Tertia expoſitio, Deũ eſſe cauſam indurationis, non prout eſt peccatum, ſed ut eſt cauſa peccati.* Excæcatio mentis, & induratio cordis, non modò peccatum eſt, ſed etiam pœna peccati, & cauſa peccati. Hoc diſertè B. Auguſtinus probat in lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. cuius verba nos ſuprà memorauimus in prima Diſputatione, ad numerum marginalem 16. idque docet aperiſſimè S. Paulus ad Roman. 1. diſputans, propter crimen Idololatriæ ſcienter admiſſum, Deum tradidiſſe *S. Auguſtinus.* Gentes in fœdiſſima & probroſiſſima flagitia; tali pœna impietatem eorum condignè vindicans, ſic ſcribens: ***Quia mutauerunt veritatem Dei in mendaciũ, & ſeruierunt creaturæ potius, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula; propterea tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ.*** Et paulò poſt: ***Propterea ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt,*** &c. Idem Apoſtolus docet in ſecunda epiſtola ad Theſſalonicenſ. cap. 2. ***Quia*** inquit, ***charitatem veritatis non receperunt, ut ſalui fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mẽdacio: ut iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*** Ergo quia induratio cordis, & peccatum eſt, & præcedentium peccatorum pœna; Deus dicitur eſſe cauſa indurationis, non prout eſt peccatum, cùm enim ſit infinitè bonus, non poteſt eſſe cauſa peccati: ſed prout induratio eſt pœna peccati, quæ à Deo, iuſtiſſimo peccatorum vindice, iuſtè infligitur peccatori. Quod igitur eſt in induratione culpæ, id totum ab homine eſt, & non à Deo: quod autem eſt pœnæ, id referri ad Deum, eius auctorem oportet.

Hæc interpretatio & opinio videtur placuiſſe Iſidoro. *Iſidorus.* Is enim lib. 2. de ſummo bono, cap. 19. ita ſcribit: Pœna peccati, peccatum admittitur, quando pro merito cuiuſque peccati, Deo deſerente, in aliud peccatum deterius itur, de quo amplius, qui admiſerit, ſordidetur. Præcedentia itaque peccata, ſequentium criminum ſunt cauſa, vt illa quæ ſequuntur, ſint præcedentium pœna. Præcedentium verò peccatorum pœna, ipſa vocatur Induratio, veniens de diuina iuſtitia. Hinc eſt, quod ait Propheta: ***Indurasti cor noſtrum, ne timeremus te.*** *Iſaia 63.* Neque enim qui iuſti ſunt, à Deo impelluntur, vt mali fiant: ſed dum mali iam ſunt, indurantur, vt deteriores exiſtant, ſicut

ficut dixit Apoftolus: *Quoniam veritatem Dei non receperunt vt salui fierent, mi-* 2 ad Theſ-ſalenicenſes 2. *ſit illis Deus ſpiritum erroris*. Facit ergo Deus quoſdam peccatores: ſed in quibus talia iam peccata præceſſerunt, vt iuſto iudicio eius, mereantur in deterius ire. Hæc Iſidorus. Cenſet itaque Iſidorus, indurationem, vt eſt antecedentium peccatorum pœna, venire à diuina iuſtitia.

26. *Canus.* Melchior Canus, magno vir ingenio, limatoque iudicio, in libro 2. de locis Theologicis, cap. 4. in reſponſione ad ſeptimum argumentũ, hanc ipſam opinionem atque interpretationem aſſignat Caietano, citans duas eius ſententias ex Commentarijs eius in librum 2. *Caietanus.* Regum, huic ſuffragantes opinioni. Ac primò quidem Caietanus exponens illa verba, quæ ſunt in capite 12. eius libri: *Ecce ego ſuſcito ſuper te malum de domo tua*, ita ſcribit: Verificatum eſt hoc, cum Abſalom fecit ſe regem. Et eſt ſermo non de malo culpæ, ſed de malo pęnæ: Deus enim non eſt auctor peccati, vt ſic, ſed quatenus eſt pœna ipſius peccantis, vel alterius. Idem ſuper caput 16. eiuſdem libri, exponens illa verba: *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauidi.* Agnoſcit, inquit Caietanus, & fatetur Dauid, maledictionem illam Semei, quatenus pœnalem ſibi, procedere à Deo, propter peccata ſua: & ideo dixit, Deum præcepiſſe Semei, vt malediceret ſibi. Præceperat quidem Deus non verbo, ſed facto, efficiendo per Semei maledictionem illam, non quatenus erat peccatum, ſed quatenus erat pœna ipſius Dauidis. Quemadmodum ſuperius per os Nathan Prophetæ dixerat Deus Dauidi: *Suſcitabo ſuper te malum de domo tua*. non quatenus erat malum culpæ, ſed pœnæ. Hactenus ex Caietano. Neque verò hæc ipſa opinio diſplicuiſſe vi- *Ianſenius.* detur Ianſenio; vt qui, ſuper caput 15. Eccleſiaſtici hæc verba reliquit ſcripta: Excæcatio, & induratio, & alia ſimilia, in Scripturis non tribuuntur Deo, niſi tanquam per illa vindicanti & punienti peccata præcedentia, vt illa Deo non tribuantur quatenus peccata ſunt, ſed quatenus ſunt pœna peccati. Sic ille.

Sed hanc expoſitionẽ trifariam poſſet quiſpiam refellere. Primùm enim, ſi propterea Deus dicitur cauſa indurationis, quæ eſt pœna peccati; ergo ſimiliter diceretur cauſa eſt omnium pecca- 27. *Trifaria eſt ſuſatio ſuperioris ſententia.* torum præter primum: poſteriora enim peccata, præſertim grauiora & fœdiora, pęnæ ſunt antecedentium peccatorum. At enim diuina Scriptura non ſolet Deum appellare cauſam quorumlibet peccatorum, ſed præcipuè inſignium quorundam & horribilium, cuiuſmodi eſt excæcatio mentis, & induratio cordis, atque horum ſimilia. Non igitur propterea Deus vocatur in Scriptura cauſa indurationis, quòd induratio ſit pœna peccati. Deinde, quòd induratio eſt grauiſſimum & horrendum peccatum, eo ipſo maxima eſt pęna peccatorum præcedentium; quippe quę talia & tanta fuerunt, vt meruerint hominem deſeri à Deo, vt in execrandum indurationis peccatum præcipitaretur: non enim induratio eſt pęna corporalis, ſed ſpiritualis. Si igitur Deus eſſet cauſa indurationis, vt eſt pęna peccati, ſimul etiam cauſa eius eſſet, prout illa eſt peccatum. Ergo vel iſti auctores putant Deum iſtius peccati eſſe cauſam effectiuè ac poſitiuè; at oſtenſum eſt, ſic eum fore cauſam peccati vt peccatum eſt: vel tantùm eſſe cauſam volunt permiſſiuè aut priuatiuè; ſed id etiam dici poteſt de induratione, vt eſt peccatum, non ſolũ vt pęna peccati: Ad hæc, pęna, ſi propriè loquamur, eſt volũtaria & volita inferenti pęnã: cõtra verò, eſt inuolũtaria & acerba patiẽti pęnã: Cùm igitur induratio, vt eſt pęna peccati, ſit peccatum, ſi propriè auctor eius eſſet Deus, peccatum eſſet ei volitum, quod eſt impium dicere. Et item, ſi induratio eſſet propriè pęna, eſſet vtique inuoluntaria, & exoſa peccatori: at induratio Pharaonis erat ei voluntaria, non autem acerba.

Nec ego putauerim Iſidorum ſenſiſſe, quod ſuprà ei adſcriptũ eſt. Si enim 28. *Exponũtur ſupradicti auctores.* obſeruatè penſitentur eius verba, reperietur Iſidorus facere Deum cauſam indurationis non poſitiuam, ſed priuatiuam, nec tanquam efficientem, ſed vt deſerentẽ. Hoc enim indicant illa eius verba: *Tunc peccatum eſt pœna peccati, quando pro merito præcedentis peccati, Deo de-*

deferente, in aliud peccatum deterius itur, de quo amplius, qui admiserit, sordidetur. Ac ne ipsum quidem Caietanum, tanto virum ingenio, tantaque Theologicæ doctrinæ scientia, in animum meum inducere possum, vt credam fuisse in ea sententia, quam ei Canus affingit. Sciat itaque Lector, esse quasdam operationes, ab homine agente transeuntes in alium hominem patientem, quæ respectu agentis, & vt sunt eius actiones, sunt peccata; respectu autem patientis, & vt sunt passiones eius, habent tantummodò malum pœnæ corporalis, & possunt esse moraliter bonæ. Exempli causa, calamitas, qua Diabolus percussit beatum Iob, tà in eius corpore, quàm in bonis externis, & in liberis, vt fuit actio Diaboli, proculdubio peccatum fuit, neque ita fuit à Deo, sed vt fuit passio beati Iob, & pœna corporalis eius, & bona fuit moraliter, maximeq; meritoria, et à Deo intenta & volita. Ergo in huiusmodi operationibus, quæ respectu diuersorum habent & malum culpæ, & malum pœnæ corporalis, locum habet distinctio illa Caietani, quod Deus non sit auctor illarum ratione culpæ, sed ratione pœnæ. Talis quippe fuit Absalonis rebellio aduersus Dauidē, & Semei maledictio aduersus eūdem, de quibus loquitur Caietanus in locis

2. Reg. 11. suprà citatis. Nam rebellio Absalonis, vt erat actio eius, sine dubio peccatum fuit, nec fuit à Deo; sed vt erat passio & pœna Dauidis, intenta & volita fuit à Deo, qui voluit iustè talia pati Dauidem, propter adulterium Bethsabeæ & cædem Vriæ. Idem quoque dicendum est de maledictione Semei. At verò in excæcatione mentis, & induratione cordis, quæ etiam vt dicuntur pœnæ, grauissima sunt peccata, locum non habet illa distinctio Caietani, nec ipse loquitur de istiusmodi rebus. De Iansenio autem, qui putabatur secutus supradictam expositionem, idem equidem dixerim atque supradictum est de Isidoro.

QVINTA DISPVTATIO.

An propterea dicatur Deus indurare hominem, quòd is patientia Dei dissimulantis peccata, & diu punire differentis, fiat indies peior.

29. QVartam viam, & rationē interpretandi, quemadmodum dicatur Deus indurare hominem, multi veterum & apprimè nobilium scriptorum instituerunt, ea verò ita se habet. Deus indurare dicitur cor hominis, quòd nimia patientia & lōganimitate sua, quasi dissimulans peccata eius, nec eum puniēs vt meretur, diuq; expectans ad pœnitētiam, facit quodammodo vt inde peccator peior euadat, & vehementius obduretur in malo. Huius indurationis causa dicitur Deus, non quidem propriè, sed figuratè, sicut pater nimium indulgens filio, nec scelera eius vindicās, vnde is deterior euadit, dicitur ipse filium perdidisse, sic enim vulgo diceretur ei: Tu furem, tu sicarium, tu scortatorem fecisti filium tuum, simile quiddam dicitur in Deum respectu peccatoris indurati. Et hanc quidem expositionem accepere Patres à B. Paulo in cap. 2. epistolæ ad Romanos ita scribente: *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contēnis? Ignoras quoniā benignitas Dei, ad pœnitentiā te adducit? secundū autem duritiam tuā, et impœnitens, cor thesaurizas tibi irā in die iræ, & iusti iudicij Dei?* His verbis apertè docet Paulus, ꝑpter nimiā Dei longanimitatē, multos fieri corde duros & impœnitentes, & cōfidentiores ad peccandū. Hoc ipsum docuit Salomon Ecclesiastæ 8. *Quia* inquit, *non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala. Attamē peccator ex eo quod cēties facit malū, & per patiētiā sustētatur: ego cognoui quod, erit bonum timentibus Deum qui uerentur faciem eius.* quasi diceret, Licet reprobi, Dei patiētia & lon-

Quarta expositio, quod longanimitas Dei peccatorem diu tolerātis, est occasio, unde is induretur in peccatis.

S. Paulus.

Locus Ecclesiastæ, ca. 8.

ganimitate improbè abutantur ad perseuerandum,& proficiendum in malo; electi tamen,incredibilem inde sibi per
Iob 24. cipiũt vtilitatem. Iob quoque, id, quod suprà diximus, verbis illis indicauit: *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ,& ille abutitur eo in superbiam.*

30. *Origenes.* Hanc porrò viam exponendi,qua ratione Deus indurare dicatur cor hominis,secuti sunt Origenes, S. Basilius,S. Hieronymus,Theodoretus,B. Augustinus,& quidam alij. Origenes lib. 3. Periarchon,in percelebri capite & disputatione illa de libertate arbitrij, redarguit quosdam,eo argumentantes,homi nem non voluntate sua peccare,sed necessitate quadam à Deo impelli ad peccandum,quòd Scriptura sæpius dicat; Deũ indurasse cor Pharaonis. At enim (ait Origenes)Scriptura perspicuè ostẽ dit,Pharaonẽ voluntate sua esse indura tũ:& quia ita ipse voluit,& meruit, tot tantisq; plagis pcussum esse à Deo. Sic enim ei dixit Deus: *Quoniam tu nõ vis dimittere populum meũ, Ecce ego percutiam omnia primogenita Aegypti.* In quibus verbis prudenter Origenes põderat illud:
S. Basilius. *Quoniam tu non vis.* Vnde cõcludit Origenes,non aliter Deum indurare corda hominum nisi patiẽter eos tolerando, nec statim peccata eorum puniendo: vt hæc locutio: *Deus indurat cor hominis.* nõ sit propria,sed figurata: talis nimirum, quali vteretũ dominus aliquis, qui quò indulgentior & benignior fuisset erga seruũ suum, hoc ille insolentior atque improbior factus esset;diceret enim ei; Serue nequam,ego te talem feci, ego te perdidi: nimia mea patientia & indulgentia,tuę insolentiæ causa fui. Sic Origenes. Similia sunt,quæ super eadem re disputat S.Basilius in illa nobili oratione,qua probat, Deum non esse malorũ auctorẽ. Obstinauit Pharaonem Deus (ait S.Basilius)vt cùm per longam eius patientiam, & supplicij procrastinationem,illius flagitia augescerent, ac tandem ad vltimum terminũ excreuissent, illustrius fieret diuinum, quo periturus esset iudicium. Itaque cùm à minoribus progressus flagellis Deus,maioribus deinceps atque maioribus plectere eum pergeret,neque molliret tamen obstinatum:comperit,patientiæ ac lenitatis suę illum esse contemptorem, ipsoque vsu aduersus plagas occalluisse. Et tamen ne sic quidem illum morte multauit, donec se ipse submergeret: cùm ausus esset præ superbia,eadem, qua iusti, via insistere,ratus,vt Dei populo, sic etiam sibi peruium fore mare rubrum. Hæc ferè Basilius.

Ad eundem quoque modum B. Hieronymus interpretatur,indurari cor ho minis à Deo:in Epistola enim 150. quã scripsit ad Hedibiam, in responsione ad quæst. 10. sic ait: Si patientia Dei indurauit Pharaonem,& multo tempore pę nas distulit Israelis, vt iustius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat:non Dei accusanda est patientia,sed eorum duritia, qui bonitate Dei in suã perditionẽ abusi sunt. Alioqui vnus est solis calor, & secundum naturas subiacentes,alia liquefacit, & alia indurat; aliaque soluit,& alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum, nec tamen caloris diuersa est natura. Sic bonitas & clementia Dei,vasa iræ,quæ aptata sunt in interitum,indurat:vasa autẽm misericordiæ, præparata in gloriã, saluat. Hæc fermè S.Hieronymus. Quorum adeo similia tradit Theodoretus, vt ea videatur ex Hieronymo mutuatus:Sic enim scribit in quæst. 12. in Exodum: Deo perfacile erat, post primam contumaciam,Pharaonem exitio tradere:sed vtens Deus inenarrabili longanimitate, moderatas illi castigationes inflixit,hæ verò, renitens cor eius reddiderunt, atq; obdurarunt. Existimans enim Pharao,Deum non posse grauioribus se affligere supplicijs, mediocria flagella contempsit. Et paulò infrà subdit: Aduertendum est,quod sol vi caloris sui ceram quidem liquefacit, lutum verò exiccat: & illam quidem emollit, hoc autem indurat. Quemadmodum ergo sol,vna & eadem virtute, contraria operatur: Sic ex longanimitate Dei nonnulli capiunt vtilitatem, alij verò damnum: & illi emolliuntur, isti verò indurantur. Quod etiam Dominus declarauit in Euangelio,dicens: *In iudiciũ ego veni in hunc mundum;ut qui non uidẽt, videant: & qui vident, cæci fiant.* Cuius est

Marginal notes (right column): 31. *S. Hieronymus.* — *Ad Rom. 9* — *Theodoret.* — *Ioan. 9.*

est simile, quod sanctus dixit Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam; & in resurrectionem multorum in Israel.* Ita Theodoretus.

Lucæ 2. 32.

B. Augustinus. Hãc ipsam expositionem secutus est B. Augustinus in quæst. 36. in Exod. ita scribens: Dixit Dominus Mosi: *Ego indurani cor Pharaonis & seruorum eius, vt ordine superueniant signa mea hac super eos.* *Exodi 10.* tanquam opus habeat Deus cuiusquam malitia: sed sic intelligendum est, ac si diceret: Ego patiens fui super eum & seruos eius. Quia patientia Dei obstinatior fiebat malus eius animus, ideo pro eo quod est, (patiens fui cũ eo) dicitur (grauaui cor eius) sic ibi Augustinus. Sed idem luculentissimam super hac re disputationem fecit in sermone 88. de tempore: quam ego ratus lectori gratissimam fore, huc ex eo loco totidem fermè verbis transposui. Ita verò se habet disputatio Augustini. Quoties audim' fratres charissimi, legi, cor Pharaonis induratum esse à Deo, non solùm laicis, sed etiam clericis solet scrupulus generari. Dicunt enim aliqui inter se: Cur iniquitas illa imputatur Pharaoni, cùm Dominus cor eius indurasse referatur? De hac quoque re immundissimi Manichæi sacrilego furore Scripturam veteris Testamenti reprehendere solent. Rogo itaque vos, fratres charissimi, vt diligenter attendatis: nam breuiter volumus ostendere, qualiter obdurationem illam debeatis accipere. Ac primò quidem firmiter credendum est, quod nunquam Deus hominem deserit, nisi prius ab eo deseratur: quin etiam diu expectat peccatorem, vt conuertatur, & viuat. Cùm verò in peccatis suis permanet, ex multitudine peccatorum nascitur desperatio; ex desperatione autem obduratio generatur. Primùm enim, homines despiciunt peccata sua, quæ parua videntur: crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt & demergunt. Quod vbi *Prouer. 18.* factum est, impletur quod scriptũ est: *Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit.* Obduratio itaque, non Dei potentia compellente efficitur, sed Dei remissione, vel indulgentia generatur: & ita Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia, credẽda est obdurasse. Quoties igitur Dominus dixit: *Ego indurabo cor Pharaonis*, nõ aliud intelligi voluit, nisi ego suspendam plagas meas, & flagella, vnde eum per indulgentiam meam obdurari permittã. Sed fortè aliquis dicat: Cur Deus parcendo illi, fecit eum indurari: & cur ab eo flagella sua remouit? His ego securus respondeo, propterea id esse factũ, quia Pharao pro ingenti cumulo peccatorum suorum, non tanquam filius ad emendationem meruit corripi; sed tanquam hostis, permissus est indurari. De illis autem, quos indurari misericordia Dei non permittit, scriptum est; *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Et alio loco: *Ego quos amo, corrige, & castigo.* Et alibi; *Quem diligit, Dominus corripit.* Nemo ergò cũ Paganis, aut Manichæis, Dei iustitiam reprehendere, aut culpare præsumat; sed certissimè credat, quod Pharaonem non Dei violentia, sed propria impietas, & indomabilis contra præcepta Dei superbia, toties fecerit obdurari. Quid est autem, quod dixit; *Ego indurabo cor eius?* nisi, cùm abfuerit ei gratia mea, obduret illum nequitia sua? Et vt hoc euidentius possit agnosci, aliquam similitudinem de rebus visibilibus charitati vestræ proponemus. Aqua nimio frigore constringitur; sed calore solis superueniente resoluitur, & discedente eodem sole, iterum obduratur; Similiter peccatorum frigore refrigescit charitas hominum, & velut glacies obduratur; cumque iterum eis calor diuinæ misericordiæ superuenerit, resoluuntur; ille, inquam calor, de quo scriptum est: *Non est qui se abscondat à calore eius.* Cur autem Deus noster non ita misericorditer flagellat, vt nullum contra se obdurari permittat? Aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur, adscribendum est; aut ad inscrutabilia Dei iudicia referendũ, quæ plerumque sunt occulta, nunquam tamen iniusta. Nobis sufficiat piè & humiliter credere illud quod dixit Apostolus: *Numquid iniquitas est apud Deum? absit.* Et quod proditum est in Cantico Mosis: *Deus fidelis & absq; vlla iniquitate.* Hoc igitur de Pharaone sine dubitatione credamus, quòd

Loci Prouerb. 3. Heb. 12. Apocal. 3. Prouerb. 3.

Psalm. 18.

Rom. 9. Deuter. 32.

eum non tam Dei potentia, quam Dei patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere consueuimus, quos nimis delicatè, aut satis remissè nutrimus, vel quibus frequenter peccantibus indulgemus. Cùm enim ipsa indulgentia & remissio ne peiores redduntur, solemus exprobantes illis dicere: Ego te talem feci, ego tibi parcendo, proteruiam tuam, & negligentiam nutriui. Hoc autem non dicimus, quòd illi nostra voluntate in tantam fuerint superbiam deuoluti: sed quòd abusi bonitate & indulgentia nostra, fuerint obdurati. Idem profectò factum est in Pharaone: quia dum ab illo pro ineffabili bonitate sua Deus plagas suspendit, ille obdurato corde, contra Deum se superbus erexit. Atque hæc est diserta, & docta B. Augustini disputatio, paucis verbis comprehensa, super ea quæstione, in cuius nunc tractatu versamur.

33. *Cur Deus longanimis sit erga peccatores, longanimitate ipsius abusuros.* Cæterùm, quærat fortasse quispiam, cur Deus tanta vtatur patientia, & benignitate erga peccatores, quos ea scit ad grauius & perseuerantius peccandum abusuros. Sed id profectò sapienter, vt omnia, atque vtiliter facit Deus. Primò quidem, vt ita notescat magis bonitas Dei, & misericordia, vt dixit quidā Prophetarum, *præstabilis super malitia nostra*: *Ioelis 2.* contra verò indidem manifestum fiat, quanta sit hominum malitia, tanta Dei bonitate in suam ipsorum perniciē exitiumque abutentium. Deinde, vt tanto iustior appareat istiusmodi hominū vindicta, cùm eos Deus puniet. *Valerius Maximus lib. 1.* Lento enim gradu, (vt dixit ille) diuina procedit ira, tarditatemque supplicij, pœnæ grauitate compensat. Adhæc, diuturna improborum hominum aduersus Deū peruicacia, occasionem præbet edendi multa prodigia, vt circa Pharaonem accidit, quibus Dei omnipotentia, mirandum in modum apud multos inclarescit atque illustratur. His accedit, quod ea re Deus exemplum hominibus dat, vt similiter ipsi faciant, patienter & longanimiter tolerando inimicos suos, & qui suis contra eos beneficijs abutūtur. Adijce, quod talis Dei patientia & bonitas, etsi quibusdam non prodest, alijs tamen prodest plurimum; qui licet indurati essent, per Dei tamen misericordiam molliti sunt, & ad lucem veritatis & gratiæ reducti sunt. Non profuit Pharaoni tanta Dei patientia: sed profuit multis Aegyptiorum, qui ad verū Dei cultum ea re perducti sunt, & abeuntes ex Aegypto, Hebræos secuti sunt. Non profuit Pharaoni, profuit tamen vehementer regi Nabuchodonosor: qui (vt disputat August. in lib. de Prædestin. & Gratia, c. 15.) post innumeras impietates flagellatus, pœnitentiam meruit fructuosam: contra verò flagellis ipsis durior factus est Pharao, & perijt. *Cōparatio Pharaonis cum Nabuchodonosor. S. August.* Ambo erant homines; ambo reges; ambo impij; ambo populum Dei captiuum tenebant; ambo flagellis clementer à Deo sunt admoniti. Quid ergò eorum fines, exitusque fecit tam diuersos? Nempè, quod vnus eorum manum Dei sentiēs, recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, & resipuit: Alter, libero contra Dei bonitatem pugnās arbitrio, in suis permansit peccatis, & perijt. Postremò, tanta Dei patientia & longanimitas, licet reprobis non prosit, prodest tamen Prædestinatis & Electis: qui tantæ bonitatis Dei contemplatione, admiratione que, ad veri Dei agnitionem & cultum timoremque maiorem in modum incitantur & adducuntur. Audi super hac re egregiam B. Pauli sententiam: *Fidelis*, *1. Timot. 2* inquit, *sermo, & omni acceptione dignus: quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorum primus ego sum: sed Dei misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam.* Et hæc quidē disputata sint super quarta via & ratione, quemadmodum Deus dicatur indurare cor hominis, per nimiam videlicèt patientiam & lōganimitatem suam. Quam ego interpretationem, vt verissimam & sanctissimam esse non inficior: sic existimo plus aliquid ex parte Dei, quàm solam longanimitatem, concurrere ad effectum indurationis hominum: id verò, quid, & quale, quantumve sit, infrà, suo loco exponetur. *Auctoris iudicium de supradicta quarta expositione.*

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

An eo dicatur Deus indurare hominem, quòd non dat ei gratiam, sine qua ille molliri, & inflecti ad bonum non potest?

34. *Quinta Expositio: Indurat De⁹ peccatorē, quia non dat ei gratiā qua mollitur.*

HAcc est quinta Expositio, secundum quam, Deus indurare cor hominis dicitur, quia, sic exigentibus eius peccatis, deserit eū, & spoliat gratia sua auxilijsque multis, quibus ille priuatus non potest resipiscere, nec molliri, nec inflecti ad bonum: sed magis magisque obfirmatur, & obfirmatur in malo. Quemadmodum gubernator nauis, deserens eam, si exorta tempestate submergatur, dicitur causa submersionis *Aristoteles.* eius: vt docet Aristoteles in 2. Physicorum, textu 30. Et qui demolitur columnam, super quam ingens quoddam saxum tenebatur ne caderet, dicitur fuisse casus illius saxi causa. Et item dicitur hominem occidere, non solum qui gladio eum interimit, sed etiam qui ei aufert vel non dat alimenta, sine quibus viuere non potest. Similiter etiam quia Deus peccatori non dat gratiam, sine qua ille non potest habere cor molle ac flexibile ad bonum, nec rectā viā ingredi salutis, idcirco dicitur Deus in Scriptura indurare illum, & ducere in errorem. Hoc porrò facit Deus in pœnam plurimorum grauissimorū criminum antecedentium, quibus peccator, plus satis meruit diuinis auxilijs spoliari ac priuari: ob idque huiusmodi peccatores in Scriptura dicūtur despecti, derelicti, repulsi, & proiecti à Deo.

35. Hanc expositionē multi, idéque doctissimi ac sanctissimi Patres vehementer approbarunt, Chrysostomus, Augu- *Chrysostom.* stinus, Gregorius, Isidorus & S. Thomas: quorū vestigijs Lyran⁹ & Thostatus alijq; insistērūt. Chrysostomus homil. 67. in Euāgeliū Ioannis ita scribit: Dicitur Deus in Scriptura quosdā indurasse, & alios tradidisse in reprobū sensum, non quod hæc à Deo fiāt, quippe cū à propria hominum malitia proueniant: sed quia, Deo iustè homines deserente, hæc illis cōtingant. Cū enim deserimur à Deo, tradimur diabolo: in cuius potestatē redacti, innumeris malis afficimur. Quod autē Deus non derelinquat nos, nisi fuerit à nobis derelictus, apertè ostendit Isaias, c. 59. dicēs: *Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deū vestrum.* Et in Psal. 72. scriptū est: *Qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicātur abs te.* Et de Ierusalē dixit Dominus in Euangelio: *Quoties uolui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Et in Apoc. *Ego sto ad ostium, & pulso,* *Apocal. 3.* *si quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.* Et Paulus; *Deus* *1. Timot. 2.* *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis venire.* Et apud Ezechie- *Ezechi. 18.* lē: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis cō-* *& 33.* *uertatur, & uiuat.* Ac demū per Oseam *Osea 13.* dixit Dominus; *Perditio tua ex te Israel: tantummodo ex me auxilium tuum.* Hæc B. Chrysostomus.

36. S. Augustinus idē scribit & tradit in Epistola 105. quā scripsit ad Sixtū: *S. Augusti. epist. 105.* Nō inquit, obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiā, quibus autē nō impertitur, nec digni sunt illi, nec merentur, quin potius vt non impertiatur Deus gratiam suā, hoc digni sunt illi, & hoc merentur. Et in libro de Prædestinatione & Gratia, cap. 4. ad hunc modum scribit Augustinus: Quod dixit Apostolus; *Cuius vult, mise-* *Roman. 9.* *retur, & quem vult, indurat.* in eo, quantum ad miserationem Dei, nihil est difficultatis; quantū verò ad indurationē, ibi paululū humanæ mentis intentio, verbi nouitate confunditur. Sed nō ita intelligendū est illud, quasi Deus in homine ipsam, quæ nō esset, duritiam cordis operetur. Quid enim aliud est cordis duritia, quàm Dei obuiare mandatis? Nam B. Stephanus Iudæis dixit. *Dura ceruice, & incircumcisi corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis.* *Actor. 7.* Indurare autem dicitur Deus eum, quem mollire noluerit: & excæcare dicitur eū, quem illuminare noluerit, &

repellere dicitur cum, quem vocare noluetit. *Quos enim prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos iustificauit.* Rom. 8. Ipse enim dedit nobis vt simus: & ipse dedit vt boni esse possimus. Hæc B. Augustinus.

37. S.Gregorius. Ad eandẽ sententiam pertinent, quæ scribit B. Gregorius: is enim lib. 31. Moralium, c. 11. tractans illa verba Iob: *Priuauit eum Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Quamuis inquit, aliud sit priuare, aliud non dare: hoc tamen repetijt, subdendo; *Non dedit*, quod præmisit, *Priuauit*, ac si diceret, quod dixit, *Priuauit*, non iniustè sapientiam abstulit, sed iustè non dedit. Vnde & Pharaonis cor Dominus indurasse dicitur: non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit. Verùm idem super hac ipsa re copiosius disseruit in lib. 11. Moral. c. 8. explanans enim verba illa Iob capitis 12. *Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* hunc in modum scribit: Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit: ædificat, dum replet. Neq; enim humanam mentẽ debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suã, sufficit ipsa sibi dimissa. Vnde plerumque fit, vt cũ audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moueatur: quia mutum est cor omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. Psal. 126. Vnde Propheta dixit: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Et Salomon ait: *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Ecclesiastæ 7. Hinc est quod Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari tamen non potuit: Gen. 4. quia exigente culpa malitiæ, iam intus cor eius Deus reliquerat, cui foris, ad testimoniũ, verba faciebat. Benè autem subditur: *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat*, quia omnis homo per id quod malè agit, quid sibi aliud, quàm conscientiæ suæ carcerẽ facit? vt hunc animi reatus premat, etiãsi nemo exterius accuset. Qui cum, iudicante Deo, in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne euadendi locum inueniat, quẽ inuenire minimè meretur: Nã sæpè nõnulli è prauis actibus exire cupiunt, sed quia eorundem actuũ pondere premũtur, in malæ cõsuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non possunt. Et quidam culpas proprias punire cupientes, hoc quod rectè se agere existimant, in grauiorem culpam veniunt: fitque modo miserabili, vt quod exitum putant, hoc inclusionem inueniant. Sic nimirùm Iudas, cùm sibi mortẽ contra peccatum intulit, Matth. 27. ad æternæ mortis supplicia peruenit: & peius de peccato pœnituit, quàm peccauit. Dicatur ergo: *Si incluserit hominem, nullus est qui aperiat:* quia sicut nemo obsistit largitati vocantis Dei, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere itaque Dei, est clausis non aperire. Vñ ad Mosẽn de Pharaone dixit Deus: *Ego obdurabo cor eius* Obdurare quippe Deus per iustitiam dicitur, quando cor reprobum, per gratiam non emollit. Recludit igitur Deus hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit. Hactenus ex B. Gregorio: eiusdemq; sententiæ subscriptor & approbator est Isidorus in libro 2. de summo Bono, in capite 19. Isidorus. cuius inde verba citauimus suprà in disputatione quarta, ad numerum marginalem 25. iũ in capite 15. ex quo verba eius commemorabimus in ea, quæ proximè sequitur disputatione.

Horum Patrum expositionem & sententiam secutus B. Thomas, luculente super ea re disputans in prima secundæ quæst. 79. art. 3. 38. S.Thomas. Quemadmodum Deus cor hominis indurare dicatur, his verbis docet: Excæcatio & obduratio duo important, quorum vnũ est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine, & quantũ ad hoc, Deus non est causa excæcationis & indurationis, sicut nec est causa peccati: Alterum est, subtractio diuinæ gratiæ, ex qua sequitur, quod mens non illuminetur diuinitus ad rectè videndum, & cor non emolliatur ad rectè viuendũ: & quantum ad hoc, Deus est causa excæcationis & obdurationis. Sed considerandũ est quod Deus est causa vniuersalis illumina-

minationis animarum, secundum illud Ioannis: ***Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ.*** *Ioann.1.* Sicut sol est vniuersalis causa illuminationis corporum; aliter tamen & aliter. Nam sol illuminat per necessitatem naturę; Deus autem voluntariè per ordinem suæ sapientiæ. Sol itaque licet quantum est de se, omnia corpora illuminet, si quod tamen impedimentum inuenerit in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, vt patet de domo, cuius fenestræ sunt clausæ. Verumtamen, istius obscurationis nullo modo causa est sol: non enim suo iudicio & voluntate agit vt lumen interius non immittat: sed causa eius est solùm ille, qui clausit fenestras. Deus autem proprio iudicio & volũtate sua, lumen gratiæ non immittit illis, in quibus obstaculum inuenit. Vnde causa subtractionis gratiæ, est non solùm ille qui ponit obstaculum gratię, sed etiam Deus, qui suo iudicio gratiam nõ apponit. Et per hunc modum Deus est causa excęcationis mentis, & aggrauationis aurium, & obdurationis cordis; hæc autem tria distinguuntur secundum effectus gratiæ, quæ & perficit intellectum dono sapientiæ, & affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maximè deseruiunt duo sensus, visus & auditus; visus enim deseruit inuentioni, auditus verò disciplinæ: ideo quantum ad visum, ponitur excæcatio: quantum ad auditum, aurium aggrauatio; quantum ad affectum, obduratio. Ita Beatus Thomas. Videat eundem Lector in primo Sententiarum, distinctio. 40. quæst. 4. Huic etiam opinioni accesserunt Lyranus super cap. 4. Exodi, & *Lyrann.* Thostatus ibidem, quæst. 12. & Caietanus in cap. 9. Exodi. Ego quod de quarta expositione suprà dixi, de hac itidem nũc dico, eam mihi verissimam & sanctissimam videri: Sed prætet subtractionem gratiæ diuinæ, aliquid plus concurrere ad indurationem hominis, sicut infrà ostendemus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Quemadmodum subtrahat Deus peccatoribus gratiam & auxilia sua, vnde illi obdurantur in malo, & an quis in hac vita omnibus Dei auxiliis priuatus, fieri possit impœnitibilis atque inconuertibilis.

Qvæ proximè antecessit, Disputationis tractatio, occasionem dedit nobis hanc quoque disputationem consequenter tractandi, vt superiori non solùm affinem, verùm etiam cohærentem. Sciendum autem est, cùm primum quis peccat, Deum ei auferre gratiam iustificantem, sed plura illi relinquere auxilia, quibus interius, exteriusve iuuari queat ad surgendum ex peccato, & redeundum ad gratiam. Si hæc porrò auxilia peccator contemnat, peccata peccatis cumulans, difficilior eius fiet conuersio, & reductio ad gratiam: tum ex parte ipsius, qui pluribus peccatorum vinculis constrictus tenetur: tum ex parte Dei, qui in pœnam tot, & tantorum eius criminum, multa de auxilijs suis, quibus ille iuuari posset, ei subtrahit. In tantùm verò posset ille peccando procedere, vt penitus desereretur à Deo, auxilijs eius fermè omnibus destitutus: & tunc diceretur induratus, & quidem à Deo, propter diuini auxilij ab eo remotionem. An possit autem euenire, vt peccator in hac vita ob multitudinem & grauitatem suorum, criminum, in eum miseriæ statum, iusto Dei iudicio demergatur, vt non possit amplius resipiscere, & conuerti, per difficilem habet quæstionem, quam nunc tractandam suscepimus. Etenim, nec pauci nec ignobiles Theologi, vt Adrianus *Adrianus.* qst. 3. de Pœnitentia, & B. Martyr Roffensis, in artic. 36. aduersus Lutherum, *Roffensis.* & Andreas Vega li. 13. & c. 23. in Tri-

S 4 den-

dentini Concilij cap.14.de Iustificatione, & Thostatus in cap.4.Exodi,quæst. 12.confirmant multis Scripturæ & sanctorum Patrum testimonijs, esse posse aliquos in hac vita, qui omnibus Dei auxilijs priuati, sint prorsus, vt suprà diximus, impœnitibiles, atque inconuertibiles, breuitatis enim & perspicuitatis gratia, hisce verbis vti libet. Et Vega quidē ita scribit; Verisimile est, (vt etiam ante nos, aliquot nobiles auctores tradiderunt,) esse certum aliquē numerum peccatorum ita magnum, & grauem coram Deo, vt cum homines eum compleuerint, Deus eos despiciat & à se proijciat, vt non solùm efficacibus auxilijs, quibus ad pœnitendum indigerent, sed etiam communibus ita destituat, vt vel nunquam, vel rarissimè ac difficillimè pœniteant, vt si quis eos corrigere tentet, experiatur verum esse quod dixit Salomon Ecclesiastæ septimo; *Nemo potest corripere quem Deus despexerit*. Sic ille.

40. *Thostatus q.12.in ca.4.Exodi.* Idem tradit Thostatus supradicto loco his verbis: Cùm quis ad tantam venit malitiam, vel toties frequentaram, quanta Dei iudicio digna, immo magis quàm digna videatur ad perditionem, vel Deus eum non mouet, vel ita debiliter mouet, vt ille ad bonum nunquam flectendus sit, & istos, vt sic, necessariū est perire, sicut præscitus, vt præscitus, necessariò damnabitur. Sciendum est autem, quod cuilibet peccato pœna debetur, & secundum quantitatem peccati, debet esse mensura pœnę doloris, vt dicit Deuteron. 25. & Apocalypsis 18. Cùm aliquis igit peccauerit modicū, merebitur pœnam, quæ est aliquantus dolor, si autem magis peccauerit, magis etiam dolere merebitur. Et in tantū deueniet ista deordinatio, vt aliquis tātum, vel toties peccet, ut iā nulla ei pęna, quæ sit dolor, sit sufficiens. Datur ergo ei pœna, quæ nec est dolor, nec est culpa, sed est tamen occasio ad peccandum, vel ad nō resurgendum ex peccato. Et quando ista pœna infligitur alicui, perinde est, ac si tunc demergeretur in infernū, aut si tunc in peccato mortali moreretur, quoniam sic mortuus est. Quantus autem sit numerus peccatorum, ex quibus metetur aliquis, vt gratia ei ad pœnitendum non detur; aut quanta sint peccata, & quoties repetita, latet humanam cognitionem, & est altissimum secretum Dei, quod ipse sibi soli seruauit. De Pharaone porrò dicendum est, ipsum tot & tanta mala fecisse, & toties iterauisse, vt promerit fuerit non dari sibi à Deo gratiā. Quocirca Deus in pœnam præteritorū malorum non apposuit ei gratiam suam, ob idque dictus est indurasse eum. Sic Thostatus.

Beatus etiam Thomas videtur nonnullibi huic opinioni suffragari, nam in Secunda Secundæ, quæst.2.art.5.in responsione ad primum, concedere videtur, auxilium gratiæ, necessarium ad salutem, quibusdam negari in pœnam alicuius peccati præcedentis. Multa inquit, tenetur homo facere, ut diligere Deū & proximū, & articulos Fidei credere, quę; nō potest facere sine gratia reparante, quod quidem auxiliū, quibuscumq; diuinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & saltē originalis, vt Augustin. dicit in libro de Correptione & Gratia & in eiusdē partis, quæst.14. art.8. docet, sicut morbus aliquis dicitur incurabilis, qui tollit virtutē naturæ, vel inducit fastidiū cibi & medicinæ; licet talē morbū Deus per omnipotentiam suam possit curare, ita esse peccata quædam irremissibilia secundum suam naturam, quia excludunt ea, per quæ fit remissio peccatorum. Quamuis per Dei omnipotentiam & misericordiam eiusmodi peccata remitti possint, per quam tales peccatores aliquando, quasi miraculosè spiritualiter sanantur. Et in responsione ad primum; Considerata inquit, Dei potentia, & misericordia, de nullo peccatore in hac uita desperandum est, sed considerata tamen conditione peccatorum eius, dicuntur aliqui filij diffidentiæ, vt tradit Paulus ad Ephesios, capitulo secundo, & in responsione ad tertium: Etsi inquit, liberum arbitrium manet semper in hac uita uertibile ad bonum, tamen quandoque abijcit

41. *S.Thomas.*

cit ex se id, per quod verti ad bonum potest, quantum in ipso est. Vnde ex parte ipsius peccatum est irremissibile, licet Deus remittere possit. Ita B. Thomas.

42. *B. Gregor.* *Genes.4.* Ad confirmationem quoq; istius sententiæ videri potest valere, qđ scripsit S.Gregorius lib. 11. Moralium, cap. 18. Cain & diuina voce admoneri potuit (ait Gregorius) & mutari non potuit: quia exigente culpa malitiæ, iam intus cor eius Deus reliquerat, cui foris, ad testimonium, verba faciebat. Et paulò post: Sæpè nõnulli à prauis actibus exire cupiunt: sed quia eorundẽ actuũ põdere premuntur, in malæ cõsuetudinis carcere inclusi, à semetipsis exire non põt. Et paulò infrà: Bene dixit Iob: *Si Deus incluserit hoĩem, nemo est qui aperiat:* quia sicut nemo obsistit largitati vocantis Dei, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere autẽ Dei, est clausis non aperire: recludit itaque Deus hominem, quem in suorũ operum tenebris relinquit. Et in hom. 31. super Euangelia videtur idem etiam apertius indicare, hoc modo scribens: De pœna peccati est, vt ex dono quidem possit bonum conspici: sed tñ ex merito contingat à bono quod conspicitur, repelli. Vsitata quippe culpa obligat mentem, vt nequaquam surgere possit ad rectitudinẽ. Conatur quidem illa, sed confestim labitur: quia vbi spontè diu perstitit, ibi, & cum noluerit, coacta cadit.

43. *Isidorus.* Nec leue istius opinionis in B. Isidori verbis adiumentũ est. Sic enĩ ille scribit lib. 2. de summo Bono, cap. 16. Deserente Deo, nullus pœnitere potest. Nõnulli autem ita despiciuntur à Deo, vt deplorare mala sua non possint, etiamsi velint. Consilio immundorum spirituũ hoc fit: nam, quia ipsis negatũ est, post præuaricationem regredi ad iustitiam; obserare aditum pœnitẽtiæ hominibus cupiunt, ne ipsi ad Deum reuertantur, sed eos habeãt socios perditionis; illud quibuscunq; fraudibus agentes, vt aut deserantur à Deo, aut flagelli immanitate desperent. Ingemiscendum est iugiter, & excussa omni securitate lugendum, ne, Dei secreto & iusto iudicio, deseratur homo, & perdendus in potestate Dæmonis relinquatur. Hæc Isidor.

44. *Ratio qua est supradictæ opinionis fundamentum.* Nec solum auctoritates Patrum & Theologorum habet ista sñia, sed hanc quoque rationem, minimè aspernandã. Sicut non repugnat libertati volũtatis humanæ, nec rationi viatoris, esse aliquos in hac vita oĩno confirmatos in bono, vt à Deo nõ possint auerti, vt fuit B. Virgo, & Ioannes Baptista, & Apostoli post acceptum in die Pentecostes Spiritum sanctum: ita non aduersatur, nec libero arbitrio, nec statui viatoris, esse aliquos in hac vita sic in malo, & peccatis obfirmatos, & diuinis destitutos auxilijs, vt ad Deũ conuerti, & ex peccatis emergere non possint: nã *Contrariorum eadem est disciplina.* Et sicut aliqui per gratiam in hac vita possunt fieri (vt ita dicam) impeccabiles; ita põt è contrario alij, propter magnitudinẽ & grauitatem suorum peccatorum, & remotionem diuinæ gratiæ fieri prorsus impœnitibiles & inconuertibiles. Et sicut illud procedit ex diuina misericordia, ita procedit hoc ex diuina iustitia. Ergo si confirmatio in bono, in hac vita non perdendo, nõ repugnat rationi viatoris, licet eius voluntas, in hac vita, dicatur esse flexibilis ad bonũ & ad malũ: similiter obfirmatio & obduratio in malo non penitendo, nec emẽdãdo ĩ hac vita, statum viatoris neq; ꝗ tollit.

45. Capit præterea hæc opinio fidem ex pluribus diuinæ Scripturæ locis, qbus dicitur, esse nõnullos homines prorsus inemendabiles, & irreuocabiles à malo & impotentes benè agẽdi, & derelictos atque despectos & proiectos à Deo. Ecclesiastæ 7. ita scriptum est: *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* In lib. Sapien. cap. 12. *Nequam erat natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & non poterat mutari cogitatio ipsorum in perpetuum.* Hieremiæ 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malũ.* S. Paulus quosdã peccatores dicit habere cor impœnitens, & traditos esse ĩ reprobũ sensum: vocat itẽ filios diffidentiæ ac pditionis, & vasa iræ aptata ĩ interitũ. Esa. 6. *Excæca cor populi huius, et aures eiº aggraua, et oculos eiº claude; ne forte videãt oculis suis, et aurib. suis audiãt, et*

con-

conuertantur, & sanem eum. Simile refert Marcus Christum cap. 4. dixisse discipulis suis: *Vobis* inquit, *datum est nosse mysterium regni Dei illis aût, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: vt videntes videant, & non videant; & audientes audiant, & nõ intelligant: ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* Hiere. 7. dixit Deus Hieremiæ: *Noli orare pro populo isto, & nõ obsistas mihi; quia non exaudiam te.* Et 1. Reg. 16. dixit Deus ad Samuelem: *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum?* Esaiæ cap. 5. pulchra similitudine vineæ, secundum symbolicam significationem, mirificè Deus depingit miserrimum istiusmodi hominum, de quibus nunc agitur, statum: sic enim ait: *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem eius, & erit in depradationẽ: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem: & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eã vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Huc etiam spectant apud Hieremiam, cap. 57. verba Angelorum Babylone discedentium: *Curauimus* inquiunt, *Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, quoniã peruenit vsque ad cœlum iudicium eius.* Hæc igitur super hac opinione disputari, & pro eius confirmatione afferri possunt.

46. *Contraria opinio, quæ est S. Thomæ.* At enim verò, contraria est B. Thomæ sententia, quam multi sequuntur, & videtur esse communis opinio. Is arbitratur, nullum esse peccatoré in hac vita, qui non possit fructuosè pœnitere, & ex peccato emergere, ad hunc modum super ea re disputans in 3. part. q. 86. art. 1. Non possunt per pœnitentiam deleri peccata dæmonum, & hominum iam damnatorum, quia eorum affectus est omninò cõfirmatus in malo, nec potest eis displicere peccatum, prout est culpa, sed displicet solùm eis pœna, quã pro illo patiũtur. Et illi quidem aliquã pœnitentiam agunt, sed infructuosam: sicut proditum est in libro Sapientiæ, cap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Vnde talis pœnitẽtia, non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est & ad bonum, & ad malum. Vnde dicere aliquod esse in hac vita peccatũ de quo non possit homo pœnitere, erroneum est. Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrij. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quã moueri potest cor cuiuscunque peccatoris ad pœnitentiam, secundum illud Prouerb. 21. *Cor regum in manu Domini est: & quocunque voluerit, vertet illud.* Sic eo loco B. Thomas. Et quia in secundo argumento illius articuli, memorauerat verba quædam Augustini, asserentis esse quosdam peccatores, qui deprecandi humilitatem subire non possint, etiamsi peccatum suum mala conscientia agnoscere, & annũciare cogantur; ea verba, quæ videbantur contraria opinioni B. Thomæ, sic ipse interpretatur, vt illud: (Deprecandi humilitatem subire non possint) intelligendum sit non simpliciter, sed de facili: difficillimum enim est & rarissimum; potest tamen id fieri per diuinæ gratiæ virtutem, quæ etiam interdum in profundum maris cõuertit, sicut dicitur in Psal. 67. sicut etiam dicitur aliquis morbus insanabilis, nõ simpliciter, sed quia difficillimè, & perrarò contingit eum sanari.

Secundùm igitur B. Thomæ sententiam, erroneum est dicere, esse aliquos peccatores, qui in hac vita non possint agere pœnitentiam, neque ad Deũ conuerti: quod tamen supradictæ opinionis auctores, maximè verò Tostatus, arbitrantur: vt necesse sit talem opinionem, iudicio S. Thomæ, erroneam censeri. Neque verò contrariam habent sententiam, quæ sanctus Doctor antè scripserat in Secunda Secundæ, & à nobis supra commemorata sunt: Illic enim docere tantùm voluit, esse aliquod peccatum irremissibile, non quidem simpliciter, sed ex parte solius peccatoris, qui abiecit omnia remedia, quibus sanari posset, non tamen respectu infinitæ potentiæ ac misericordiæ Dei qui est præstabilis super malitia hominis, vt dixit Ioel Propheta. Dicuntur præterea nonnulli peccatores inconuertibiles, nõ in potentia Logica, vel Physica, sed Moralitnam quia eorum nullus, vel paucissimi, & rarissimè, & maximis difficultatibus,

bus,& quasi miraculosè conuertuntur, propterea dicuntur inconuertibiles, secundùm loquendi modum non infrequentem in Scriptura. Ac demùm, qui tales peccatores sunt, ijs conuertendis & sanandis non sufficiunt communia & ordinaria remedia, sed opus est extraordinarijs atque efficacissimis remedijs & auxilijs, quę illis iustissimo Deus iudicio non impertitur. Itaque tali hoc interpretamento non solū dicta B. Thomæ in Secunda Secundæ, sed etiam dicta sanctorum Patrum, & diuinæ Scripturæ testimonia, quæ supra ad confirmationem supradictæ opinionis allata sunt, exponere atque intelligere conuenit. Ruardus Tapper Decanus Louaniēsis, vir egregiè doctus & pius, in explicatione articulorum Louaniensium, & in tractatu septimi articuli, vbi tractat hanc quæstionem, putat in vtramque eius partem suppetere multa & argumenta, & testimonia, tum Scripturæ, tū Patrum, ideoque vtramque partē probabiliter defendi posse: addit q; sibi certum videri, aliquos omninò deseri à Deo, non quidem in totam vitam, vel vsque ad mortem, sed ad aliquod tantū tempus, in quo omninò derelicti, tunc conuerti non queant. Contra quod tamen videtur esse illud: *Impietas impij nō nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* quibus verbis latenter significatur, peccatorem in omni tēpore posse ingemiscere & conuerti ad Deum, atque omni tempore patere peccatori aditum & accessum ad Deum.

Ruardus Tapper.

Ezechiel. 18.

48. Sed quodnam est nostrū in hac controuersia iudiciū? Equidem assensu in sententiam feror B. Thomæ, nam & sententia eius videtur mihi esse verissima; & rationes quibus eam probat, tū ex proprietate liberi arbitrij hominis viatoris, tum ex amplitudine ac potentia gratiæ Christi petitas, & fortes, & firmas esse censeo. Etenim status ille hominū peccatorū simpliciter inconuertibilū ad Deū, & iam similiū damnatis in inferno, qualem statū inducit Thostatus, vt ostendunt verba eius supra posita, ante ipsum, inauditus fuit in Ecclesia, & inter Doctores Catholicos: immò contraria opinio, quod nulli peccatori ante mortē denegatū sit posse pœnitentiā agere, & ad Deū conuerti, viguit semper in Ecclesia, & inter Patres ac Theologos. Ad omnes enim in vniuersum peccatores pertinent sanctissimæ illæ, quæ sunt in sacris literis sententiæ: *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Nolo mortem peccatoris; sed vt magis conuertatur, & viuat. Conuertimini a vijs vestris pessimis: & quare moriemini? Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrū, quoniam multus est ad ignoscendum, & præstabilis super malitia.* Sūt cōplures aliæ sententiæ, quas studio breuitatis, sciens prætermitto; Hinc aūt liquidò intelligitur, si hæc dicūtur oībus peccatoribus, oībus patere aditū reuertendi ad Deum, & ad misericordiam Dei volentis eos recipere.

Auctoris sententia, Nullos esse peccatores ī hac vita impœnitibiles atq; inconuertibiles ad Deū. Prima ratio.

1. Timo. 2.

Matth. 11.

Ezechiel. 18. & 33.

Ioel 2.

49. Deinde, huiusmodi peccatores essent iam extra statum viæ, vtpote, qui, secundum istos auctores, sint inflexibiles ad bonum, & iam similes damnatis in inferno, quantum ad priuationem omnium Dei auxiliorum, & obstinationem in malo, & sunt extra statum benè ac malè merendi. Ante mortem igitur, & quidē pluribus annis, (potest enim euenire, vt in illum statum incidant aliqui multis ante mortem suam annis) desierunt isti esse viatores. Hoc autem est contra communem Theologorum, & Patrum sententiam, affirmantium, dum quisque viuit, & quoad moritur, esse in statu viatoris, eundemque terminum statuunt viæ, ac vitæ hominis. Quod etiam B. Paulus non obscurè indicauit 2. ad Corinth. 5. verbis illis: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quid est *propria corporis*, nisi quæ gessit, donec vitam corporalem viueret, & dū anima fuit in corpore? vt secundum B. Paulum, status benè vel malè merendi sit, quoad anima est ī corpore, id est, vsque ad mortem. Et sicut beatitudo hominis non incipit nisi post hanc vitā, dicente Apostolo: *Dum sumus in hoc corpore,*

Secunda ratio.

2. Corint. 5.

pore, peregrinamur à Domino: per fidè enim ambulamus, & non per speciem: ita quoq; omnimoda peccatoris derelictio, atque omnis auxilij priuatio in perpetuū duratura, quæ est velut substantia æternæ dānationis, nō in hac vita, sed post mortem debet incipere.

50. *Tertia ratio.* Adhæc, vnde nam isti auctores compertum habuerunt, esse certum quendā numerum peccatorum, quem qui impleuit, is omninò derelictus à Deo amplius pœnitentiam agere, & ad Deum conuerti non queat? Nam cum istud à diuinæ tantùm voluntatis decreto pendeat, non potuit cuiquam mortalium, nisi per Dei reuelationem, certò innotescere: talis porrò nulla extat Dei reuelatio. Dicerent fortasse, nihil esse opus noua reuelatione, cum id traditum sit in Scriptura, vt patet ex locis eius suprà citatis. Sed enim nec suprapositā Scripturę loca probant quod intendunt isti, & ipsa Scriptura dicit apertè contrarium. *Locus Matth. cap. 18.* Nam vt scriptum est Matth. 18. quærenti Petro, an dimissurus esset fratri peccanti, vsque septies? Respondit Dominus: *Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies.* ponens haud dubiè numerum determinatum pro indeterminato, & significās, quotlibet, & quātilibet peccatis fratrum esse ignoscendum; Si apud hominem igitur nullus esse debet certus numerus peccatorum, vltra quem non parcat delinquenti fratri, quanto minus apud Deum, cui proprium est, vt dicit sancta Ecclesia, misereri semper, & parcere, &, qui omnipotentiam suam parcendo maximè, & miserando manifestat? Possum hoc perillustri quodam exemplo confirmare. Si quem mortalium fuisse in isto peccatorum statu existimandum erat, maximè id putandum erat de Manasse rege Iuda: *Manasses admirabile exemplū pœnitētiū.* huius enim & incredibilis fuit scelerum multitudo ac varietas, & inæstimabilis grauitas atque immanitas: & verò ipsemet confessus est, se peccasse super numerum arenæ. Legat quæso Lector tricesimum tertium caput posterioris libri Paralipomenon, nec dubito quin assensurus sit mihi. Is tamen cū in profundo innumerabilium penè atque immanissimorum scelerum demersus esset, & se ad Deum erexit, atque conuertit, & talem egit pœnitentiam, vt à Deo veniam peccatorum, & captiuitatis liberationem meruerit.

51. *Quarta ratio.* Præterea in isto statu hominum peccatorum, quem isti auctores faciunt irremediabilis perditionis, non vtiq; negabunt fuisse Pharaonem: hunc enim tanquam antesignanum & principem induratorum hominum proponit Scriptura. Sed quo i statu malitiæ fuit Pharao, in eodem planè statu fuisse constat regem Nabuchodonosorem: quem fuisse omnium sui temporis superbissimū, crudelissimum, & impijssimum, ostendit liber Danielis, in cuius cap. 3. Azarias vocat eum virum iniustum, & pessimum vltrà omnem terram: is tamen postea fructuosam egit pœnitentiam. Certè S. Augustinus in libro de Prædestinat. & Gratia, cap. 15. in eodem statu malitiæ statuit Pharaonem & Nabuchodonosor, & illum ait permansisse impœnitentem vsque ad mortem, hunc verò fructuosam egisse pœnitentiam. *S. August.* Augustini super ea re verba memorauimus supra in disputat. 6. ad numerum marginalem 33.

52. *Quinta ratio.* Adijce, quod S. Ioannes primæ epistolæ, cap. 5. duo tantùm facit genera peccantium: & vnum vocat peccantiū non ad mortem; alterum verò peccantium ad mortem. Quæro, statum illum peccatorum, quem facit Thostatus, in vtro istorum duorum ponere oporteat. *Locus primæ Epistolæ Ioannis, cap. 5.* Non potest referri ad prius genus peccantiū: non enim illi secundum B. Ioānem sunt desperati, atque omninò perditi, cū iubeat pro illis orari; quin etiā promittat nō modo veniam, sed etiam vitam. Nec potest referri ad posterius genus peccantium ád mortem: quia peccantes ad mortem, sunt tantùm, qui in ipso peccato moriuntur: hoc enim est peccare ad mortem, non recedere à peccato dum quis viuit, sed in ipso mori. Sic enim exponit Augustinus in libro de Correptione & Gratia, cap. 12 & in lib. 1. Retractationum, cap. 19. & S. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 21. & Gelasius Papa de Anathematis vinculo, & Lyranus & Vega, & est cōmunis expositio. *S. August. S. Gregori⁹. Gelasi⁹ PP. Vega.* Atque idipsum exigit sententia verbo-

rum

rum B. Ioannis, vult enim fideles scire, pro quibus debeant fructuosè orare, & pro quibus non: docetque, pro omnibus in hac vita peccantibus, quoniã adhuc spatium habent pœnitendi, esse orandum, talemque orationem fructuosam esse apud Deum. Pro peccatoribus autem, ante mortem, non agentibus pœnitentiam, suoque in peccato morientibus, non esse orandum, cum iam nullum habeant pœnitendi spatium.

53. *Sexta ratio.* Postremò, hæc est, fuitque semper in Catholica Ecclesia, & Patrum, & Theologorum probata sententia, de nullo peccatore, dum viuit, esse desperandũ: Nulli occlusum esse aditum veniendi ad Deum: nec vlli Deum sufficiens ad pœnitendum denegare auxilium. Audi B. Augustinum in lib. 1. Retractationum, cap. 19. retractantem quod dixerat lib. 1. de sermone Domini in monte, peccatum ad mortem esse, cum quis post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat fraternam gratiam, & aduersus ipsam gratiam, qua recõciliatus est Deo, inuidẽtiæ facibus agitatur: hæc inquam, verba retractãs, & melius exponens, ait: Addendum præterea fuit, si in hac tam scelerata mentis peruersitate finierint hanc vitam: de quocumque enim, quamuis pessimo, in hac vita constituto, non est vtique desperandũ: nec pro illo imprudẽter oratur, de quo non desperatur. Sic ibi Augustinus. *S. August.*

Magister Sententiarum. Hunc B. Augustini locum citans Magister Sententiarum in lib. 2. distinct. 43. hæc scribit: His verbis Augustini insinuatur, tunc solum debere dici peccatũ ad mortem, vel in Spiritum sanctũ, cum non habet comitem pœnitẽtiam: nec de aliquo peccatore esse desperandum in hac vita, & ideo pro omni esse orandum. Vnde illud Ioannis: ***Non pro eo dico vt quis oret***, sic accipiendum videtur, vt pro aliquo peccante ad mortem, vel in Spiritum sanctum, postquam sine pœnitentia finierit hanc vitam, non oremus: dum autem in hac vita est, nec de peccato illius desperare, & pro illo orare debemus. Quocirca idem Augustinus in serm. 11. de verbis Domini, loquens de blasphemia in Spiritum sanctum, quam definit duritiam cordis in pœnitentis, hunc in modum scribit: De nullo desperandum est, quamdiu ad pœnitentiam, patientia Dei adducit. Paganus est hodie, Iudæus est hodie, hæreticus est hodie, schismaticus est hodie: Quid si cras amplectatur Catholicam fidem, & sequatur Catholicam veritatem? Quid si isti, quos tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram requiem, & vitam in futuro? Nolite ergò ante tempus iudicare quemquam. Ita S. Augustinus. Vnde infert Magister; ex his ostenditur, pro quibuslibet peccatoribus in hac vita esse orandum, nec de aliquo esse desperandum, cum quilibet conuerti possit, dum in hac vita est. Sic Magister. Et Augustinus libro 12. de ciuitate Dei, cap. 24. Nunc, inquit, Ecclesia ideo pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia nunc tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro eis orat, nisi vt det illis Deus, sicut dicit Apostolus, pœnitentiam, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur secundum ipsius voluntatem? orat itaque pro omnibus in hoc corpore constitutis: nec tñ pro oibus exauditur: si qui enim vsque ad mortẽ habebũt cor impœnitens, nec ex inimicis conuertẽtur in filios, numquid pro istis iã mortuis orat Ecclesia? Cur ita? nisi quia in parte Diaboli cõputantur, qui dũ essẽt in corpore, non sunt translati ad Christũ. Sic Augustinus. Hoc insuper firmari põt auctoritate Gelasij Papæ, q loco supra citato hæc scribit: Dixit Ioannes Apostolus: ***Est peccatũ ad mortem, non dico vt oretur pro eo.*** Peccatũ ad mortẽ est, in eodem peccato manentibus vsque ad mortẽ: & peccatũ non ad mortẽ, est, ab eodem peccato recedentibus ante mortẽ. Nullũ est quippe peccatum pro quo remittendo aut non orat Ecclesia: aut quod, data sibi diuinitùs potestate, desistentibus ab eo non possit absoluere vel pœnitentibus relaxare. Ita Gelasius. Possem equidem plurium auctorum testimonijs hanc nostram munire sententiam, si ex instituto, principalique consilio, ac non potius ex occasione supe-

S. August. *2. Timo. 2.* *Gelasius Papa.*

superioris disputationis, ac velut in trãscursu, hæc à nobis suscepta & tractata esse controuersia.

54\. *Nec Adrianū, nec Vegā, nec Caietanū fuisse in supradicta sententia.* Quamuis autem suptadictam opinionem quidam assignent Adriano; is tamen eodem ipso loco, quem illi citant, contrariam opinionem ptobabiliorem sibi uideri apertè docet his verbis: Sicut damnatis nulla est facultas pet pœnitẽtiam reuertendi ad Deum, ita peccatoribus perditæ vitæ, meritò adimitur etiã in hac vita sæpè facultas, sine qua non sunt conuettendi. Dico notanter restrictè, sine qua non conuettentur, non autem dico, sine qua conuerti non poterunt, quia eam misericordiam (vt probabilitet teneo) viatorib⁹ exhibet De⁹, quòd sufficientet eis assistit, & suã gratiam offert; qua pro exttemo saltem virium laborando, possent peccatorũ indulgentiam promereri, vt in hoc differentia sit viatotum ab ijs qui transierũt terminum. Et idem paulò infrà: Teneo inquit, probabiliter, quod nunquam in viatote est consummata sententia Dei, de subtractione auxilij sufficientis ad pœnitendum. Vega quoque non putat esse vllos peccatotes in hac vita, qui nõ possint ad Deum conuerti, sed tantùm ait, quod aliqui nõ conuertentur; quia vel nullus eorum conuettitur, vel certè paucissimi, & rarissimè, vt etiam habẽt eius verba suprapofita. Et idẽ libto decimotertio, cap. 12. Deus, inquit, omnibus peccatotibus perseuetantibus in peccato, subtrahit auxilium efficax ad pœnitentiam. Sed quia detogare nõ nouit legibus communibus, præsertim fauotabilibus, nunquam alicui ita subtrahit, neque quenquam in hoc punit, ut non possint hoc auxilium, sicut generale, habere; hoc enim esset legem cõmunem inuertere, & viam facere terminũ. Sed in hoc punit peccatores qui nõ cõuertuntur, vt non habeant auxiliũ, quo conuertantur.

55\. Si quis porrò est recentiorum Theologorum, quem posset quis non temerè existimare suffragari isti sententiæ, is, maximè videretur esse Caietanus, qui in octauo Ientaculo, & in quæstione prima, spiritum blasphemiæ videtur facere peccatum in hac vita irremissibile, hoc modo scribens: Disposuit diuina iustitia, eos qui peccarunt spiritu blasphemiæ, impœnitentes perseuerare vsque in finem, itaque sub hac dominica teuelatione cadit, nõ solùm negatio remissionis, sed etiam negatio doni pœnitentiæ. Tanquam si dictum fuerit, quod peccãtibus spiritu blasphemię nunquam concedetur temissio, quia nũquam concedetur gratia pœnitendi, exigente hoc maximè illorum nequitia. Hæc Caietan. Sed profectò nõ ista fuit mens & sententia Caietani, vt talis peccator simpliciter sit inconuertibilis in hac vita, sed hoc tantũ docere voluit, talem peccatorem regulariter, & secundũ viam ordinariam, & secundum communem Dei misericordiam, super peccatores, nequaquam conuersum iri, cum tamen per singularem quandam atq; extraordinatiam Dei misericordiam, & posse & solete aliquando conuerti. Ponam hic eius verba: Talis, inquit, peccator nõ debet despèrare, non enim Deus obligauit misericordiam suam communi cursui, sed præter illum, & supra illũ pluries misertus est peccatorum, vt patet de Latrone, de Paulo, & de Magdalena, quos, supra communem cutsum, statim ita erexit. Talis igitur peccator, omni conatu, & ieiunijs, & eleemosynis, & orationibus, & alienis suffragijs tanto magis conari deberet diuinã implorare misericordiam, quanto remotiorẽ se ab illa constituit. Sic Caietanus. *Lucæ 23. Actor. 9. Lucæ 7.*

56\. *Solutur ratio qua est firmamẽtũ supradictæ opinionis.* Nec sanè valida est argumentatio, qua isti auctores supradictam opinionem probare volunt. Sic enim illi ratiocinãtur; si inter bonos & sanctos uiros possunt esse aliqui (immo iam non pauci fuerunt) ita confirmati in gratia, vt non possint declinare ad peccatũ mortale, nec auerti à Deo: è contrario igitur, inter peccatores non repugnat esse aliquos, ita destitutos Dei auxilio, ut sint obfirmati ĩ malo & inflexibiles ad bonum. Sed enim multifariam ista eorum antithesis uitiosa est; est enim perdissimilis ratio confirmationis bonorũ in gratia, & omnimodæ derelictionis & obdurationis malorum in peccatis. Ptimò, inter iustos, & sanctos uitos non est certus quidam numetus bono-

rum

rum operum, quem cum illi impleuerint, confirmentur in gratia; sed ea confirmatio fit gratuita solum & singulari exuberantique Dei misericordia erga aliquos. Isti verò Auctores statuunt certum numerum peccatorum, quem vbi peccator impleuerit, fiet irreuocabiliter atque inconuertibiliter malus. Deinde, qui fuerunt in hac vita confirmati in gratia, nihilominus fuerunt viatores, & in statu merendi ac demerendi, saltem quantum ad peccata venialia, vt patet in alijs, præter B. Virginem, quod in statum illum peccatorum, quem Thostatus facit, minimè conuenit, vt suprà ostédimus. Ad hæc, diuersa est ratio misericordiæ diuinæ in hac vita, atque iustitiæ eius punientis in hac vita peccata hominū: est enim Deus & promptior, & copiosior ad benefaciendum, quàm ad puniendum: *Misericordia quippe superexaltat iudicium*. Nec Deus in hac vita peccata hominum punit, sine admixtione misericordiæ: quod enim dixit Dauid: *Numquid obliuiscetur misereri Deus? aut cōtinebit in ira sua misericordias suas?* in hac potissimum vita locum habet; sicut illa sententia Iob, cap. 35. *Nunc non infert Deus furorem suum, nec vlciscitur scelus valde.* Verùm super hac controuersia, pro ratione instituti operis, quæ dicta sunt ea satis superque Lectori esse debent: & nos ad tractandum reliquas expositiones illorum verborum: *Ego indurani cor Pharaonis*, reuertamur.

Iacob. 2.

Psalm. 87.

OCTAVA DISPVTATIO.

An propterea Deus indurare dicatur hominem, quod multa circa ipsum facit, è quibus capit is occasionem magis obdurandi cor suum.

57. *Sexta expositio. Indurat Deus, quia facit multa, e quibus iā cor-*

SEXTA via & ratio interpretandi, quemadmodū Deus indurat hominem, huiusmodi est. Multa Deus circa hominem facit interius & exterius, è quibus capit is occasionem grauius peccādi, & pertinacius in hærendi peccatis: cum enim iam, diu multumque peccando, deprauatum animum habeat, tam bona quàm mala in suam vertit perniciem. Sic profectò res est: qui sunt deserti à Deo, vitijsq; corrupti, nulla re iuuantur: sed si bona eis offerantur, ea, vel contemnendo, vel etiam oppugnando, peiores euadunt: si mala, ea protinus, toto affectu, complectendo, sceleratiores existunt: non secus quam ægrotus, qui salutaria medicamenta contemnens, & cibos potusve noxios sumens, morbum suum facit insanabilem. Denique, quali quisque est animo, talia fiunt ei omnia: malo quippe omnia vertūtur in malum, etiam bona: bono autem omnia proficiunt ad bonum, etiam mala. Audi de malis qđ in libro Sapientiæ scriptum est cap. 14. *Creatura Dei in odium facta sunt, & in tētationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* De bonis extat celebris illa B. Pauli sententia: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Manna Hebræos, qui viri boni erant, mira suauitate saporis voluptateque afficiebat: mali autem, tanquam insipidum cibum & vilem fastidiebant. Miraculis à Deo factis in Aegypto, Pharao magis efferatus est ad resistendum Deo: Hebræi autem ad credendum Deo, & seruo eius Mosi vehementius permoti.

ruptus peccatoris animus, occasionem maioris capit indurationis.

Ad Ro. 8.

58. Facit porrò Deus multa intra eū hominē, qui obdutatur, quibus, vitio suo, is fit deterior. Excitat in eo varios affectus, vel motus, vel spei ac fiduciæ, vel iræ: varias item imaginationes & perplexas ac dubias cogitationes immittit: etiam somnia & visa nocturna inijcit, quibus ille, nimio plus credulus, incitatur ac precipitatur in malum. Similiter, circa eundem hominem multa facit exterius, vel bona, vel mala: bona, vt sunt admonitiones, correctiones, flagella, beneficia, miracula: quibus ille contemptis fit peior. Facit etiam quædam exterius, quæ ad malum possunt inclinare, atque eo inclinatura sunt eius animū, cuiusmodi sunt varia obiecta voluptatum, vel honorum, quibus iam corruptus animus, Deique gratia & auxilio spoliatus, protinus assentietur & adhærescet.

rescet. Hæc autem Deus vel facit, vel fieri permittit, sciens peccatorem abusurum illis ad maiorẽ animæ suæ perniciem, & exitium: tum in pœnam præcedentium peccatorum, quibus meruit ita deseri & tractari à Deo: tum ad manifestandum seueritatem suæ iustitiæ, & ad incutiendum alijs salutarem quẽdam timorem, quo, & qui sunt in peccatis, confestim resipiscere studeant, & qui sunt in gratia Dei, caueant sollicitè, ne deserti à Deo, in miserrimum incidant induratorum hominum statũ.

59. Pharao igitur, & flagellis Dei, & miraculis vehementius obduratus est. Flagellis quidem, quia Deus non eum percutiebat, sed quæ extra ipsum erant: & quia paulatim & moderatè flagellabat nec continenter, sed per interualla, requiem ei dans, subtracto ad tempus flagello. Miraculis etiam Dei obduratus est, quia vidit Magos suos facere similia prodigia eorum, quæ Moses, Dei nomine, faciebat. Ad hæc, altè, penitusque insederat in animo Pharaonis hic sensus, fore sibi & regno suo maximè detrimẽtosum, atq; ignominiosum, si Hebræos abire sineret. Deus verò multiplicauit in Aegypto prodigia & flagella, non propter Pharaonem, cui sciebat ea nihil profutura: sed propter Hebræos, qui magis Deo creduli & fideles atque obedientes futuri erant. Nec propter Hebræos solùm, sed propter alias gentes, eas præcipuè, per quas Iudæi transituri erant proficiscentes in terram Chanaan: quæ tot & tantis auditis prodigijs, ingenti obseruãtia & timore Dei, quem colebant Hebræi, eorum animi occuparentur atque complerentur. Patet hoc ex his, quæ dixit Achior Holoferni, vt relatum est in libro Iudith, c. 5. & Raab exploratoribus, & tradit liber Iosue, capite secundo, & ex his quæ dixerunt Philisthæorum sapientes, sicut habet primus liber Regum, cap. 6.

60. *B. August.* Hanc porrò sextam viam, omnium maximè approbauit, maximeque illi institit Beatus Augustinus. Is enim cum alibi, tum præcipuè libro quinto aduersus Iulianum, capite tertio, copiosè disputat, Deũ in Scriptura dici quosdam indurare, & excæcare, & tradere in reprobum sensum, non solùm per patientiam & permissionem, sed per quandã potentiam, & quasi actionem. Facit hęc Deus, inquit Augustinus, miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua non solùm in corporibus hominũ, sed etiam in ipsis cordibus operari: qui non facit voluntates malas, sed eis iam malis vtitur vt voluerit, cum ipse aliquid iniquè velle non possit. Sic ibi Augustinus. Sed hoc ipsum enucleatius traditur ab eodem in quadam quæstione, quam super hac re tractauit. Est autem inter quæstiones eius in librũ Exodi, quæst. 18. Verba S. Augustini sic habent: Vtitur Deus benè cordibus malis, ad id quod vult ostẽdere bonis, vel qđ facturus est bonis. Et quamuis vniuscuiusque cordis in malitia qualitas, suo fiat vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis: vt tamen qualitate mala huc vel illuc moueatur, causis fit, quibus animus propellitur: quæ causæ vt existant, vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta prouidentia, iustissima planè, & sapientissima, vniuersum quod creauit, disponentis & administrantis Dei. Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitij proprij fuit: Quod verò facta sũt ea, quibus cor, suo vitio iam malignum, resisteret iussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispẽsationis fuit diuinæ, qua tali cordi, non solùm iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua pœna timentes Deũ corrigerẽtur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium cõmittatur, aliter auarus, aliter pecuniæ contemptor mouentur: ille scilicèt ad facinus perpetrandum, hic ad cauendũ. Ipsius tamen lucri propositio in alicuius illorum non fuit potestate. Ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos inuenerint iam factos proprijs vitijs ex præterita volũtate. Ita B. Augustinus.

Huic sextæ interpretationi affinis est quam tradit Rupertus libro 7. Cõmentariorum 61. *Rupertus.*

tatiorum in Exodum cap. 21. Ait enim Deum indurasse cor Pharaonis, non propriè ac directè: sed vehementer multiplicando Hebræos, eosque mirè prosperando, quodammodo fecit, vt Aegyptij inuidentes eorum felicitati, nullo modo paterentur eos subtrahi dominationi & imperio suo, sed indurarentur contumaciter resistendo iustitiæ Dei. Ponam hic verba Ruperti: Quid est, inquit, *Ego indurabo cor eius?* Nunquid iniquitas est apud Deū, vt cor Pharaonis prius tenerum, fecerit ipse durum, quo per occasionem duritiæ eius, mirabilia faciendo, glorificaretur? Absit. Sed oderat Pharao & Aegyptij Hebræos, eorumque odium incensum fuerat ex inuidia dicentium: *Ecce populus Israel multus & fortior nobis est*. Nec enim aliter accipiendum est,
Psalm. 104 quod Dauid de Deo dixit: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum suum*. nisi quia dum benedixit & multiplicauit populum suum, creuit Aegyptiorum inuidia, eaque mox profecit in asperum odium. Est autem inuidiæ proprium, vt quanto maiora tribuuntur beneficia eis quibus inuidetur, tanto magis confirmetur inuidia; & quo amplius splendescit, cui inuidetur, tanto magis inuidus indurescat. Ergo Deus indurauit cor Pharaonis non ipsum corrumpendo, sed Hebræos, quos illi oderant iniquè, compatienti charitate visitando. Hoc, ego, inquit Deus, facio intentione charitatis, sed Pharaoni inuidenti proficiet ad incrementum odij, & duritiam cordis. Sic vno eodemque solis iucundo lumine, & glacies dura liquescit, & lutum molle durescit. Sic Rupertus. Hanc ego sextam B. Augustini expositionem, ante omnes laudo & amplector: ad quam prope accedit septima expositio, quæ consequenti proximè Disputatione tractabitur.

NONA DISPVTATIO.

An dicens Scriptura, Deum indurare cor hominis, non loquatur propriè, sed figuratè, quod est euentus, causæ ipsi attribuens.

Chrysostom. explanās verba illa Dñi nostri, quę refert B. Io. c. 17. *Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleretur*, ita scribit: Nō propterea perijt, vt impleretur Scriptura: sed proprius Scripturæ modus est, vt quæ euētus sunt, pro causa ponat. Oīa igitur diligēter inuestigāda sunt, & dicēris mos, & subiectū, & Scripturæ lex. Sic Chrysostomus. Hunc Scripturæ morē enucleatius declarans Damasc. lib. 4. de Fide orthodoxa, ca. 20. Animaduertere inquit, oportet, quod mos sacræ Scripturæ est, quædā, quæ secūdū euentū debent intelligi, causaliter dicere; vt illud: *Tibi soli peccaui, & malū corā te feci; ut iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cū iudicaris*. Nō enim propterea peccauit Dauid, vt vinceret De⁹ peccatū suū: neq; indigebat Deus peccato eius, vt ex illo victor appareret. Sed qa nobis peccātib. nō affert irā suā, sed pœnitētib. parcit, victor mali nostri demōstratur. Non ad hoc aūt nos peccamus, sed ita euenit res. Queēadmodū si quis sedeat operans, & superueniat eius magnus quispiā amicus, ait; Ne operer hodie, aduenit hic meus amicus: nec tamē amicus ideo venit vt ille nō operaretur, sed occupatus circa amici susceptionē, euenit vt nō operaretur: & dīr hæc euētus, quia ita euenīūt res. Sic Damascen⁹.

62. Septima expositio. Cum dicitur De⁹ indurare cor hominis quod est euētus, tribuitur ipsi causa, secundū Scripturæ morem. Chrysostomus. Damascenus.

63. Hoc ipsum nos etiā, sed aliquāto planius docentes, vsitatum esse dicimus in Scriptura, & in cōmuni ac vulgari consuetudine loquendi frequenter vsurpatū, vt cū ex dicto, aut facto alicuius personæ aliquid euenit, etiam præter consilium & voluntatē eius, vulgo credatur & dicatur id factū esse ab illa persona: quasi ea illud voluerit ac designauerit.

Exempli causa, ex peccato mortali sequitur mors animę æterna: quamuis igitur qui peccat non intendat mortem æternam animæ suæ, nec eam habeat odio; quia tamen facit id, ex quo sequitur mors animæ, dicitur odisse animam suam, & velle perditionem eius. Ad quem sensum scriptum est Psal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Sit

Locus Psal. 10. alterum hoc eiusdem rei exēplum. Dixit Iacob filijs suis: *In meam hoc fecistis*

Genes. 43. *miseriam, vt indicaretis ei, & alium habere vos fratrem.* At enim perspicuè constabat, filios Iacob non indicasse Præfecto Aegypti, se habere fratrem alium minimum, eo consilio & voluntate, vt miserum facerent patrē suum: sed qa ex eo quod illi fecerant loquentes Præfecto de fratre suo minimo, secutum est, vt Præfectus iuberet eum duci ad se, eoq; abducto, Iacob in dolore & luctu miser fuit: idcirco hoc quod euenit, attribuit filijs suis, quasi id ipsi ad eum finē consulto fecissent. Quoniam igitur ex longa Dei patientia erga peccatores, & ex eo q̄ Deus nō dat eis gratiam suā; & quoniam circa eos multa facit, qbus illi peiores fiunt; atque hinc euenit eorum obduratio: idcirco, secundum morem illū loquendi, & Scripturæ, & omnium ferè gentium, induratio peccatorum attribuitur Deo, non propriè, sed figuratè loquendo. Sic etiam vulgò dicere solemus de ægroto intemperanti, & præcepta medici contemnenti, & de eo, qui sæpius sese in pericula magna temerè conijcit, istos quærere ac velle mortem suam. Et hæc quidem septima expositio, tres vltimas, maximè verò sextam complectens, est omnium optima & absolutissima.

65. Illud præterea hic annotandum est, Excæcare, & Indurare, verba esse actiua, & propriè sumpta, significare actionem quandam & effectum in ea persona, in quam dicuntur: Siquidem excæcare aliquem, est cæcitatem in eo facere; & Indurare aliquem, duritiem in eo efficere. Non tamen semper ita sumuntur, nec in communi vsu loquendi, nec in Scriptura: interdum quippe ponitur excæcare aliquem, nō pro eo quod est efficere in eo cæcitatem, sed pro eo qđ est, occasionem quandam & incitamētum præbere ad id faciendum, per qđ, animo quispiam & iudicio excæcetur. Hoc ita esse, demonstrat euidenter celebris illa Scripturæ sententia, quæ est libro Exodi, cap. 23. & Deutero. cap. 16. *Locus Deuteron. c. 16.* & Ecclesiast. 20. *Ne accipias munera, quæ excæcant prudentes; & subuertunt verba iustorum.* Manifestum est, munera, cum sint res corporeæ & sensibiles, non posse efficienter attingere corda hominū, nec propriè facere ea cæca: Dicuntur tamen excæcare, quòd nonnullis occasionem præbeant, & incitamento sint ad peruertendum & excæcandum iudicium. Reperimus autem in sacris literis, quatuor res dici excæcare hominē: *Quatuor res excæcāt hominem.* Primò munera, vt dictum est: tum, ipsū Diabolum, sicut dixit Paulus 2. Cor. 4. *Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij.* Deinde, propriam ipsius hominis malitiam: sicut legimus Sapientiæ 2. *Excæcauit eos malitia eorū.* Ac demū apud Isaiam, ca. 6. legimus Deum excæcasse populum Hebræorū. Munera excæcant per occasionem: Malitia hominis excæcat eum meritoriè, quia per eam meretur excæcari à Deo: diabolus excæcat hominem incitando eum ad peccata, & ad perseuerandum in peccatis, vnde accidit ei cęcitas cordis: Deus excæcare dicitur hominem eo modo quo exposuimus in superioribus disputationibus: quod dictum est de excæcatione, idem de induratione sentiendum est.

DECIMA DISPVTATIO.

Quemadmodum Deus tractet peccatores, quos indurare dicitur.

QVO vniuersam eius doctrinæ, quæ est de induratione hominis, tractationem tandem concludamus, iuuat in hac extrema disputatione indicare Lectori, 65. quēadmodum se gerat Deus erga eos, quos indurare dicitur: super qua re omnem hanc disputationem ex varijs diuinæ Scripturæ locis expromemus. Principio

Decem res, quas Deus agit circa peccatores induratos.

cipio finit Deus eiusmodi peccatores induratos, sequi cupiditates & libidines suas, nec ab illis remouet illecebras & irritamenta voluptatum atque vitiorum, nec largitur eis gratiam efficacẽ, qua cõcupiscentiæ & libidinum ardor eorum restinguatur. Vnde in Psal. 80. scriptum est: *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Dimisi eos secundum desideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus suis*. Et in Psal. 72. *Transierunt in affectum cordis*. Idest: Quicquid corde affectauerunt, & concupierunt, assecuti sunt, omniaque eis ex sententia successerunt. Et Paulus ad Rom. 1. disputat, Deum quosdam propter execrandum idololatriæ scelus, tradidisse in desideria cordis eorum. Secũdò; dat eis Deus affluentiam bonorum temporalium, & prosperos rerum omniũ successus: qua illi prosperitate obcęcati, velis (vt aiunt) remisque ad omnia feruntur flagitia, & in suum cæco impetu, ruunt exitium. Rectè itaque in illos dictum est à Salomone Prouer. 1. *Prosperitas stultorum, perdet illos*. Et in Psal. 72. *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum*. idest, ex corde adipato & pingui, propter abundantiam rerum temporalium. Et Ezechiel. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas, & abundantia panis, & otium*. Idcirco Salomon rogabat Deum: *Diuitias ne dederis mihi, ne forte satiatus, illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus*.

Locus Psal. 72.

Prouer. 30.

66. Tertiò, aufert illis Deus beneficium tribulationum, per quas misericorditer castigans hominum scelera, inducit eos ad sanam mentem. Vnde Hieremias, cap. 31. *Castigasti me, & eruditus sum*. Et in cap. 1. Lamentationum: *De excelso misit Deus ignem in ossibus meis, & erudiuit me*. Et Paulus ad Hebræos, cap. 10. *Castigat Deus omnem filium, quem recipit*. Et Ecclesi. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat ei flagella*. E contrario autem, signũ est irati Dei, & indurati peccatoris, salutaria eiusmodi flagella ab eis remoueri: hoc enim minatus est Deus, grauissimæ instar pœnæ, Iudæis per Oseam, cap. 4. *Non visitabo* inquit, *super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, neque super nurus vestras, cum adulterauerint*. Et Prouerb. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium suũ*. Et in Psal. 72. *In labore hominum non sũt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Et Paulus ad Hebræos 12. *Si extra disciplinam estis, ergò adulteri estis, non filij*. Quartò, vetat Deus seruos suos orare pro istiusmodi hominibus induratis: vt hoc etiam auxilio videlicèt priuentur, quo iuuari maximè poterant ad resipiscendum. Dixit Deus Hieremiæ: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudẽ & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te*. Quod si pro huiusmodi hominibus orauerint Deum, etiam viri sanctissimi, Deoque charissimi, non exaudiuntur tamen, nec quidquam orando proficiunt: quod ita fore prædixit Deus per Hieremiam, cap. 15. *Si steterint* inquit, *Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*. Et apud Ezechielem, cap. 14. ait Deus, ipsum quidem Noe, Danielem, & Iob, viros vtiq; sanctissimos, sibique acceptissimos, si id temporis viuerent, & pro Hebræis orarent, haudquaquam suis meritis, & precibus liberaturos fuisse populũ Hebræum à malis, quibus sua culpa erat obnoxius. Quintò, amouet Deus ab istis hominibus medicos spirituales, tam visibiles, vt sunt boni Confessarij, & Prædicatores, alijque saluti animarum, & peccatorum conuersioni ad Deum strenuè operam nauantes; siue inuisibiles sint, vt sunt Angeli boni; & hoc significatum est per Hieremiam, cap. 51. illis verbis, quæ videntur esse Angelorum desperantium de salute Babylonis, & ab ea recedentium: *Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus ergo eam, quoniam peruenit vsque ad cœlum iudicium eius*. Hoc ipsum contigisse incredulis Iudæis, docuit Paulus dicens: *Vobis oportebat primum loqui regnum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita; ecce conuertimur ad Gentes, sic enim præcepit nobis Dominus*.

Locus Hierem. cap. 31.

Locus Hierem. cap. 7

Locus Actor. 13.

Sextò, priuat Deus eiusmodi homines prædicatione verbi sui, quo humanus animus illuminatur & roboratur aduersus tentationes, & spiritualiter pascitur, & alitur ad æternitatem; atque si fuerit in peccatis, excitatur & flectitur ad pœnitentiam, curaturque, & sanat à 67.

morbis spiritualibus. Hanc porrò audiē di verbi Dei priuationem, minatus est Deus per Amos, ca.8. *Ecce*, inquit, *dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Septimò, Dei permissu, & ordinatione fit, vt istiusmodi hominum consiliarij, sint mendaces & fallaces, mala & noxia dā tes consilia, quibus illi fidem habeāt, &

3.Reg.12. in quibus, ingenti sua ruina & exitio acquiescant. Sic Roboam posthabito seniorum consilio, & stultorum iuuenū consilium sequens, magna regni parte spoliatus est. Sic Absalom neglexit consiliū Achitophel vtile sibi, præferens cō silium Chusai, quod eius causa fuit exitij. Vnde in 2. Regum c. 17. ita scriptum est: *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum.* Octauò, sinit Deus aliquando Pseudoprophetas, docentes falsa dogmata, prædicere nonnulla, quę ita eueniant, vt prædictum ab illis fuerat, vt traditur Deuteronomij, c. 13. qn etiam facere prodigia & portenta, sicut facturus esse dicitur Antichristus. Hac re probantur electi, quò magis eorū fidei constantia enitescat: improbi autē, per se iam proni ad flagitia, prædictionibus & portentis pseudoprophetarum decepti, vehementius in peccata ruunt. Sinit itaque Deus, vt qui habentur ab istiusmodi hominibus tanquam Prophetæ, ac sapientes, & ipsi decipiantur, & decipiant sibi credentes: nam, quia nolunt assentiri veritati, iusto Dei iudicio, mittitur illis spiritus erroris, vt acquiescāt falsitati, & probabilior ac plausibilior videatur illis falsitas, quàm veritas. Vide quæ ad hanc sententiam scripsit Paulus 2. ad Thessalonicenses 3.

Locus Ezechiel. c.14. Huc etiam spectat quod Dominus dixit per Ezechielem, c. 14. *Propheta cum errauerit, & locutus fuerit verbum: Ego Dominus decepi Prophetam illum:* nimirū, quia vel somnijs & visis à Deo missis, sed dubiæ significationis, vel etiam ipsis Dei verbis, ambiguæ sententiæ decepti sunt, non verè, sed ex suo sensu & arbitrio ea interpretantes atque intelligentes.

68. Nonò, laxat Deus habenas Diabolo, ampliorem dans potestatem insidiandi & nocendi istiusmodi hominibus: qua ille accepta, omnes suas artes viresque exercet, variè atque efficaciter tentando eos homines: tum seducendo eorum mē tes vanis & falsis opinionibus; tum obijciendo varia obiecta voluptatum, variasque illecebras vitiorum; quin etiam interius turbando phantasmata, & inflammando affectus. *Locus lib. 3 Regū, c. 22* Huius rei admirandum, simulque tremendum exemplum habemus in tertio libro Regum, cap. 22. vbi narratur talis quædam admirabilis visio, quam habuit Michæas Propheta: *Vidi Dominum* (ait Michæas) *sedentem super solium suum; & omnem exercitum cœli assistentem à dextris, & à sinistris. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab Regem Israel; & stetit quidam spiritus coram Domino. Et ait: Ego decipiam illum. Et ait Dominus: In quo decipies? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Et dixit Dominus, Decipies, & praualebis: Egredere & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum qui hic sunt: & Dominus locutus est contra te malum.* Decimò, ab istis hominibus obstinatis remouet Deus omnia præsidia & adiumenta efficacia, quibus protegebantur & defendebantur aduersus incursus & insidias Dæmonum, & tentationes. Aufert etiam quæcunque incitabāt eos & promouebant ad bonum: vt talibus Dei auxilijs orbati, sibique permissi, nusquam non offendant & cadant, atque in exitium suum volentes & scientes ruant: quod pulcherrima similitudine vineæ declarauit Dominus per Esaiam, capite quinto. Sed quia eum locum suprà commemorauimus in disputatione septima ad numerum marginalem 45. superuacuum esset hic eum repetere. Non ero longior in huius materiæ tractatu, & de humani cordis induratione, disputandi finem hic faciam.

∴

BENE-

BENEDICTI PERERII IN DVODECIMVM CAPVT EXODI,

DISPVTATIONES VIGINTI.

Exponuntur hoc duodecimo capite cæremoniæ circa immolationem, esumque agni Paschalis obseruandæ: narratur deinde discessus Hebræorum ex Aegypto.

CAPVT DVODECIMVM EXODI.

DIXIT quoque Dominus ad Mosen & Aa- Versu 1.
ron in terra Aegypti: * Mensis iste, vobis prin- 2.
cipium mensium: primus erit in mensibus an-
ni. * Loquimini ad vniuersum cœtum filio-
rum Israel, & dicite eis: Decima die mensis 3.
huius tollat quisque agnum per familias, &
domos suas. * Sin autem minor est numerus vt sufficere pos- 4.
sit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui coniun-
ctus est domui suæ, iuxta numerum animarum quæ sufficere
possint ad esum agni. * Erit autem agnus absque macula, ma- 5.
sculus, anniculus; iuxta quem ritum tolletis & hœdum. * Et 6.
seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis hu-
ius: immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorum Israel vs-
que ad vesperam. * Et sument de sanguine eius, ac ponent 7.
super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum,
in quibus comedent illum. * Et edent carnes nocte illa assas 8.
igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. * Non come- 9.
detis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm as-
sum igni: caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis. * 10.
Nec remanebit quidquam ex eo vsque manè: si quid

11. residuum fuerit, igne comburetis.* Sic autem comedetis
illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in
pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinan-
12. ter: est enim Phase (id est Transitus) Domini.* Et transibo
per terram Aegypti nocte illa, percutiamq; omne primoge-
nitum in terra Aegypti ab homine vsque ad pecus: & in cun-
13. ctis dijs Aegypti faciam iudicia, ego Dominus.* Erit autem
sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo
sanguinem, & transibo vos: nec erit in uobis plaga disper-
14. dens, quando percussero terram Aegypti.* Habebitis au-
tem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum so-
lemnem Domino in cunctis generationibus uestris cultu
15. sempiterno.* Septem diebus azyma comedetis: in die primo
non erit fermentum in domibus uestris, quicumque come-
derit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die
16. usque ad diem septimum.* Dies prima erit sancta atque so-
lemnis, & dies septima eadem festiuitate uenerabilis: nihil
operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad uescendum perti-
17. nent.* Et obseruabitis azyma: in eadem enim ipsa die edu-
cam exercitum uestrum de terra Aegypti: & custodietis diem
18. istum in generationes uestras ritu perpetuo.* Primo mense
quartadecima die mensis ad uesperam comedetis azyma us-
que ad diem uigesimam primam eiusdem mensis ad uespe-
19. ram.* Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus
uestris: qui comederit fermentum, peribit anima eius de cœ-
20. tu Israel, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ.* Omne
fermentum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris co-
21. medetis azyma.* Vocauit autem Moses omnes seniores filio-
rum Israel, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias
22. vestras, & immolate Phase.* Fasciculumq; hyssopi tingite
in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminа-
re & vtrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium
23. domus suæ vsque manè.* Transibit enim Dominus percu-
tiens Aegyptios: cumq; viderit sanguinem in superliminari,
& in vtroque poste, transibit ostium domus, & non sinet
24. percussorem ingredi domos vestras lædere.* Custodi ver-
bum

bum istud legitimum tibi & filijs tuis vsque in æternum. * 25.
Cumq; introieritis terram, quam Dominus daturus est uo-
bis, ut pollicitus est, obseruabitis cęremonias istas. * Et cum 26.
dixerint uobis filij uestri: Quæ est ista religio? * dicetis eis: 27.
Victima transitus Domini est, quando transiuit super domos
filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios & domos
nostras liberans. Incuruatusq; populus adorauit. * Et egres- 28.
si filij Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Mosi & Aa- 29.
ron. * Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus
omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pha-
raonis, qui in solio eius sedebat, usque ad primogenitum ca-
ptiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumento- 30.
rum. * Surrexitq; Pharao nocte, & omnes serui eius, cun-
ctaq; Aegyptus: & ortus est clamor magnus in Aegypto: ne-
que enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. * Voca- 31.
tisq; Pharao, Mose & Aaron nocte, ait: Surgite, & egre-
dimini à populo meo, vos & filij Israel: ite, immolate Do-
mino sicut dicitis. * Oues vestras & armenta assumite vt pe- 32.
tieratis: & abeuntes benedicite mihi. * Vrgebantq; Aegy- 33.
ptij populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes mo-
riemur. * Tulit igitur populus conspersam farinam, ante- 34.
quam fermentaretur: & ligans in pallijs, posuit super hume-
ros suos. * Feceruntq; filij Israel sicut præceperat Dominus 35.
Mosi: & petierunt ab Aegyptijs uasa argentea & aurea, ue-
stemq; plurimam. * Dominus autem dedit gratiam populo 36.
coram Aegyptijs, ut commodarent eis: & spoliauerunt Ae-
gyptios. * Profectiq; sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, 37.
sexcenta ferè millia peditum uirorum, absque paruulis & mu
lieribus. * Sed & uulgus promiscuum innumerabile ascen- 38.
dit cum eis, oues & armenta, & animantia diuersi generis
multa nimis. * Coxeruntq; farinam, quam dudum de Aegy- 39.
pto conspersam tulerant: & fecerunt subcinericios panes
azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire
Aegyptijs, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti
quidquam occurrerat pręparare. * Habitatio autem filiorum 40.
Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum tri-

41. ginta annorum.* Quibus expletis,eadem die egressus est om-
nis exercitus Domini de terra Aegypti.* Nox ista est obser-
42. uabilis Domino, quando eduxit eos de terra Aegypti: hanc
43. obseruare debent omnes filij Israel in generationibus suis.*
Dixitq; Dominus ad Mosen & Aaron: Hæc est religio Pha-
44. se: omnis alienigena non comedet ex eo.* Omnis autem ser-
45. uus emptitius circumcidetur, & sic comedet.* Aduena &
46. mercenarius non edent ex eo.* In una domo comedetur,nec
47. efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis.*
48. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud;* Quod si quis pe-
regrinorum in uestram uoluerit transire coloniam, &
facere Phase Domino, circumcidetur prius omne
masculinum eius, & tunc ritè celebrabit:
eritq; sicut indigena terræ. Si quis au-
tem circumcisus non fuerit, non
49. uescetur ex eo.* Eadem
lex erit indigenæ & co-
lono qui peregri-
natur apud
50. uos.*
Feceruntq; omnes filij Israel sicut
præceperat Dominus Mosi &
51. Aaron.* Et eadem die
eduxit Dominus
filios Israel
de ter-
ra
Aegypti per
turmas
suas.

∴

DE

DE IMMOLATIONE

Atque Esu Agni Pascalis.

INter omnes sacrarum rerum legales obseruantias, ea quæ ad immolationem, esumq; agni paschalis pertinebat, plurimum apud Iudæos religionis, & uenerationis, ac celebritatis habuit. Nec immeritò sanè: ea quippe solemnitas plurimis, maximeque insignibus cõstabat ceremonijs, nec unius erat tantùm diei, sed in septem dies extendebatur, quorũ primus, & vltimus, admodum religiosus, sanctusque habebatur. Instituta etiam fuerat ad renouandam, quotquot annis, memoriam maximi illius beneficij, quo Deus Hebræos affecerat, cum tot & tantis in Aegypto, ipsorum causa, editis prodigijs, crudelissima eos Aegyptiorum dominatione asperrimaque seruitute liberauit. Sed illam ego principalem, coram Deo, causam tantæ celebritatis fuisse reor, quod immolatio Agni paschalis, illustrissimam faceret significationem, & figuram præferret passionis, & mortis Iesu Christi Domini nostri, per quam humanum genus antiquissima & miserrima peccati ac Diaboli seruitute, horrendoque mortis æternæ reatu aliquando erat liberandum. Multa porrò de immolatione ac esu Agni præcepta Dei, commemorantur in hoc duodecimo capite; super quibus aliquot nobis tractandæ sunt Disputationes. Ac primò quidem disputandum erit de Tempore, quo immolandus erat Agnus. Secundò, de qualitate Agni immolandi. Tertiò, de Personis ad edendum Agnũ idoneis. Quartò, de Modo comedendi Agnum. Quintò de Nomine, quo, festa hæc solemnitas appellabatur. Sextò, cu iusnam rei, postea in nouo Testamento gerendæ, immolatio illius Agni significationem & figuram haberet.

PRIMA DISPVTATIO.

De Mense, quo erat immolandus Agnus, An is fuerit omnino primus Anni mensis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Mensis iste, uobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. *Versu 2.*

TRIA tempora circa immolationẽ Agni paschalis designantur in hoc capite duodecimo: primum enim præcipitur, vt immoletur Agnus in primo mensa anni, vt verba in titulo huius Disputationis posita ostendunt. Deinde iubentur Hebræi, decima die huius mensis tollere Agnum, & seruare eum vsque ad decimam quartam eiusdem mensis: sic enim est in versu 3. ***Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum***, &c. Et infrà versu sexto: ***Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius:*** Adhæc, præcipitur, vt immolatio Agni fiat ad vesperam decimæ quartæ diei primi mensis, sicut in versu sexto scriptum est illis verbis: ***Immolabitque vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.*** Nos in hac prima Disputatione, de Mense, & de Die decimà mensis disputabimus; in altera verò, quæ proximè hanc sequetur, de tempore, quod vocatur, ad vesperam, differemus.

Simplicius, nobilis Peripateticus, & locupletissimus scriptorum Aristotelis Commentator atque explanator, super textum vigesimumquintum libri quinti Physicorum Aristotelis, docet, apud varias Gẽtes variè designari principiũ anni; primumque eius mensem. Athenienses quippe inchoasse annum à Solstitio æstiuo: Romanos, post Numam Pompiliũ, à Solstitio hyberno: Asianos ab Aequinoctio autumnali: Arabas & Damascenos ab Aequinoctio verno: vnde etiam Romani ante Numã Pompilium

1. Simplicius Peripateticus.

De initio anni uaria Gentiũ consuetudines.

pilium initium anni faciebant, decem tantum mensibus annum definientes. Sic ille. Hebræi duplex quondã habuere initium anni: Ante egressionem ex Aegypto, annũ inchoabant ab Aequinoctio autumnali, & primus anni mensis erat qui respondebat nostro Septembri, & postea vocatus ab illis est, nomine Chaldaico Tisri. Hoc enim tempore antiqua & communis omnium Hebræorum fuit opinio, etiã multis Christianorum Doctorũ probata, fuisse mũdum à Deo conditum; qua de re videre poterit Lector, quæ nos in primo Tomo Commentariorum in Genesim, vbi exposuimus opus tertię diei, copiosè disputauimus. Diuina certè Scriptura nõ obscurè indicat, finem & principium anni esse in mense septimo Hebræorũ, qui concurrit cum nostro Septembri, cum præcepit celebrari festum Tabernaculorum in exitu anni, vel redeunte anno, vt est in vigesimotertio, & in vigesimoquarto capite Exodi. Ex quo licet intelligere, septimum mensem Hebræorum, qui respondet nostro Septẽbri, & in quo solennitas Tabernaculorum celebratur, fuisse terminum præcedentis anni, & initium sequentis. Iosephus certè in primo libro Antiquitatũ affirmat, Hebræos primò quidem initium anni habuisse in mense, quem diximus vocari Tisri, proximum Aequinoctio autumnali: sed postea, iussu Dei, primum anni mensem esse constitutum eum, in quo Hebręi liberati sunt Aegyptiaca seruitute, isque multis post seculis Chaldaico vocabulo nominatus est Nisan. Addit præterea Iosephus, in more esse apud Hebræos, in celebratione festorum, & rerum sacrarum tractatione, inchoare annum à verno Aequinoctio, & à mense Nisan: in reliquo autem vitæ vsu, rerumque ciuilium, antiqua vti anni computatione, inchoando videlicet eum ab Aequinoctio autumnali, & mense Tisri, quod apud Chaldæos significat initium. Immo verò iubens hoc loco Deus, primum mensem anni deinceps ab Hebræis haberi Nisan, satis indicauit, eum antea non fuisse primum apud illos mensem, alioqui nouo non fuisset opus præcepto.

Iosephus.

Voluit porrò Deus ab eo tempore inchoari deinceps annum Hebræorum, quò firmior & sanctior esset apud eos memoria beneficij, quo eos ipse à durissima seruitute Aegyptiorum asseruerat in optatissimam libertatem: quæ libertas, ipsis quasi vitæ quoddam initium esse videbatur, cum antea seruitutem, vel ipsa morte acerbiorem seruissent: quocirca Iudæi ab hoc insigni beneficio, deinceps tempora rerum memorabilium dinumerabant, sicut licet cernere in 3. lib. Reg. c. 6. nõ sec⁹ ac nos Christiani, initium computãdi annos à salutifero Christi Domini ortu ducimus. Tempora igitur celebrandi festa, Iudæi expendebant secundum rationẽ huius primi mensis; postea uerò Talmudici exceperunt duo festa, nimirum Iobilæi, & anni septimi, quo terræ dabatur quies. Nam si Iobilæus & annus septimus ab hoc mense primo, qui dictus est Nisan, numeratus fuisset, necesse fuisset, Iudæos duorum annorum prouentu frugum priuari, quando ante eum mensem, quo tempore metenda erat messis anni sexti, Martio videlicèt mense, illa nequaquam esset planè matura: toto autem septimo anno nec metere, nec facere sementem fas erat. Cæterùm multis postea rebus hic primus mensis insigniter nobilitatus fuit. Primùm enim, quotquot annis, maximum Iudæorum festum, Phase, &, simpliciter ac præcisè in Scriptura vocatum festum, celebrabatur. Deinde hoc ipso mense Hebræi ingressi sunt in terram promissionis, ut colligitur ex quarto capite libri Iosue. Hoc mẽ mense Christus Dominus conceptus est, & secundum antiquam plurimorum Patrum opinionem, in hoc mense mũdus à Deo creatus est, qua de re nos benè lõgam disputationem tractauimus in primo tomo Commẽtariorum nostrorum in Genesim, cum exponeremus opus tertiæ diei.

2. Cur principiũ anni a uerno tẽpore sumptũ sit.

Talmudici & Paulus Burgẽsis super hoc caput 12. Exodi.

Sed quia supra dictum est, primũ hũc mensem postea uocatum fuisse Nisan, scire conuenit, Hebræos, ante captiuitatem Babylonicam, nulla mensium habuisse propria nomina, sed eos ex ordine appellasse, primum mensem, & secun-

3. Quãdo Hebræi propria nomina suorum mensiũ habere caperint.

fecundum ac tertium, atque ita deinceps: quibus autem nunc ferè vtuntur Iudæi proprijs mensium nominibus, ea illi à Persis & Medis, maximè verò à Chaldæis in exilio acceperunt: quo fit ut hisce nominibus proprijs non appellentur mēses, nisi post captiuitatem Babylonicam, uelut apud Zachariam Prophetam, Esdram, Esther, & Machabęos, qui post captiuitatem Babylonicam fuerunt, ut pluribus verbis disputat Paulus Burgensis in sua quadam additione ad Postillam Lyrani super hoc caput duodecimum Exodi. Non me fugit, in tertio libro Regum, id est, multo ante captiuitatem Babylonicam, in sexto capite eius libri, secundum mensem appellari Zio, quo etiam modo ibi appellatur à septuaginta Interpretibus, & in octauo capite eiusdem libri, septimum mēsem appellari Elanin, à septuaginta verò Athanin. Sed enim, illa nomina non fuerunt propria illorum mēsium, sed Epitheta: nam pro illo nomine Zio, hebraicè est (hodeszif) qđ ut ex Chaldaico paraphraste liquet, significat Latinè, quasi dicas, mensem apertionis siue splendoris, quòd in eo mense flores se aperiant, eorumque pulchritudo & uenustas tunc splendescat. Vox autem illa (Erhauin) tributa septimo mensi, Latinè significat fortes, vt apertè hoc loco ostendit paraphrastes Chaldaicus; Cur autem septimus mensis qui est autumnalis, respondens nostro Septēbri, nominatus fuerit ab Hebræis, mensis fortium, huiusmodi causam reddit Vatablus, quòd eo mense, fruges & fructus arborum collecti reponantur in horrea: illis autem rebus confirmatur cor hominis, humanaque roboratur uita, uel propter crebra & insignia festa in eo ipso mense celebrari solita, ut est festum Tabernaculorum, & Expiationis, & Dedicationis tēpli Salomonis. Caietanus aliam reddit causam, exponens enim caput octauum tertij libri Regū, ita scribit: Suspicor ideo septimū mensem fuisse nuncupatū mensem fortiū, quod fortes duntaxat hīes resistunt ægritudinibus Autūni, q̄ septimo mense nos pręcipuè uexant. A fortitudine itaq; uitalis uirtutis, mensis

Cur septimus mensis dictus sit ab Hebræis mēsis fortiū

Vatablus.

Psalm. 103

Caietanus.

septimus apud Hebręos cognominatus est mensis fortium, tanquam mense illo manifestetur huiusmodi fortitudo. Sic ille.

4. Nomina Mensium Hebræorū

Lubet hic adscribere propria omniū mensium nomina, quibus usi sunt Hebræi. Primus mensis respondens nostro Martio, dictus est Nisan, cuius mentio fit secundo Esdræ, capite secūdo, & 1 lib. Esther, capite tertio, & undecimo. Secundus, respondens Aprili, vocabatur Tiar, qui libro 3. Reg. cap. 6. (vt diximus) nominatur Zius. Tertius mensis, conueniens cum Maio, dictus est Sinā. Quartus, respondens Iunio, Tamuz. Quintus, conueniens cum Iulio, (Ab) Sextus, concurrēs cum Augusto, Elul; qui memoratur secundo Esdræ, cap. 6. & priori libro Machabæorum, cap. 14. Septimus vocabatur, Tisri, respondens Septembri. Octauus cum Octobri conueniēs dicebatur, (Mar.es.vau.) Nonus, qui cum Nouembri concurrit, Chisleb, vel Casleu, cuius mentionē reperimus secundo Esdræ, & in priori libro Machabæorum, cap. 1. & 4. & in posteriori libro cap. 1. & 10. & apud Zachariam Prophetam, cap. 7. Decimus mensis, dicebarur, Teberh, respondens nostro Decembri. Vndecimus cum nostro Ianuario cōueniens, vocabatur, Sebath. Duodecimus & vltimus mensis respondens Februario, vocabatur Adar, cuius fit mētio primo libro Esdræ, cap. 6. & plurifariam in libro Esther, & in priori libro Machabæorum, cap. 7. & in posteriori, cap. 15.

Sed reuertamur ad primum mēsem, postea dictum Nisan, quem Deus fecit principium anni. Hebræi mensibus vtebantur Lunaribus: itaque principium mensis, erat Nouilunium, dictum Neomenia siue Calendæ, qui dies in quolibet mense festus erat, sicut dicitur in Psalmo 80. ***Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.*** Primus igitur anni mensis erat, Prima Luna, siue Lunatio anni, ferè incidens in Martium, quæ in Scriptura vocatur Exodi 23. & 34. & Deuteronomij 16. mensis nouorum vel primitiuorum, vel nouarum frugum, quòd, circa mensem Martium, in Palæstina segetes maturescere inci-

Ratio noscendi & statuendi primum anni mensem, q erat paschalis. incipiant. Ratio aût cognoscendi quisnam sit primus anni mensis, primaque Luna, in qua Pascha celebrandum erat, hæc à plerisque traditur: primum esse mensem anni & paschalem, cuius pleni lunium propinquius est Aequinoctio verno. Sed enim ea ratio licet plerúq; vera sit, interdum tamen deficit, quinetiam fallit. Deficit quidem, quia potest euenire, vt sint duo Nouilunia æquè distantia ab Aequinoctio verno, quod fit die vigesimo primo Martij, & vnum eorum sit ante Aequinoctium, alterum verò post: tunc, secundum istam rationem, incertum esset, vtrum Nouiluniũ esset principium noui mẽsis. Fallit præterea ista ratio: nonnunquam enim euenit, vt sint duo Nouilunia, & prius quidem sit propinquius Aequinoctio verno, contingens die septimo Martij; alterum verò sit posterius, incidens in quintam diẽ Aprilis, & ideo remotius ab Aequinoctio verno. Tunc igitur, secundum istam rationem, prius Nouiluniũ, esset initium primi mensis, qui est paschalis, cum tamen contra sit, nam est initium vltimi mẽsis: & illud posterius Nouilunium, est principium primi mẽsis. Ergò illa ratio interdum deficit, interdum etiam fallit.

6\. Ratio igitur vsquequaque vera, atq; omninò certa cognoscendi ac statuendi primum anni mensem, hæc est, eum mensem esse primum & paschalem, cuius decima quarta dies incidit vel in ipsum Aequinoctium vernum, vel primo post ipsum: quo fit vt Nouilunium primi mensis nec ante diem octauum Martij, nec post quintum diem Aprilis esse queat. Ac licet tempore Christi Domini nostri Aequinoctium vernum in vigesimum secũdum Martij competebat; tempore tamen Nicænæ Synodi locatum est in vigesimo primo die Martij, vbi etiam nunc post Gregorianam Calendarij correctionem sedem habet. Ex his porrò quæ diximus, apparet, mensem primum anni nunquam totum esse posse intra nostrum Martium, sed excurrere semper in Aprilem, licet fieri possit, vt aliquando totus sit extra Martiũ, nunquam tamen totus esse potest extra Aprilem: potest tamen aliquando totus esse intra ipsum Aprilem: vt plurimum tamen partim cum Martio, partim cum Aprili concurrit & interdum excurrit in Maium. Quoniam autem Hebræi tertio quoque anno vnum mensem intercalabant, bis numerantes duodecimum mensem appellatum ab ipsis Adar, in illo anno intercalari, quia secũdus Adar concurrebat cum Martio, idcirco tunc contingebat, vt primus anni mensis qui vocatur Nisan, inciperet ab Aprili. Verùm super hisce rebus, alijsque eodem spectantibus, plenè, exacteque in Apologia noui Calendarij aduersus Mestlinum, in primo capite primi libri scripsit noster Clauius, Mathematicorum nostri temporis Corypheus. *Christophorus Claui⁹.*

7\. Sequitur vt de altero tempore pertinente ad Agnum qui erat immolãdus, deinceps dicamus. Verba Scripturæ super ea re in versu tertio & sexto huius capitis sunt huiusmodi: *Decima die mensis huius tollat quisque Agnum per familias & domos suas, & seruabitis eum, vsque ad quartam decimam diem mensis huius.* Cur Deus iusserit Hebræos tollere Agnum, & domi suæ seruare quatuor diebus antequam esset immolandus? Quatuor causas afferunt Hebræi: Primam, ne fortè negociorum turba, quibus ad instantem profectionem ex Aegypto sese cõparabant, impediti, hoc Dei mandatum obliuioni traderent: Alteram, quò melius explorare ac dispicere possent, si quod esset in Agno vitium & defectus; talisque esset, qualem esse oportebat, anniculum dico, & integrum atque omnis expertem maculæ: Tertiam, vt ex frequenti aspectu Agni, occasionem haberent inter se sermocinandi de redemptione ac liberatione sua ex Aegypto; eoque alacrius se ad profectionem illã accingerent, & Deo tanti beneficij & gratiæ auctori gratias ex animo agerẽt: Quartam demum, vt fiducia diuinæ protectionis non formidarent Aegyptios. Nam licet Aegyptij hostili odio insectarentur eos qui occidebant vel ad esum, vel sacrificij causa, oues & boues, quibus animalibus diuinum ipsi honorem & cultum adhibebant, adeo vt eos lapidibus obruerent, quemadmodum suprà capite octauo scriptum est: *Cur voluerit De⁹ Agnũ immolandum decima die primi mensis sumi, & domi seruari quatuor ante dieb⁹.*

Deus

Deus tamen, vt ostenderet Hebræis, nihil ipsis suo munitis præsidio nocere Aegyptios posse, mandauit, vt non modo agnum immolarent, sed quatuor antea diebus palam in domos suas ducerent, & ante oculos Aegyptiorum toto illo tempore preparatum ad immolationem haberent. Sed enim hoc præceptum de capiendo Agnum tot diebus ante immolationem eius, tunc tantùm obligauit Iudæos, non autem in posterum. Etenim postea non erat timendum ne Iudæi obliuiscerentur accipere suo tempore Agnum immolandum, cum nullum postea futurum esset ab ea re distrahens impedimentum, & ex quotidiano usu iugis sacrificij, quo unus Agnus mane, & alter uespeti immolabatur, satis exploratum & cõpertum habere, statimque internoscere possent quis Agnus esset idoneus ad immolationem. Quocirca in ca. 23. huius libri, & in cap. 16. Deuteron. & vbicumque de ritu & cæremonijs immolãdi Agni paschalis fit mentio, obseruatio huius cæremoniæ haudquaquã memoratur. Miror autẽ cur Iosephus sub finem lib. 2. Antiquitatem scribat, Dei iussu, Agnum præparari debuisse à die decimatertia usque in decimam quartam; cum apertè Scriptura tradat, à die decima vsque in diem decimam quartam præparatum esse oportuisse.

Iosephus.

8\. *Nomen domus quid significet in Scriptura.* Illud porrò quod dicitur, Agnum sumi debere per domos & familias, nonnullam desiderat expositionem. Nomẽ Domus variè sumitur in Scriptura: Aliquando enim uniuersa congregatio populi Hebræi, nomine domus appellatur vt in Psalm. 113. *In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro.* Aliquãdo pro undecim tribubus Hebræorum excepta tribu Leui, vt in eodẽ Psalmo: *Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est. Domus Aarõ sperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum est* Et paulo infrà: *Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.* Interdum pro vna tantùm tribu; sic dicitur domus Iuda, & domus Leui, vel pro duabus tribubus, vt domus Ioseph significans tribum Ephraim, & tribum Manasse. Sæpè etiam pro familia & pro genie alicuius, vt domus Dauid. Verùm hoc loco non tam amplè accipitur sed pressè ac propriè pro vna congregatione domestica, quæ constat marito, uxore, filijs, & seruis. Nomẽ uerò familiæ idem, sed diuersa ratione significat, atque domus, nisi fortè adiectum fuit id nominis, quòd interdum contingat in una ampla domo plures habitare tenues familias. Sumitur autem nomen Familię in Scriptura nonnunquam amplissimè, multa continens hominum millia. In tribu quippe Ruben, vt legitur Numerorum 26. quatuor duntaxat recensentur familiæ, virorum autẽ eius tribus plus quadringenta tria millia. Verùm hic accipitur familia pro personis habitantibus in una communicatione domestica, sub regimine & cura vnius Partisfamilias. Textus Hebræus habet domos Patrum, septuaginta verò Interpretes habent, Domos patriarum. Quam locutionem exponens B. Augustinus libro de Locutionibus, quæ sunt in libro Exodi, in numero quinquagesimo septimo, sic ait: Quare dicat hoc loco patrias, non facile est intelligere; vtrùm ciuitates in quibus illi manebant, an potius numerosas familias, à quibus illi manabant, an potius numerosas familias, à cuiusque veluti paternitate propagatas, hoc enim magis in græco significari perhibetur. Sic Augustinus. Latinus interpres vocem græcam; πατρία, aliquando sine interpretatione posuit, vt in Psalm. 95. *Afferte Domino patria Gentium, afferte Domino gloriam & honorem.* Alibi vertit familiam, ut in Psal. 21. *Adorabunt in conspectu eius uniuersæ familiæ Gentium.* In tertio autem capite Epistolę ad Ephesios expressit eam uocem vocabulo paternitatis, dicens: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.* Vertit autem ibi paternitatem, ut seruaret in uocibus latinis similem paronomasiam ei, quæ est in gręcis uocibus.

Quid in Scriptura nomen (familia.)

Locus Psal. 95.

Sed ex supradictis oritur dubitatio, vtrũ immolari deberet Agnus secũdũ numerũ domorum tantum, hoc est, in una domo unus tantũ Agnus: An verò si plu- 9.

si plures in una domo essent familiæ, plures item Agni in ea domo secundũ familiarum numerum immolari oporteret. Verùm illud prius, vt cum Scripturæ verbis congruentius, sic procliuius creditu, dictúque probabilius videtur. Quod si domus esset exigua, vt non sufficeret ad comedendum totum Agnum, nolebat eam Deus immolare Agnum; non solùm consulens eius tenuitati ac paupertati, sed ob id potissimum, ne bona pars Agni superesset intacta, quod præcipuè propter mysteriũ, Deus euenire nolebat. Illa verò domus debebat ex alia viciniori & numerosiori domo tot personas assumere, quæ sufficerent ad absumendum Agnum. Tradunt autem Rabbini, personas ad esum Agni sufficientes, fuisse numero decẽ: sed hoc definiri non potest propter disparem Agnorum magnitudinem, & variam ætatem atque affectionem valetudinis & stomachi comedentiũ. Quanquam illorum Rabbinorum traditioni Iosephus etiam suffragari videatur in lib. 7. de bello Iudaico, cap. 17. ita scribens: Cestius rector Iudeæ, vires Ciuitatis, ac florem significare cupiens Neroni nostram gentem contemnenti, petijt à Pontificibus, vt si quo modo possent, multitudinem numerarent. Illi autem, cum dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona hora vsq; ad vndecimam hostias cædunt: per singula verò contubernia, non pauciorum quàm decem virorum sunt; solũ enim epulari non licet, multi etiã vicini conueniunt. Tunc igitur hostiarum quidem ducenta & quinquaginta sex millia, & quingentas numerauere: fiunt autem vt denos epulatores per singulas hostias computemus, tricies centena ac septingenta millia: sancti omnes ac puri; nec enim leprosis, siue vitiliginosis, aut sanguine fluctibus, nec mulieribus menstruo cruore pollutis, neque alijs quocumque modo inquinatis participare sacrificium permittebatur: sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causa uenissent. Hæc Iosephus.

Quot numero, ut minimum esse deberẽt qui agnũ ederant.

Iosephus.

SECVNDA DISPVTATIO.

Quodnam diei tempus denotetur, cum dicitur esse immolandus Agnus ad vesperam diei decimæ quartæ.

SVPER ILLIS VERBIS.

Immolabit eum uniuersa multitudo filiorum Israel ad uesperam. *Versu 6.*

Latinus interpres tẽpus diei decimi quarti, quo immolandus erat Agnus, ferè appellat, ***Ad uesperam***. In libro autem Iosue capite quinto, dixit; ***Vesperi***. Deuteronomij autem 16. posuit, Et ***vesperi, & ad solis occasum***. Hebraicè ad verbum; si Latinè reddas est; ***Inter duas uesperas***. Chaldaicè: ***Inter duos soles***: LXX. Interpretes Leuitici 23. ad similitudinem locutionis Hebraicæ verterunt: ***Inter medium uesperarum***. Verùm quodnã diei tempus significatur cum dicitur: ***Ad uesperam***, siue, ***Inter duas uesperas***, diligenter, & cum cura disquirendum est. Sed ante alia scire conuenit, nomen vesperæ, aut vesperis, duobus modis in Scriptura sumi; vno modo presse ac propriè, altero modo amplè, & extra propriam significationem. Si propriè sumatur vespera, haud dubiè tempus significat, quod est post solis occasum, & ante noctis tenebras: hoc enim probat origo nominis. Vesper enim, vt docet Isidorus lib. 5. Originum, ca. 3. dicta est à vespere stella, quæ proprio nomine vocatur Sydus Veneris, & Solis ortum antegrediens, vocatur Lucifer; eiusdem solis occasum subsequens, nominatur Vesper, uel vt Plautus dixit, Vesperago; Virgilius græco nomine dixit, Hesperum, illo versu: 10.

Quid nomẽ uespera significet.

Isidorus.

Plautus.

Virg. in Ec le. vlt. in fine.

Ite domum saturæ, uenit Hesperus, ite capellæ. ”
”

Scitè igitur Plinius lib. 2. cap. 8. sydus hoc vocauit æmulum Solis ac Lunæ; *Plinius.*

præ-

præueniens quippe exortum Solis, Luciferi nomen accipit, quasi Sol alter diē maturans; contra verò ab occasu refulgens, nuncupatur vesper, vt prorogans lucem, vicemque Lunę reddens. Sic ille. Vespera igitur propriè dicitur, Crepusculum vespertinum, quod in Iudæa præcipuè autem Ierosolymis, ubi altitudo poli fermè est graduum triginta duorum, in Aequinoctijs continet horam unam, & minuta viginti quinque. Et quia vespera est finis diei artificialis, rectè illud dixit Virgilius, libro primo Aeneidos:

Virgilius. *Ante diem clauso componet Vesper olympo.*

Huc etiam pertinet versus ille prouerbialis.

Nescis quid serus Vesper uehat.

Eādem quoque significationem habet vox Hebræa (*Hareb*) à verbo (*Harab*) quod significat ligare, vel obligate, siue vt alij interpretantur, commiscere, quod nimirum Vespera misceat & nectat diem cum nocte; tempus enim vespertinum, partim lucidum est & partim obscurum. Quod autem Vespera proprie sit tēpus diei post occasum Solis, & ante principium noctis, dupliciter ex ipsa Scriptura ostendi potest. In libro enim Iudicum, cap. 19. sunt hæc verba: *Considera quod dies ad occasum decliuior sit, & propinquet ad uesperam.* Vbi pro eodem tempore ponit & occasum Solis, & vesperam. In libro quoque Leuitici c. 23. præcipitur Hebræis, ut Sabbatha sua, id est, festos dies agant à vespera ad vesperam, id est, à Solis occasu ad alterum occasum Solis. Cōsuetudo enim fuit Hebræorum inchoare dies festos ab occasu Solis, cum primum videlicèt in cœlo apparere conspiciebant stellam Veneris, quam vocamus Hesperum.

Locus libri Iudicum, cap. 19.

11. Altero modo nomen vesperæ vsurpatur non propriè, sed amplè: hoc autem modo tres eius vocis vsurpationes memorat Thostatus quæst. 10. in capit. 12. Exodi, Ait enim, uesperam nonnunquā in Scriptura accipi pro tota nocte. Sic enim accipi Genesis 1. vbi dicitur: *Factum est mane & uespere dies unus.* Nam vespere positum est pro nocte: mane autem pro die artificiali: dies enim integer & naturalis ex die & nocte artificiali consistit. Affirmat etiam interdum poni uesperam pro mane, seu diluculo siue crepusculo matutino: hoc enim modo usum esse ea voce Matthæum ca. 28. scribentem: *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, Maria Magdalena, & altera Maria uenerunt uidere Dominum*, quod autem per vesperam Sabbathi, intellexerit diluculum primæ Sabbathi, idest, Diei dominicę, declarauit Marc⁹, qui narrans idem, ait, mulieres illas ualdè mane vna Sabbathorum uenisse ad monumentum. Quod igitur Matthæus dixit: Vesperam, idipsum Marcus vocauit valde mane. Addit præterea Thostatus, nomen uesperæ sumi pro toto tempore, quod est post meridiem vsque ad occasum solis. Ex quo enim sol discedit à meridie, paulatim declinat ad occasū, & hac ratione vtitur Ecclesia vocabulo Vesperę in hymno quem dicit in Hora nona, cùm ait:

Tres significationes uespera nō propriè à Thostato tradi ta, discutiūtur.

Largire clarum Vespere, »
Quo vita nusquam decidat, &c. »

Hæc Thostatus. Ego vt de hac vltima significatione nihil ad præsens dicam, vt de qua dicendi mox idoneus magis erit locus, priores certè duas vsurpationes vesperæ, quas tradit Thostatus, minimè probo. Nego enim uesperam in Scriptura pro ipsa nocte poni: nam uerba illa ex capite primo Genesis ab eo prolata: *Factum est uespere & mane dies unus.* Non quam ipse tradit, sed quam tradiderunt Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, & Augustinus, interpretationem habent. Per uesperam enim ibi significatur dies præcedens artificialis, cuius finis est uespera, & item per mane significata est nox, cui⁹ terminus est mane. Sic autem loqui uoluit Moses, ut significaret completum diem, & plenè terminatam noctem. Ex cōpleto enim die in uespera, et nocte terminata in mane, conficitur integer dies naturalis uiginti quatuor horis constans. Sed hoc nos plenius tractauimus in primo libro primi Tomi Commentariorum in Genesim, ubi exposuimus opus primi diei. Similiter censeo nimis durum atque insolens esse, uesperam poni pro

mane,

manè, cum sint duo tempora inter se admodum diuersa, & quodammodo opposita. Nec Thostati opinionem adiuuant verba illa Matthæi: *Vespera Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi:* illud enim, *quæ lucescit in prima Sabbathi*, non denotat diluculum vel manè diei dominici, sed crepusculum vespertinum, quod erat finis Sabbathi: & ideo dicitur vespera Sabbathi, idemq; erat principium primæ Sabbathi, idest, diei dominicę, ex more scilicèt Iudęorum, qui legales dies inchoabant à crepusculo vespertino. Illud ergo verbũ (*illucescit*) idem valet quod, initium facit primæ Sabbathi, vel incipere facit primã Sabbathi. Sic etiam Lucas est locutus c. 23. scribens: *Et dies erat parasceues, & Sabbathum illucescebat*, idest Sabbathum incipiebat, & aduentabat, sicut bene Iansenius pluribus exposuit super cap. 144. & 145. Concordiæ Euangelicæ. *Iansenius.*

12. *Auctoris sẽtentia de nõ propria significatione vocis vespera.* Nos igitur dicamus, vocem Vesperæ non propriè acceptam, non rarò vsurpari pro tẽpore, quod præcedit occasum solis; non quidem pro quolibet tempore post meridiem, sed pro eo præcipuè, in quo sol iam propè accedit, &, vt Ciceronis vtar verbo, præcipitat ad occasum: tale autem tempus ferè continet tres diei extremas horas. Vetus enim & celebris est quadripartita illa diuisio diei, in Tertiam, Sextam, & Nonã, qualibet earum ternas horas continente: & quartam quidem diei partem Ecclesia vespertinis horis dicendis assignauit. Quod autem hæc vltima pars diei ante solis occasum appelletur Vespera, vsus loquendi Ecclesiasticus satis ostendit. In Hymno enim qui canitur ad horam Nonam, sic est:

Largire clarum Vespere;

id autem est: Largire nobis bonum finem & exitum Nonæ, quæ nimirum in vesperam exit atque desinit. In Hymno item qui ad vesperam dicitur, sunt hæc verba:

„ *Iam sol recedit igneus:*
„ *Infunde lumen cordibus:*

quo intelligitur, vesperam dici non modò cum Sol iam infra horizontem recessit & occidit; verùm etiam ante occasũ, cum est in ipso recessu & descensu ad occasum. Verùm enimuerò vtramque significationẽ vesperæ tũ pro crepusculo vespertino, quod est post occasum solis, & ante initium noctis, tum etiam pro tempore, quo sol nondum occidit, sed iam tamen propinquat occasui, nõ obscurè indicauit B. Matthæus cap. 14. *Duplex vespera apud sanctũ Matthæum.* Narrat enim, vespere facto accessisse ad Iesum discipulos eius, dicentes: *Desertus locus est, & hora iam præterijt: dimitte turbas, vt eũtes in castella emant sibi escas.* Et mox narrato miraculo multiplicationis quinque pannũ & duorum pisciũ, quibus quinque millia hominum satiata sunt, subdit Euangelista: *Et dimissa turba, ascendit Iesus in montem solus orare: vespere autem facto solus erat ibi.* Ecce tibi, eodem in die bis Matthæus nominat vespere; vnum prius, alterum posterius: priori quidem significans tempus ante solis occasum, quo tempore facta est manducatio quinque millium hominum, atque earum dimissio: hoc ipsum verò tempus describẽs Lucas, capite 9. ait, quod dies tunc cœperat declinare: Marcus autem capite 6. quod iam hora multa fieret: Posteriori autem vespere, denotauit Matthæus tempus post occasum solis, & proximum nocti, de quo scribens Marcus, dixit: *Et cum serò esset.*

His breuiter expositis, deinceps nobis disquirendum & pertractãdum est id, quod in titulo huius Disputationis posuimus, Quodnam diei tempus designet Scriptura, cum dixit, Agnum esse immolandum ad vesperam, vel vt est Hebraicè, inter duas vesperas diei decimæ quartæ. Exponam strictim super ea re Auctorum sententias. Prima est sententia, Lippomano minimè displicens, licet is cum dubitatione videatur eam ponere: tempus inter duas vesperas, ipsam esse noctem, quæ inter vesperam diei decimæ quartæ, & inter crepusculum matutinum diei decimæ quintæ interiecta est; nam etiam ipsum crepusculum matutinum nominari potest vespera. Ponam hic verba Lippomani: Fortasse, inquit, quod multa essent in illa nocte peragenda, quæ breui tempore perfici non quirent, duæ vesperæ totam noctem comprehendunt, ab occasu videlicet solis vsque ad eius ortum; 13. *Prima sententia, uelicet, spere, pro nocte.* *Lippoman in Catena Exodi sup hoc loco.*

iuxta

iuxta illud Matthæi 28. *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi.* Hæc ille. Cui ego duas ob causas non assentior: tum, quod facit immolationem Agni paschalis in ipsa nocte decimi quinti diei, quam Deus tamen ad vesperam diei decimæ quartæ fieri præcepit. Cùm enim decimus quintus dies à vespera decimæ quartæ diei, id est, ab occasu solis eius diei inciperet; nox vtique illa nō ad decimum quartum diem, sed decimum quintum pertinebat. Tum etiam quod crepusculum matutinum nominet uesperam; quod suprà refutauimus, & verba Matthæi, quæ citat, secus quā ipse accipit, interpretanda esse docuimus.

14. *Secūda sententia, vespera pro tēpore meridiano, vsq; ad occasum solis.* *Andreas Masius.* Andreas Masius, scriptor eruditus & disertus, in caput quintum libri Iosue, super versu decimo, duas enarrat Iudæorum super hac re sententias: quarum prior est, tempus inter duas vesperas, esse totum meridianum tempus usque ad solis occasum, ut prima uespera, sit declinatio solis à meridie uersus occasum, tunc enim incipit paulatim plenitudo lucis solaris diminui: altera uespera sit ipse solis occasus. Ponam hic ipsa Masij uerba: Pars inquit, Hebræorum maior statuit, fas fuisse, mactādo Agno paschali operam dare ab hora sexta, hoc est, à meridie diei decimi quarti, vsque ad duodecimam horam eiusdem diei, hoc est, ad solis vsque occasum; post verò id agere nefas; tunc enim inchoato iam die decimo quinto, festum agebatur, & agnus cum azymis comedebatur. Hæc opinio, prodita primum videtur memoriæ ac literis, in vetusto quodam Commentario, qui Mechilta inscriptus est: etenim inter alia illic legimus: Dixit Rabbi Nathan: Quid causæ est, cur tempus inter duas vesperas accipiendum sit de eo tempore, quod à sexta hora, ad finem usque diei labitur? Ei responsum est, non quidem adferri posse causam, sed ita esse à Maioribus traditum. Sic ibi. Eodem spectat quod Rabbi Simeon filius Iohai scriptum reliquit, in libro Zohar, uesperam diei, uniuersum illud temporis interuallum, quo sol à meridie in Occidentem deuexus fertur, similiter manè dici tempus, quo sol ortus ascendit ad cœli usque fastigium. Cur autem huiusmodi tempus vocetur, Inter duas vesperas, hanc rationem adfert Rabbi Salomon, quòd id temporis, inter obscurationem diei hora septima inchoatam, & noctis obscurationem, quæ facit initium ipsius noctis, decurrat. Atq; hāc ipsam habuisse opinionem uidetur Chaldæus paraphrastes OnKelus, qui illud: Inter duas uesperas, interpretatur, Inter soles, Orientem scilicet & Occidentem. Idem tradit nobilis Rabbinus Dauid Chinchi. Hanc Hebræorum sententiam maximè probarunt etiam de nostris Lyranus & Thostatus hoc loco, & Iansenius in cap. 129. Concordiæ Euangelicæ: quanquam hic in sententia non permansit, vt paulò infra dicemus. Huic ego sententiæ non habeo aliud opponere, nisi quod mihi quidē nimis durum atque insolens uidetur, totum pomeridianum tempus appellare vesperam, etiam quod proximum est meridiei: id enim nec communis hominum dicendi vsus habet, nec mos loquēdi diuinæ Scripturæ. *Rabbi Salmon.* *Rabbi Dauid Chinchi.*

Alterius Hebræorum sententiæ princeps est Aben Esras, affirmans, tempus inter duas vesperas, esse crepusculum vespertinum inter solis occasum, atque initium noctis intercedens: vt prima vespera, sit occultatio corporis solaris sub Horizonte, altera vespera sit luminis solaris, quod aliquādo post occasum eius in aere apparet, obscuratio siue cessatio. Hanc opinionem secutus videtur Iacobus Stapulensis in caput 18. Euangelij Ioannis, & Hieronymus Oleaster super hoc caput Exodi 12. & Hieronymus Vielmus de opere sex dierum, lect. 11. Verùm hi posteriorem uesperam faciunt, ipsam noctem, priorem verò occasum solis. At enim, supradicti Auctores uidentur confundere tempus immolandi Agnum, cum tempore comedendi ipsum simul cum panibus azymis: Esus namque agni, & panum azymorū fiebat die decimo quinto, vt traditur Leuitici 23. & Numerorum 28. qui dies incipiebat ab occasu solis diei decimæ quartæ. Quocirca crepusculum illud vespertinum, non erat pars diei decimi quarti, sed decimi quinti ipsum 15. *Tertia sententia, uesperam dic pro crepusculo uespertino.* *Abē Esras Iacob⁹ Stapulensis. Oleaster. Vielmus.*

V in-

inchoans. Scriptura verò satis apertè distinguit ista duo tempora, immolandi agnum, atque comedendi ipsum, & panes azymos: immolationem enim agni refert semper ad diem decimum quartum; esum verò eius & panum azymorum ad diem decimum quintū. His accedit, quod isti Auctores ægrè possunt distinguere duas vesperas, inter quas interiectum tempus, dicatum erat immolationi agni: nisi fortè posteriorem vesperam, faciant ipsam noctem diei decimi quinti, quod sanè significationi huius vocis, vespera, vt supra ostendimus, alienum est. Sed enim, his nō obstantibus, videtur haud improbabilis ista sententia: hanc nempe valde adiuuat id, quod scriptum est in hoc capite 12. versu 18. his verbis: ***Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, vsque ad diem uigesimam primam eiusdem mensis ad uesperam.*** Hic apertè dicitur, initium comedendi azyma, fuisse ad vesperam decimi quarti diei: sed initium comedendi azyma, nō fiebat nisi post occasum solis diei decimi quarti, incipiente nimirum iam die decimo quinto: ergo cum simili modo locutus sit de immolatione Agni; dicēs in versu sexto, immolandum esse agnū ad vesperam diei decimæ quartæ; euidēter cōcluditur, immolationem agni fieri consueuisse post occasum solis diei decimi quarti. Nisi fortè dicere quispiā non vereatur, Mosen duobus in locis huius capitis, breuissimo interuallo distantibus voce illa, (ad vesperam) longè diuersa significatione vsum esse; vt priori loco, idest, versu 6. vbi loquitur de immolatione Agni, dixerit (ad vesperam) pro tempore quod propè antecedit occasum solis; posteriori autem loco, hoc est, in versu decimo octauo, vbi agit de azymorum esu, eandem vocem

16. posuerit pro tempore, quod solis occasum subsequitur.

Quarta sententia, vesperā dici pro ultima diei parte ante solis occasum.

Quarta, superioribus probabilior, sēntentia est, Tempus immolandi agnum Paschalem, quod Scriptura vocat (ad vesperam) fuisse decimi quarti extremā partem, hoc est, à fine nonæ ad vsque solis occasum. Antiquitus enim apud Iudæos, dies artificialis duodecim horis constans, quadripartito diuidebatur, in Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperā; quarū singulæ ternas habebant horas, & à fine spatij sui denominabantur, vt Tertia à fine eius quæ erat tertia hora, & itidem Sexta & Nona: quarta igitur diei pars, quæ in solis occasu terminaretur, etiam ipsa nomine vesperæ appellabatur. Tēpus verò à Nona ad solis vsque occasum, appellari vesperā, & communis hominum loquendi mos, atque vsus item Ecclesiasticus iampridem obtinuit; de quo plura paulò suprà diximus. Huius ego sententiæ principē laudare possum auctorem Iosephū, virum *Iosephus.* scilicèt Hebrææ gentis, idest, suæ, legū, traditionum, atque consuetudinū, omniumq; institutorū, & ciuilium, & sacrorum, multo peritissimum. Is quippe in lib. 7. de bello Iudaico, cap. 17. scriptum reliquit, sacerdotes consueuisse paschales hostias cædere atque immolare ab hora diei nona vsque ad vndecimā, fortasse in duodecima & vltima diei hora, immolatus antea agnus assabatur, cęteraq; ad illam paschalem cœnā pertinentia cōparabantur: post occasum nāque solis, incipiente nimirum iā die decimoquinto, tempus erat edendi agnū. Huic sententiæ Caietanus etiam adhæsit: exponens enim illa verba, quæ sunt *Caietanus.* in versu 6. ***Immolabit eum uniuersa multitudo filiorum Israel ad uesperam.*** ita scribit: Iuxta Hebræum habetur: ***Inter uesperas***, quibus verbis statuitur horā occidēdi esse, inter vesperas, hoc est, inter occasum solis, quæ est vna vespera, & inter declinationem solis ad occasum, quæ est altera prior vespera: ita vt tēps hoc duas circiter horas contineat ante solis occasum, vt sic tempus haberent cōmodum ad excoriandum, & coquendum agnū, vt statim post occasum solis possent eū comedere. Hæc Caietanus. Idē sensit, literisq; prodidit Andreas Masius, in eo ipso loco, quē supra memorauimus, ad hanc fermè sententiā scribēs; *Andreas Masius.* Statuendū est, vesperam in Scriptura, illud dici tempus, quo nondū quidem è nostro orbe finiente excessit sol, sed tñ inclinatissimus propè ab occasu abest. Agnus porrò Paschalis mactari solebat extrema parte decimæquartæ diei; cùm autem

autem iam mactatus, deinde esset assandus, cœnaque comparanda, noctem interea aduenisse, quæ ad diem decimum quintum pertinebat: itaque in epulo paschali accubuisse omnes in ea nocte, quæ lucem diei decimiquinti cum præcederet, eius diei esse pars censebatur, hoc enim Euangelicæ etiam historiæ cõsentaneum est, quæ memorat, Christum emisisse duos discipulos ante eam noctẽ, quæ diei passionis suæ imminebat, scilicèt vt agnum paschalẽ mactarent; ipsum autem cum cæteris discipulis, tãdem ὀψίας γενομένης, hoc est, nisi fallor cum serum esset, solque dudum occubuisset, aduenisse, & accubuisse. Sic Masius. Hanc item sequitur sentẽtiam Mar-
Marcellus Francolinus. cellus Francolinus, meus quondam in Philosophia discipulus, non solum iuris Canonici & ciuilis egregiè consultus, verùm etiam in Theologia, Philosophia, & Mathematicis benè doctus: Is ante nouem annos librum edidit de tempore horarum Canonicarum copiosè accuratèque conscriptum, in cuius capite vigesimo, huius sententiæ, posthabitis cęteris, adstipulator, ꝓbatorq;
Iansenius. est. Iansenius item in cap. 143. Concordiæ Euangelicæ, hanc sequitur sententiam, licet super capite 129. eam quæ tertio loco suprà est posita, sequi visus sit.

TERTIA DISPVTATIO.

An esset immolandus Agnus in priori vespera diei decimi quarti, an verò in posteriori vesperæ.

17. DIES decimus quartus, in quo erat immolandus agnus, incipiebat à vespera præcedentis diei, & in diei sequentis vespera terminabatur: Iudæi nãq; festos dies agebant à vespera ad uesperã, vt lex præcipiebat Leui. 23. Cum igitur Deus iusserit immolari agnum ad vesperam diei decimiquarti, quæritur; An id de priori vespera eius diei, an de posteriori sit intelligendum. Sed intelligi oportere de posteriori vespera, probari & persuaderi potest his argumentis. Principio, habet Prima ratio. hoc communis loquendi consuetudo, tam diuinæ Scripturæ, quàm aliarum gentium & linguarum: Cùm enim dicitur vespera huius vel illius diei, non aliud profectò significatur aut intelligitur tempus, nisi extrema pars illius diei artificialis; cuius duo sunt termini, quorum vnus inchoat ipsum diẽ, & vocatur mane; alter verò terminat & claudit, & dicitur vespera, nec aliter de vespera aut sentiunt, aut loquuntur homines. Id antem in sacris literis adeo certũ est, vt cum festi dies Iudæorum agerentur à vespera ad vesperam, sicut illis traditum fuerat Leuitici 23. & prior vespera diei festi initium esset ac pars eius diei; nihilominus tamen eam uesperam Scriptura non assignet diei festo cuius est principium, sed diei præcedenti, cuius erat finis; videlicèt ut communem loquendi consuetudinem sequeretur atque conseruaret. Ponam hic manifestum huius rei exemplum ex versu decimo octauo huius capitis duodecimi, vbi sic est: *Primo mense, quartadecima die mensis ad uesperam comedetis azyma, vsq; ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad uesperam*. Non est dubium, quin azyma non comederentur ante diem decimum quintum; scriptum quippe est Leuitici 23. & Numerorum 28. solẽnitatem Azymorum fieri debuisse die decimo quinto: vespera igitur, quæ initium faciebat edendi azyma, quantum ad rationem temporis Iudaici, procul-dubiò pertinebat ad decimum quintũ diem. Cur igitur Scriptura nominauit eam uesperam diei decimæ quartæ? ob id nempe, quod in more loquendi est apud omnes, referre vesperam ad diem præcedentem, quam illa terminat. Illud præterea in supradictis uerbis animaduertendum est, cùm dicitur vespera decimæ quartæ diei, non posse intelligi priorem vesperam, quæ ipsam inchoabat, sed posteriorem vesperam quę terminabat diem decimam quartam: Si enim intelligeretur prior vespera, sequeretur, per totam diem decimam quar-

tam licuisse comedere azyma; quod est tamen contra Scripturam, quæ esum azymorum assignat diei decimoquinto. Ergo si loquens Scriptura eo loco de esu azymorum, vesperam decimæquartæ diei, intelligit posteriorem eius diei vesperam, consentaneum est, vt cum paulò ante dixit, immolandum esse agnũ ad vesperam decimæ quartæ diei, similiter ibi oporteat intelligi de posteriori vespera eius diei, non autem de priori. Adijce quod pro illo (ad vesperam decimi quarti diei) hebraicè est, *inter duas vesperas*, id autem non potest commodè intelligi & exponi, si vespera diei decimæ quartæ, in qua erat immolandus agnus, ponatur esse prior vespera eius diei, non autem posterior: cũ enim dies à vespera inciperet, tempus illud inter duas vesperas interiectum nõ fuisset decimi quarti diei, qui nondum incœperat, sed decimi tertij. Aut igitur agnus immolandus esset die decimo tertio contra Dei præceptum; aut si die decima quarta inter duas eius vesperas immolatus fuit, propè eius diei posteriorem vesperã immolari necesse fuit.

18. Secunda ratio. Iam verò quæ est in hoc capite Mosaica narratio eorum, quæ præcepit Deus de immolatione Agni paschalis, & de cæremoniali comedendi eũ multiplici ratione rituq; , apertè cõuincunt, agnum esse immolatum in posteriori vespera decimi quarti diei, non autem in priori; idemque deinceps à Iudæis semper esse obseruatum factitatumq; , nam quod in illa prima immolatione agni facere iussi sunt, idem quoque in posterum, quotannis facere eos præcepit Deus in hoc capite, dicens: *Habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solennem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Et paulò infrà: *Custodi tibi uerbum istud legitimum tibi, & filijs tuis, usque in æternum.* Quod autem ex narratione Mosis eluceat, Hebræos tunc immolasse agnum paschalem in posteriori vespera decimi quarti diei, hoc modo concluditur. Præcepit Deus, vt legitur versu sexto, vt Hebræi immolarent agnum ad vesperam decimi quarti diei: Mox verò, in versu octauo, adiungit & alterum hoc præceptũ: *Et edent carnes eius nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Quid est illud. *Nocte illa?* ea videlicèt nocte, quæ proximè sequebatur immolationem agni factam in vespera decimi quarti diei. Sed illa nox, erat decimi quinti diei: esus quippe azymorum non fiebat ante decimum quintum diem, qui incipiebat à posteriore vespera, quæ terminabat decimum quartum diem, vt videre licet Leuitici 23. & Numerorum 28. Si nox igitur illa, in qua comedebatur agnus cum azymis, proximè sequebatur immolationem agni factam ante in vespera, sequebatur autem ea nox proximè posteriorem vesperam diei decimæ quartæ, vnde incipiebat etiam dies decimus quintus: ergò uespera, in qua fuerat immolatus agnus, erat posterior vespera diei decimi quarti ipsum terminans, non autem prior vespera eum diem inchoans. Si enim agnus immolatus esset priori vespera diei decimi quarti, quæ terminabat diem decimum tertium, & inchoabat diem decimum quartum, alterutrum horum sequeretur, aut non ea nocte quæ proximè sequebatur immolationem agni, fuisse manducatum agnum cum azymis, quod, vt dudum diximus, planè aduersatur narrationi Mosis: aut si Hebræi manducassent agnum & azyma ea nocte, quæ proximè consequebatur priorem vesperam decimæ quartæ diei, comedissent vtique azyma in die decimo quarto, non autem in die decimo quinto: non enim illa pertinebat ad diem decimum quartum, præcedebat enim lucẽ diei decimi quarti, à cuius occasu incipiebat dies decimus quintus. Hoc porrò æquè contra præceptum Legis erat, iubentis, esum azymorum fieri die decimo quinto, & perdurare septem diebus vsque ad diem vigesimum primum. Ex quo licet etiam trahere argumentum. Si enim Hebræi comedissent agnum, & azyma ea nocte, q̃ proximè secuta fuerat priorem uesperam diei decimi quarti, comedissent illi azyma, aut certè deinceps comedere debuissent, non per septem dies, vt Lex iubebat, sed per octo: tot enim dies numerantur à priori vespera

ſpera diei decimi quarti, vſque ad poſteriorem veſperam diei vigeſimi primi. Dicet fortaſſe aliquis, eſum azymorum fuiſſe terminatū in priori veſpera diei vigeſimi primi, non autem in poſteriori, ſic autem ſeptem duntaxat dies computari à priori veſpera decimi quarti vſque ad priorem ueſperam diei vigeſimi primi. Sed id falſum eſt: Scriptura enim docet, vigeſimum primum diem fuiſſe totū feſtum ęquè ac primum diē Azymorum: quocirca ſolennitas Azymorū vſque ad poſteriorem veſperam vigeſimi primi diei perdurabat.

19. *Tertia ratio.* Huc accedit, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſtremū paſcha, quod immolauit proximè ante mortem ſuā, eo tempore immolauit, quo ſecundum legem Dei, & ſecundum morem publicum Iudæorum immolabatur; id enim apertiſſimis uerbis docent Marcus capite 14. & Lucas 22. ſed immolauit paſcha cum diſcipulis in poſteriori veſpera diei decimi quarti; ergò ſecundū legem & conſuetudinem Iudæorum, eo tempore immolari debebat. Quod autē Chriſtus in poſteriori ueſpera diei decimi quarti paſcha immolauerit, euidenter oſtēdit hiſtoria Euangelica: Docet enim, ea ipſa nocte, in cuius principio paſcha Chriſtus celebrauerat cum diſcipulis, fuiſſe eum à Iudæis captum; & proximè inſequenti die fuiſſe crucifixum & mortuum. *Chriſtū celebraſſe paſcha in poſteriori ueſpera diei decimi quarti.* Chriſtus itaque in ea ueſpera immolauit paſcha, quæ proximè anteceſſit & noctem in qua capt⁹ eſt, & diem, in quo eſt mortuus: ſed mortuus eſt in decimo quinto die primi mēſis, & in ipſo plenilunio, vt mox oſtendemus, ergò immolauit paſcha in poſteriori veſpera diei decimi quarti: hęc enim proximè anteceſſit noctem diei decimi quinti. Nam ſi agnum immolaſſet in priori veſpera decimi quarti diei, non immolaſſet eum proximè ante noctem, in qua captus eſt, nec ante diē in quo mortuus eſt: prior namque veſpera diei decimi quarti, proximè antecedit noctem diei decimi quarti, & lucem eius diei. Hoc ſanè declarant uerba illa, quę ſunt in Canone Miſſæ: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac uenerabiles manus ſuas*, &c.

Chriſtus itaque Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, cùm celebraret paſcha Iudaicum, ad veſperam: id verò dicitur celebraſſe pridie quàm pateretur, id eſt, proximè ante diem paſſionis ſuę qui fuit dies decimus quintus primi menſis: ergò celebrauit paſcha in poſteriori veſpera diei decimi quarti, ſi enim celebraſſet in priori veſpera eius diei, non utique celebraſſet pridie quàm paſſus eſt. Necuerò paruæ ducenda ſunt auctoritatis uerba illa Canonis, vtpote quæ ab initio fidei Chriſtianæ ab ipſis Apoſtolis in Miſſa eſſe dicta, tradat Hugo S. Victoris, libro 2. de Sacramentis, parte 8. cap. vlt. *Hugo S. Victoris.* A pleriſque tamen creditur, ea fuiſſe Canoni appoſita ab Alexādro I. eius nominis ſummo Pontifice, qui circa annum ab ortu Domini centeſimum, & vigeſimum floruit.

20. *Chriſtū Dominum eſſe mortuū die decimo quinto primi mēſis in plenilunio.* Sed age, doceamus, Chriſtum Dominum eſſe paſſum & mortuum die decimo quinto primi menſis, & in ipſo plenilunio. Hoc certè habet antiquiſſima, & certiſſima Eccleſiæ & Patrum traditio: quam ſequens B. Ambroſius libro 10. Epiſtolarum, Epiſtola 33. vt rem certam tradit, Chriſtum celebraſſe vltimum paſcha in decima quarta luna primi menſis, & in quinta feria, ſequenti autē die, hoc eſt, luna decima quinta, & in feria ſexta fuiſſe crucifixum & mortuum. *S. Ambroſius.* *S. Dionyſi⁹.* Vetuſtiſſimus item & grauiſſimus auctor Dionyſius Areopagita in duabus Epiſtolis, quarū alteram ſcripſit ad Polycarpum, alteram ad Apollophanem Philoſophum, affirmat, oculis ſe ſuis vidiſſe Eclipſim ſolis, quæ cōtigit in tempore paſſionis & mortis Chriſti, factam decima quinta luna, & in ipſo plenilunio. Sed quid attinet vnum & alterum de Patribus, huius ſententiæ probatores afferre, cum ea tanto ſit Patrum, & Theologorum firmata conſenſu, vt ei à quoquam, ſine inſigni temeritatis atque erroris nota contradici nō queat? Audiat Lector uenerabilem Bedam, hoc ipſum quod dixi, comprobantem his uerbis: *Beda lib. de Ratione temporum, c. 45* Quod Dominus noſter luna decima quinta, & feria ſexta crucem aſcenderit, & vna Sabbathorum, id eſt; Dominica die ſurrexerit à mortuis, nulli dubitare li-

cet Catholico: ne tam Legi, quæ agnũ paſchalem decima quarta die primi mẽſis ad veſperam immolari præcipit, quã Euangelio, quod Dominum eadem veſpera tentum à Iudæis, & mane ſexta feria crucifixum, & prima Sabbathi reſurrexiſſe perhibet, videatur incredulus. Sic Beda. Huius etiã ſententiæ acer fuit propugnator in libro 5. de Templo, cap. 3. noſter Ribera, vir in ſacrarum literarum tractatione perdiligens & accuratus. *Franciſcus Ribera.* Verùm de tempore, quod ad immolationem Agni paſchalis pertinebat, hactenus quæ à nobis diſputata ſunt ſatis fore Lectori puto.

QVARTA DISPVTATIO.

Tempus immolandi Agnum paſchalem, quidnam de Christo ſecundum myſticum ſenſum præfiguraueritat.

21. VNIVERSA hæc ſollẽnitas Agni paſchalis, expreſſam prætulit figurã Chriſti Domini noſtri, qui ob hanc etiam cauſam tam in veteri quàm in nouo Teſtamento, nomine ac ſimilitudine Agni præcipuè inſignitur. Hunc quippe Agnum ad nos mitti, flagrantiſſimè cupiebat & deprecabatur à Deo Iſaias dicens: *Isa. 16.* *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion.* Idem admirabilem atque incomparabilem Chriſti patientiam & manſuetudinem, quam in ſua paſſione demonſtraturus erat, Prophetico ſpiritu præuidens dixit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionẽ ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet & non aperiet os ſuum.* Ioãnes quoque Baptiſta videns ipſum exclamauit: *Ioan. 1.* *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Paulus etiam alludens ad hanc celebritatem Agni paſchalis, ſcripſit de Chriſto: *1. Corin. 5.* *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur; non in fermento ueteri neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & ueritatis.* Eodem ſpectat quod reliquit ſcriptum B. Petrus his verbis: *1. Petr. 1.* *Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de uana conuerſatione ueſtra paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati*, &c. Huc etiam pertinet, quod in Apocalypſi tradit Ioannes: *Apocal. 5.* *Vidi, inquit, & ecce in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem, tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, et oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.* Valet etiã ad hoc illuſtrandum quod ait B. Hieronymus *S. Hieronymus.* explanans verba illa Iſaiæ, quæ paulò ſupra memorauimus: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuũ.* Hoc enim modo ſcribit: Hoc Iſaiæ teſtimonium cum Reginæ Cãdacis Eunuchus legeret, & non intelligeret, vt traditur in Actibus Apoſtolorum, *Actor 8.* interpretante Philippo ſuper paſſione, & nomine Saluatoris intellexit: Et ſtatim baptizatus in ſanguine Agni quem legebat, vir meruit appellari, & Apoſtolus gẽti Aethiopum miſſus eſt. Qui igitur oblatus eſt Pilato, quia ipſe uoluit, & interrogatus non reſpondit, ut patibulum pro nobis damnatus aſcenderet; ipſe tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente obmutuit. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quem Ioannes monſtrabat, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce quì tollit peccata mundi.* *Ioann. 1.* Qui & in Apocalypſi Ioannis, Agnus occiſus ſæpè memoratur. *2. Corint. 5* Qui de ſeipſo loquens in Hieremia: *Hiere. 11.* *Ego ſicut Agnus innocens, & ductus ad uictimam, neſciebam.* Cum enim neſciret peccatũ, pro nobis peccatum factus eſt, *Ad Heb. 2.* & ſicut agnus cum ducitur ad uictimam, non repugnat, ita Chriſtus uoluntate ſua paſſus eſt, ut deſtrueret eum, qui habebat mortis imperiũ, humilians ſe uſq; ad mortem, & mortem Crucis. *Ad Phil. 2.* Hic eſt Agnus ille, in cuius typo quondam ab Hebræis immolatus eſt agnus, cuius cruor linitus in poſtibus, exterminatorem fugabat Aegypti. Qui non ſolùm ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit, vt algẽtes infidelitate, ſua ueſte calefaceret, & audiremus Apoſtolum nobis loquentem: *Ad Gal. 3.* *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et

in

Ad Ro. 13. in alio loco: *Induimus Dominum nostrum Iesum Christum.* Hactenus ex beato Hieronymo.

22. Sicut aũt illud, quod de Agni paschalis esu Deus pręceperat Hebræis, & legitur in hoc capite 12. Exodi, versu 46.
Ioann. 19. *Os non frangetis ex eo*, docet B. Ioannes dictum in mysterio fuisse de Christo, cuius in Cruce mortui non sunt à militibus fracta crura: ita cæteras in Agni paschalis immolatione atque esu à Deo præscriptas, & ab Hebræis obseruari solitas cæremonias, mysticam itidem Christi significationem habuisse, haudquaquam dubitãdum est. Verùm ad præsens, tempus immolandi agnum in primo mense anni, & in primi mensis decimo quarto die ad vesperam, quemadmodum mysticè præsignauerit ac præfigurauerit passionẽ Domini no-
Hebræorum traditio. stri, breuiter ostendamus. In antiquiorum Hebræorũ scriptis proditũ est, quo mẽse anni, & qua die eius mẽsis, cõsecuti sunt Hebręi libertatẽ depulsa seruitute Aegyptiaca, posteris deinde consequentibus temporibus, eodẽ planè anni mense, atque eodem die, Messiam Hebræis perfectam libertatem esse allaturum. Ponam hic quod ex ueteribus He-
Andreas Masius. bræorum monumentis memorat Andreas Masius super caput 5. Iosue, ad decimum uersum, his uerbis: Addam unũ hoc loco memorabile sanè, qđ in Talmud scriptum reperi, vbi de anni principio disputatur: celebrem fuisse, & ueterem opinionem apud priscos Iudæos, qui dies vertentis anni fuisset libertatis Aegyptiacæ initium Hebræis, eundem olim ipsis fore initium quoque libertatis, quam essent a Messia recepturi. Quàm autem id pulchre cum nostræ religionis consentiat doctrina, nemo non uidet, adepti sunt enim illi in Aegypto libertatem mense primo medio, hoc est, cum Luna ex aduerso opposita Soli, toto suo luceret orbe: Christus quoque Dominus eodem illo mense, lunaque similiter affecta, nobis ex Cruce libertatem sua morte dedit. Hęc ex Masio. Similia (nisi fortè sint eadem) tradit
Eugubin⁹. Eugubinus super hoc loco Exodi, ad eandem ferè sententiam scribens: Non est hic silentio prætereundum, hunc diem uenerabilem Hebræis fuisse, vt in eo multis & post annis, præclarissima multa euenisse commemorent. Sed quod est præcipuum, atque omnem eorum pertinaciam conuincere facilè possit, sentiunt nobiscum, eodem die redimendum esse populum Israel à Messia, quem ipsi uenturum expectant. Ponam hic eorum verba, Latinè reddita, ex libris Chabalæ hunc in locum transcripta. Sic autem illic est: Et in eadem die, videlicèt quinta decima die mensis Nisan, qui respondet nostro Martio, redimendus est Israel in diebus Messiæ: quemadmodum redempti sunt eo die ex Aegypto, de quo scribitur: In diebus egressionis tuæ ex Aegypto, ostendam mirabilia. Sic est eo loco. Ecce, refragari gens pertinacissima non potest, quin ille sit verus Messias quem nos colim⁹, qui eadem illa die uniuersum redemit genus humanum. Condemnabuntur, ipsis contra se testimonium ferentibus. Hæc ibi Eugubinus.

Rupertus autem bene declarat, quodnam mysterium ad Christum pertinẽs, latuerit in eo, quod Hebræi verno tempore, atque ipso plenilunio, ubi paschalem agnum immolassent, & comedissent, Aegyptiaca seruitute libertati sũt. *23. Rupertus.*
Docet item, quid mysterij habeat id, quod præceptum à Deo est Hebræis, vt decima die primi mensis tollerent agnum, eumque seruarent domi vsque ad decimam quartam diem, in cuius uespera erat immolandus. Verba Ruperti, visa mihi sunt hoc in loco adscribẽda: in libro enim secundo Commentariorum in Exodũ, ita scribit: Primo ipsum quo immolatur agnus, pleniluniũ, mystica illa plenitudo temporis est, de qua dixit Apostolus ad Galatas quarto: *Vbi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filiũ suum factum ex muliere, factum sub lege, ut, eos qui sub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus* In plenitudine namque temporis, id est, quando multus iam impletus erat Electorum numerus, apud infernalem Aegyptum, redemptionem suam expectantium, tunc uenit Filius Dei, & Agnus Dei, qui tolleret peccata mundi. Quid illud, quod non ante, sed post vernum

V 4 Aequi-

Aequinoctiũ immolatus est legalis agnus? Nempe, ab Aequinoctio verno superare incipit dies noctem: nam ante illud tẽpus prolixiores tenebras, breuioremque habemus lucẽ. Ergo & in hoc, mysterium est, quia videlicèt ab immolatione incontaminati & immaculati Agni Christi, cœpit lux iustitiæ, peccatorum tenebras superare: nam antea, lõga & profunda peccatorum nox; breuis autem & nubilosa legalis iustitiæ lux erat. Sed & ipsa mensis Nisan, idest, Aprilis verna temperies, cum tellus teflorescit, totusq; post hyemem, quasi post senium, rursus iuuenescit orbis, nonne sensatũ hominem docet, quatenus spiritu mẽtis suę renouatus, & fide viridis, speq; lætus, & charitate floridus, spiritualibus Agni paschalis intersit epulis? Benè igitur verus ille Agnus, immolationis suę tempus ipsum quod typico præscripserat Agno, per omnia prouidit, mense primo decima die mẽsis, quo secundum legem, Agnus in domos Iudæorum tollebatur, intrauit in sanctam Ciuitatem Ierusalem, turbis deducentibus: & quamdiu item secundum Legẽ, ille Agnus seruatus est, tamdiu & iste circa Ciuitatẽ eãdẽ, & circa templũ demoratus est, idest, vsque ad quartamdecimam diẽ mensis eiusdem; sanctæ Scripturæ herbam ruminans, & ad vitæ æternæ pascua interim suos auditores iugi balatu inuitans. Tandem, quartadecima die ad vesperam, vbi illum Paschæ veteris Agnum comedit cum Discipulis, tunc ipse noui sacrificij Agnus continuo capiendus, & ducẽdus ad immolandum, iam in angustia passionis agonizans, prius proprijs manibus Deo Patri seipsum immolauit, accipiens panẽ & vinum, & mira atque ineffabili sanctificationis potentia, transferens hoc in corporis & sanguinis sui Sacramentum. Nam, quod deinde manibus peccatorum crucifixus & mortuus est, idẽ Agnus præteritorum atque præsentiũ salus omnium cõtinuo fuit: & ad illos qui in inferiori Aegypto, idest, in tenebris infernalibus detinebantur, descendit; quique per quinque retroactas mũdi ætates, ibidem fuerant collecti. Vnde constat, rectè quinque diebus, à decima scilicèt vsque ad quartamdecimam primi mensis, Agnum seruari solitum; quia videlicèt, ex quo in typum eiusdẽ Filij Dei, primus Abel Agnum obtulit, quinque fluxerunt ætates mundi, quarum in fine immolandus erat hic verus Dei Agnus. Hactenus ex Ruperto.

QVINTA DISPVTATIO.

Quale animal esset immolandum, hoc est, de Agno & Hœdo.

SVPER ILLIS VERBIS.

Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, uersu 3. Et, *Iuxta quem ritũ tolleris & hœdum.* *Versu 5.*

VOX Hebræa (*Seh*) indifferenter significat Agnum & Hœdum, vt colligit Oleaster ex c. 14. Deuteronomij; quã ob rẽ nonnulli vertere hic maluerunt (*pecudem*) LXX. Interpretes transtulerunt, πρόβατον, idest, ouẽ. Verùm, vt annotauit August. q. 43. in Exodũ, non poterat commodè hoc loco verti (*ouis*) quia pcipitur hic vt animal illud in Phase immolandum, sit masculum, nec poterat Latinè verti ouis mascula: poterat quidem dici pecus masculum, sicut Poeta dixit, thus masculum; sed ita non seruabatur Sacramentum, ad Christum videlicèt pertinens. *14.* *Oleaster.* *B. August.*

Quidam autem Hebræorum arbitrati sunt, potuisse in Phase immolari non modò agnum vel hœdum, sed etiam vaccam, vel taurum, hoc est, vitulum anniculum; tum quia Deuteronomij cap. 16. scriptum est: *Immolabis Domino Phase de ouibus & de bobus*: tum etiã, quia in qualibet domo sufficienti ad edendum, immolari debebat illud animal paschale: poterat autem esse domus aliqua & familia vsque adeò numerosa, vt ei non sufficeret ad esum vnus agnus vel hœdus; plures autem vno, in vna domo immolari fas non erat: *An præter agnum & hœdum potuerit immolari aliud animal in Phase.*

erat: quare in eiusmodi familijs, vitulum immolare licebat: Hæc isti: quorum falsam opinationem, friuolumque commentum, parui fuerit negotij refellere. Etenim, nusquam in Scriptura, vbi de hac solênitate paschali agitur, aliud vllum animal, nisi agnum vel hœdum, immolari posse indicatur: nec sanè id Scriptura tacuisset, si fieri aliquando potuisset, aut etiam debuisset. Enimuerò, quæcumque Deus in celebrandis eiusmodi festiuitatibus, obseruari voluit ab Hebræis, ea ipse explicatissimè ac subtilissimè tradidit omnia, quibus nihil addi ab illis, nihilq; dettahi iussit: sic enim in Deut. c. 4. scriptum est, Deum dixisse Hebræis: *Ecce præcepta quæ ego præcipio vobis: Non addetis ad verbum quod uobis loquor, nec diminuetis ex eo.* Nec sanè ostêdi potest, fuisse illo tempore apud Hebræos in more atque vsu, in celebratione Phase aliud immolari animal, quàm vel agnum, vel hœdum.

25. *Locus Deuteron. c. 16.* Verba porrò illa Scripturæ ex cap. 16. Deuteronomij, ab istis prolata pro suæ opinionis confirmatione, secus, quã ipsi acceperunt, sunt interpretanda. Eo namq; loco non agitur de immolatione Phase, quæ à qualibet familia fieri debebat ad vesperam decimæ quartæ diei primi mensis; sed agitur de hostijs pacificis, quæ erant ex bobus, aut ouibus, aut capris, quas populus offerebat tum aliàs, tum maximè in tribus illis solennitatibus, Phase, Pentecostæ, & Tabernaculorum. Ter enim in anno Lex iubebat Hebræos ire ad têplũ, ferentes secum animalia ad immolandũ hostias pacificas, vel portantes pecuniam ad ea emenda; tunc autem debebant uocare peregrinos, & aduenas, & Leuitas, & pauperes, vt vna secũ uescerentur; taliũ enim hostiarũ pars incendebatur Deo, & pars dabatur sacerdotibus, pars quoque cedebat in usum esumque offerentium. Lege caput 12. & 14. Deuteron. Quæ uerò sacrificia per singulos illos septem dies solennitatis paschalis offerri deberent, docet Scriptura Numeror. vigesimooctauo. Ratio prætera, qua isti ad firmandam suam opinionem vsi sunt, leuis, ac nihili est. Non enim Hebræi paschalem agnũ edebant ad lautè epulandum, & satiandum appetitum, sed in memoriam & figuram, & sensibilem quandam repræsentationem illius maximi, quo Deus in Aegyptò affecerat eos, beneficij, cũ mirabiliter eorum domos & familias seruauit à cæde primogenitorum, quæ per oẽs domos Aegyptiorũ atrociter grassabatur: atq; ea potissimùm ratione, asperrimo seruitutis iugo à ceruicib. eorũ depulso, optatissimã in libertatẽ asseruit. Quocirca, ad immolationẽ Phase, satis erat, quantumuis paruũ agni frustũ singulos edere: ad explendam namque famẽ, alijs deinde cibis vti poterant. Nõ igitur impossibile erat, vnum agnum sufficere plurimis: sicut vnus panis benedictus minutatim diuisus, sufficit omnib. qui sunt in templo, paruum frustum quolibet eorum sumente.

26. *Disceptatio cũ Paulo Burgẽsi, negante, paschalẽ immolationẽ potuisse fieri ex hœdo.* At enimuerò, Paulus Burgẽsis in sua quadam additione ad Postillam Lyrani super hoc loco Exodi, pugnaciter contendit, nec fas Hebræis fuisse, nec morem, vllo tempore, aut vllam ob causam in celebratione Phase hœdũ immolare, sed agnum tantummodò immolari debuisse. Et quia hoc apertè habet Latina lectio huius loci Exodi, idcirco eam reprehendit tanquã Hebraicæ veritati minimè respondentem atque consentientem. Lubet hic cõmemorare verba Burgensis, vt eius sententiã, ex proprijs ipsius uerbis planius Lector agnoscat. Sic autẽ ille scribit: Hæc immolatio paschalis, secundum Doctores Hebræos, de agno tantùm debebat fieri, non autẽ de hœdo: quod etiam congruit tam causæ literali huius sacrificij, quàm figurali. Primum patet: nam secundum Rabbi Moysem Gerundensem, & alios, iubebatur agnus occidi primo mense, quia signum Arietis tunc potissimùm est in suo statu, & tunc sol est communiter in eodẽ signo, & quia Aegyptij Arietẽ venerabantur, ideo voluit Deus ostẽdere, quod non solùm Aegyptios, sed etiam Deos eorum iudicabat, & puniebat, sicut ipsemet dixit: *Et in cunctis Dijs Aegypti faciam iudicia.* Quę quidẽ ratio nõ haberet locũ in hœdo: hœdus namque habet propriũ signũ in Cęlo, nõ in Ariete, sed in Capricorno, quod est decimũ signum,

signnm, in quo sol est communiter in decimo mense, computando à primo. Patet etiam rationem figuralem illius sacrificij non hœdo, sed agno conuenire: Christus quippe in sua passione nō per hœdum, sed per agnum significatur, vt apud Isaiam, capite quinquagesimo tertio: *Tanquam agnus coram tondente se, obmutuit*. Et plusquam Propheta Ioannes Baptista dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Christus etiam de extremo iudicio loquens, vbi separabuntur iusti ab iniustis, per agnos significauit iustos; per hœdos autem iniustos, vt dicitur Matthæi 25. Valdè igitur inconsonum rationi figurali illius sacrificij erat, vt hœdus in eo immolaretur.

Ioan. 1.

Quod autem in translatione nostra Latina habetur Exodi 12. versu quinto: *Iuxta quem ritum tolletis & hœdum*. id non consonat hebraicæ veritati, quæ sic habet: *Ex arietibus & capris accipietis eū*. quorum verborum sensus est, quod agnus ille immolādus, accipiendus erat de aliquo grege, in quo essent arietes & capræ, prout communiter solent associari. Quod sanè congruebat rei figuratæ: Ille etenim verus agnus, qui peccata mūdi abstulit, & à iustis, qui per agnos, & à peccatoribus, qui per hœdos denotantur, secundum carnalem generationem, descendit, vt Doctores tradunt, exponentes Genealogiā Christi Matthæi 1. & Lucæ 3. & super hunc locum Exodi, ait Glossa: De iustis & peccatoribus Christus carnem assumpsit, vt nemo de venia desperaret. Nec obstat quod aliquando per hœdum Christus figuretur, vt in Leuitico cap. 16. de hirco, qui portabat omnes iniquitates populi in terram solitariam: quia ibi per hircum significatur Christus, quatenus habuit similitudinem carnis peccati: vnde ibi non dicitur quod hircus ille esset sine macula, sicut hic dicitur de agno paschali, per quem figuratur Christus sub ratione mansuetudinis & innocentię. Hactenus fuere verba Burgensis.

Glossa.

27. *Refellitur Burgensis.* Sed Burgensi refragantur omnes, tā Hebræi, quàm Latini expositores, omnesque patres, qui de mysterio huius paschalis sacrificij disseruerunt. Immò uerò hoc ipsum indicat lectio hebraica, quam citat Burgensis; *Ex ouibus & capris accipietis eum*. Illud; *Eum*, refertur ad uocem hebræam (Seh) paulò ante positam, quæ, ut diximus, promiscuè atque indifferenter significat agnum & hœdum. Illud itaque: *Accipietis ex ouibus*, indubiè significat agnum: illud uerò; *Ex capris*, significat hœdum, idque clarissimè ostendit translatio LXX. Interpretum, quæ habet: *Ab agnis & hœdis sumetis eum*, id est, animal immolandū, vel erit ex agnis, uel ex hœdis. Vox enim hebraica (Vaf) aliquando est coniunctiua, & ponitur pro (&) nonnūquā uerò est disiūctiua, & sumitur pro (aut) siue, (uel) quo factum est, ut interpretes partim uerterint: *Ex ouibus & capris sumetis eum*, partim uerò: *Ex ouibus vel capris sumetis eum*. Sensus porrò, quē horum uerborum tradit Burgensis, est planè friuolus, & ridiculus: ait enim istis uerbis significari, agnum debere sumi ex eo grege, in quo una cum ouibus & arietibus sint seruatæ capræ. Quid enim ista consociatio ouium cum capris facit ad rationem agni paschalis? Num si agnus ex grege tantùm arietum & ouium sumptus esset, ad illud paschale sacrificium non fuisset idoneus? nugæ. Noster itaque Latinus interpres sententiam lectionis hebraicæ clarius exprimens, separatim & distinctè posuit electionem agni ad illud sacrificium paschale, & item hœdi: nam ubi dixisset de sumendo agno, subiunxit in uersu quinto uerba illa: *Iuxta quem ritum tolletis & hœdum*. Quibus uerbis non significatur, immolari debuisse utrumque animal, agnum dico & hœdum, uel una simul immolatione, uel diuersis immolationibus: nam & hoc quidam censuerunt dicentes, agnum fuisse immolatum decima die primi mensis in singulis domibus & familijs Hebræorum, hœdum verò unū ab uniuerso populo Hebræo immolatum fuisse decima quarta die eiusdem mensis: quorum sententia meritò rectèque confutata est à Lyrano, & Thostato. Illis ergò verbis hoc tantùm significatur, vt exponit Theodoretus quæst. 24. in Exodum, agnum esse immolandum; si cui tamen agnus deesset, posse immolari hœdum, eodem tamen ritu,

Friuolum quorundā commentū.

Lyranus. Thostatus. Theodoretus.

ritu, iisdemque cæremoniis, quibus agnum immolari oportere dictum est.

28. *Cur voluerit Deus in sacrificio paschali agnum vel hœdum potius, quàm ullū aliud animal immolari.* Sed cuperet forrasse Lector hoc loco scire, cur Deus in paschali sacrificio, agnum vel hœdum immolari voluerit, potius quàm vitulum, aut quodcumque aliud animal. Respondet Lyranus, id esse factum in detestationem idololatriæ Aegyptiorum, qui Iouem in figura arietis colebant: sed id futile est: ob eam namque causam non agnum, sed arietem immolare debuissent Hebræi; vel potius bouem aut taurum, in quo Aegyptij maximum numen suum Apim colebant. Videtur igitur illa potius fuisse causa, quòd agnum, vel hœdum, cùm sit paruum animal, quilibet, exiguo pretio habere poterat. Quanquā principalis causa, & principaliter à Spiritu sancto intenta, fuit propter figurā Messiæ, qui sacrificio illo paschali multifariam præfigurandus erat. Messias autem ob mansuetudinem atque innocentiam, aptissimè præsignabatur per agnū, ob idque sic appellatus est ab Isaia, capite 53. & à Ioanne Baptista Ioan. 1.

Rom. 8. 2. Corint. 5 Isaia 53. Quoniam autem Christus habuit similitudinem carnis peccati, & factus est pro nobis peccatum, vt ait Paulus, & vt dixit Isaias: *Cùm iniquis reputatus est*, & carnem accepit, tam ex iustis, quàm ex peccatoribus generationis suæ carnalis originem trahens, & mortuus est pro peccatoribus; hac ratione etiam per hœdum adumbratus & præfiguratus est.

29. *Qualē esse oporteret Agnum paschalem.* Sequitur vt videamus, qualem esse oportuerit agnum, qui erat in paschali sacrificio immolandus. Hoc docet Scriptura in hoc capite 12. Exodi, versu 5. illis verbis. *Erit agnus sine macula, masculus, anniculus.* Tria igitur præcipiuntur de Agno, qui futurus est idoneus sacrificio paschali, vt sit absque macula, & sit masculus, & sit anniculus. Pro illo (sine macula) græcè est ἄμωμος, id est, irreprehensibilis. Non autem hic vocatur macula varietas coloris in corpore; sed defectus aliquis, vel vitium, vel morbus, vel deformitas, vel monstrositas, vel in toto, uel in parte corporis. Quibus uerò maculis carere oporterent pecora, Deo immolanda, distinctè, expressèque docet Scriptura in uigesimo secundo capite Leuitici, his uerbis: *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel spontè offerens, tam de bobus, quàm de ouibus, immaculatum offeret, vt acceptabile sit; omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, & in terra vestra hoc omninò non faciatis.* Cùm dicitur porrò, agnum esse debere anniculum, non est intelligendum, exactò iam uno anno agnum esse debuisse, sic enim non agnus fuisset, sed aries: nec significatur, toto illo spatio primi anni ab ortu usque eius, potuisse immolari; apertis namque uerbis Scriptura uetat, ante octo dies ab ortu ullum animal Deo immolari, ita præcipiens in libro Exodi, cap. 22. *Septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi.* Et in Leuitico, cap. 22. *Bos*, inquit, *& ouis & capra cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub vberibus matris suæ: die autē octauo, & deinceps offerri poterunt Domino.* Sensus igitur est, agnum in paschali sacrificio immolandum, esse debere anniculum, id est exactis iam septem diebus ab ortu, & ante finem primi anni.

30. *Si nomē Agni significat marē cur dictum est, agnum debere esse masculum.* Sed nonnihil habet disputationis, quod in hoc loco dicitur, agnum esse masculum oportere: Si enim agnus est, masculum item esse necesse est: superuacuè igitur Latinus interpres, cùm præmisisset nomen Agni, adiecit postea nomen masculi. Quidam aiunt, uocem hebræam (Seh) de qua dictum est supra, propriè significare pecudem, siue sit ex ouibus, siue ex capris, id est, siue agnū, siue hœdum: nec certum denotare sexum, sed indifferenter tam marē quàm fœminam. Hoc itaque secutus Latinus interpres, uocem hebræam reddidit nomine Agni, non quidem ut est nomen sexus, sed ætatis: scilicèt, genitum ex ouibus, dum est teneræ ætatis, & ante finē primi anni, siue mas fuerit, siue fœmina, significans; ideoque significatio restringi debuit ad significandum sexum masculinum, mox apposita uoce, masculus: & ut uerbo dicā, Latinus interpres, secundum istos, nomen agni posuit pro nomine pecudis. Horum sententiæ perquam affinis est responsio Thostati ad *Thostatus.*

pro-

propositam dubitationem. Sic enim scribit super caput 12. Exodi in quæst. 7. Respondetur positum fuisse nomen masculi post nomen agni, ad tollendam ambiguitatem: talia quippe nomina aliquando ponuntur ad significandã speciem, & aliquando ad significandum sexum. Sicut nomen ouis & vaccæ, vsurpamur ferè vulgo prout significant sexum fœmininum; interdum tamen ponuntur ad denotandam speciem, non autem sexum, vt cùm dicimus, ille homo habet oues ac vaccas, sic enim loquentes nolumus significare fœminas tantùm, sed nomine ouium tam oues fœmellas, quàm arietes, & agnos; & itẽ nomine vaccarum, non tantùm fœminas, sed etiam tauros, & boues castratos denotamus. Similiter igitur nomen agni positum est, non vt significat sexum masculinum, sed vt significat promiscuè vel agnum, vel agnam, id est, ptolem ouis & arietis, quapropter ad denotandum sexum masculinum aptè nomen masculi additum est. Hæc Thostatus.

31. *Cur masculus & non fœmina in paschali sacrificio immolaretur.* Sed cur iussit Deus animal immolandum in sacrificio paschali, esse masculũ, reiecta fęmina? An quia, sicut Deus est perfectus, ita decebat animalia quæ ei sacrificanda erant, perfecta esse? Sed enim cùm planè cõstet, præcepisse Deũ, vt legitur in Leuitico, in quibusdam sacrificijs, sibi & oues & capras immolari, idcirco probabilius dictu videtur, id esse factum propter mysterium & figuram Christi, ad quem scilicet mysticè repræsentandum & præfigurandum, præcipuè institutum est paschale illud sacrificium. Christum autem singulariter vocari masculum in sacris literis, satis ostendit insignis illa visio, quam habuit B. Ioannes, & ab eo in capite 12. Apocalypsis enarratur admirãdæ illius mulieris, quæ erat amicta sole, lunamq; pedibus suis subiectam habebat, & gestabat capite coronam duodecim stellarum: & hanc mulierem scribit peperisse filium masculum, qui recturus erat gentes in virga ferrea. Nec solum Christus vocatur masculus, sed etiamnum latens in vtero matris, appellatur vir: quod, maximi instar cuiusdam miraculi, prænuntiauit Hieremias illis verbis: *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* *Hierem. 31* Quemadmodum porrò agnus paschalis supradictis tribus proprietatibus insignitus, quòd esset immaculatus, & masculus, & anniculus, pręfigurauerit Christum, hoc modo declarat Rupertus lib. 2. in Exodum, *Rupertus.* cap. 8. Macula, inquit, peccatum est; at *Isaia 53.* Christus peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Erat igitur a- *Hebr. 7.* gnus, inquit Scriptura, absque macula, id est, figura eius, qui futurus est sanctus, & innocens, & impollutus, & segregatus à peccatoribus. Sed parum haberet glorię sola innocentia, nisi adesset fortitudo quoque ad facienda perfecta iustitiæ opera: & ideo subditur: *Erit masculus.* Id autem in mysterio est, erit fortis, nihil habens fœmineum, hoc est, molle, & fluxum, & instabile: vnde & in Apocalypsi dicitur de muliere magna, quia pepetit filium masculum, qui recturus erat gentes in virga ferrea. Additur præterea vt agnus ille sit anniculus, vel vt est hebraicè, filius vnius anni, id est, simplex & syncerus, atque innocens: sicut etiam in primo Regum dicitur fuisse Saul filius vnius anni cùm regnare cœpisset. Christus etiam anniculus dici potest, quia vt ipse dixit per Isaiam, c. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domini, & diem vltionis Deo nostro* Annum vocat placabilem pro ijs, quos ipse præparauit ad gloriam; & diẽ vltionis appellat pro ijs, quos in iram destinauit. Annum quippe placabilem siue acceptabilem, plenam dicit acceptionem, quam & Apostolus prædicat illis verbis; *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* ac de huius anni ple- *2. Corin. 6.* nitudine dicitur ei per Psalmistam: *Benedices corona anni benignitatis tuæ.* Subau- *Psalm. 64.* ditur, cùm venerit ad te omnis caro, remuneranda in illa dierum æternorum longitudine. Hæc Rupertus.

SEX-

SEXTA DISPVTATIO.

De personis, quibus edere Agnum paschalem fas erat.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 45. vsq; ad 48. Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo; omnis autem seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo. In una domo comedetur: nec efferetis de carnibus eius foras: nec os illius confringetis. Si quis peregrinorum in vestram uoluerit transire coloniam, & facere Phase Domino, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non uescetur ex eo.

DE Personis ad edendum agnum paschalem idoneis & non idoneis, duo præcepit Deus, vt ex supradictis verbis apparet. Vetuit enim quenquam hominum, qui esset incircumcisus, ad esum agni paschalis admitti. Voluit autem omnibus qui circumcisi essent, siue indigenæ, siue alienigenæ, siue peregrini, vel aduenæ, vel mercenarij, uel coloni essent, etiamsi essent serui, comedere agnum paschalem, fas & ius potestatem esse. *Cur Deus vetuerit in circumcisos celebrare Phase.* Causa uerò cur Deus tam grauiter uetuit, Phase celebrari ab incircumcisis, duplex, secundum sensum literalem, afferri potest. Primò enim id uetuit, quod Phase principale esset sacramentum religionis Iudaicæ, ideoque nefas erat, id percipi à quoquam qui religione illa non esset initiatus: initiatio autem illa fiebat per Circumcisionem. Adijce, quod Deus celebrari uoluit Phase, ob memoriam illius beneficij, quo populum Hebraicum quondam in Aegypto affecerat: tum seruando eum à cæde primogenitorum, tū ab asperrima & tyrannica Aegyptiorum dominatione mirabiliter liberando: nō poterat autem eiusmodi commemoratio ad incircumcisos ritè pertinere, quod non essent ex eo populo in quem propriè beneficium illud fuerat collatum. Sed illud mihi quispiā fortasse obiecerit, altero anno post egressionem ex Aegypto, Hebræos in deserto, quo tempore consistebant ad mōtem Sina, celebrasse Phase, ut traditur in libro Numerorum, capite nono: inter illos autem non paucos fuisse incircumcisos, procliuè creditum est; cùm in libro Iosue, cap. 5. proditum sit, per totos illos quadraginta annos, quibus morati sunt Hebræi in deserto, neminem eorum fuisse circumcisum. Verùm facilis est istius obiectionis confutatio. Vtrumque scilicèt verum est, & neminem Hebræorum in deserto toto eo tēpore fuisse circumcisum: & neminem incircumcisum comedisse Phase in deserto: omnes enim qui celebrarunt illud Phase iuxta montē Sina, circuncisi fuerant in Aegypto ante egressum populi Hebræi: qui autem nati sunt primo illo post egressionem anno, non comederunt Phase, non enim per ætatem comedere potuerunt: qui verò reliquis triginta nouem annis nati sunt in deserto, hi non comederunt Phase, priusquam trāsmisso Iordane, & ingressi terram promissionis illud celebrarunt; ante cuius celebrationem, omnis ille populus incircumcisus, Dei iussu, cultris petrinis circumcisus est. Nemo igitur ostendere poterit, quenquam hominum, qui incircumcisus esset, admissum esse ad celebrationem Phase: nimirum Phase Iudaicum, Sacramenti Eucharistiæ figura fuit, quam cuiquam non baptizato dari fas non est.

Cæte-

Cæterùm verba illa quæ sunt in versu quadragesimo quarto: *Omnis seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet.*

33. *An Hebræi seruos suos emptitios, uel inuites, cogere debe rent ad circūcisionē. Thostatus.*

quæstionem excitant huiusmodi: num apud Hebræos, domini deberent omnino circumcidere seruos suos etiam non volentes? Thostatus certè in quæst. 56. super hoc caput 12. Exodi id affirmat, scribens alienigenas qui inter Hebræos versabantur, quia liberi erant, non potuisse inuitos cogi ad circumcisionem: at verò seruos emptitios Hebræorum, quod in suorum dominorū iure ac potestate essent, potuisse à dominis suis cogi ad Circūcisionem. Hoc probat Thostatus dupliciter: Scriptura enim manifestū ponit discrimē inter seruos & alienigenas, quod attinet ad circumcisionem, & celebrationem. Nam de seruis simpliciter & absolutè dixit in versu 44. *Omnis seruus emptitius circumcidetur, & ita comedet*; de peregrinis verò & alienigenis non simpliciter, sed sub conditione id præcepit, dicens in versu 48. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domino, circūcidetur primo omne masculinum eius: & tunc ritè celebrabit, eritq; sicut indigena terra.* Hinc apparet, discrimen poni à Deo inter alienigenas atque seruos. Si autē seruus non erat circumcidendus, nisi ea conditione, si vellet comedere Phase, cū idem præcipiatur de peregrinis atq; alienigenis; sequeretur nullum fuisse (quod spectat ad circumcisionem & celebrationem Phase) alienigenarum atq; seruorum discrimen. Deinde, in decimo septimo capite libri Genesis, vbi primùm legitur datum esse à Deo præceptū Circumcisionis, similiter lata est lex circumcisionis obligans posteros Abrahæ, atq; ipsius seruos, sic enim ibi scriptum est: *Circumcidetur omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quàm emptitius circumcidetur, & quicumque nō fuerit de stirpe vestra.* Et hoc obseruasse Abraham, apertè declarant extrema illa verba eius capitis: *Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.* Cumq; seruus sit aliquid domini, & sub eius iure ac potestate, non minus quàm filius: sicut pater Hebræus omnino debebat circumcidere filium suum, ita debebat & seruum. Sic Thostatus.

34. *Refellitur Thostatus.*

Sed Thostati opinio minimè probabilis est: Etenim seruus, licet in iure ac potestate domini sit, quantū ad ea quæ sunt corporis, & quæ pertinent ad corporale domini obsequium & famulatū, atq; vsum; non tamen à voluntate ac potestate domini pendet, quantum ad ea quæ propria sunt animi, vti sūt virtutes & peccata, præcipuè verò quantum ad fidem & religionē. Enimuerò, talis erat apud Hebræos Circumcisio, qualis est nunc apud Christianos Baptismus: at Christianus dominus nō potest cogere seruum suum ad Baptismum accipiendum. Cumq; is qui circumcidebatur, post legem Mosis, debitor esset obseruādi vniuersam eam legē, vt docet B. Paulus ad Galatas quinto, durum nimis ac uiolentum fuisset, hominem non ex parentibus Hebræis natū, sed alienigenā, uellet nollet, ad vniuersam legem Mosis obseruandam iure cogi potuisse. Nec ratio Thostati, in contrariæ opinionis confirmationem ab eo posita, uim ullā & momentū habet. Etenim falsum est quod sumit, Scripturam discernere hoc loco seruū ab alienigena, quod ille simpliciter esset circumcidendus, hic autē, ea tantū ratione, si uellet comedere Phase. Nullum enim est tale discrimen, sed de utrisque similiter intelligendum est conditionaliter, si nimirum uellent comedere Phase: hunc enim sensum habēt illa uerba: *Seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet Phase.* Illud enim: *Et sic comedet Phase*, perinde est, quasi dictū fuisset: *Si voluerit comedere Phase.* Significat enim Deus istis uerbis, ne ipsos quidem seruos ab esu agni paschalis arcendos esse, sed prius tamen eos circumcidi debere. Seruilis namque conditio, nihil de libertate animi diminuit, quantum ad ea quæ sūt fidei & religionis erga Deū. Iam uerò quod affert Thostatus ex capite 17. Genesis, id profectò aduersatur eius sentētiæ, tantū abest ut eā adiuuet. Eo namq. loco dicitur Deus præcepisse, ut circumciderentur omnes tam serui quàm alienigenæ, nullo inter eos posito discrimine: atque inibi etiam dicitur Abraham circumcidisse omnes uiros domus

domus suæ, tam seruos, vernaculos, & emptitios, quàm alienigenas: Ecce tibi, sine discrimine loquitur ibi Scriptura de circumcisione seruorum & alienigenarum: ergo uel alienigenæ cogendi erant ad circumcisionem similiter vt serui, quod negat Thostatus, vel serui non erant circumcidendi, nisi volentes transire in religionē Iudæorum, quod quidem nos arbitramur, sed est contrarium Thostati sententiæ. Cum igitur Scriptura dicit, & in cap. 17. Genesis, & in hoc loco Exodi, seruos & alienigenas circumcidi debere, non est id accipiendū tanquam præceptum cogentis ad circumcisionem vel inuitos; sed quasi documentum non excludentis eos à bono circumcisionis, quin etiam obliquè inuitantis.

35. Caietan. At enimuerò propria quædam, & noua Caietani opinio de seruis Hebræorum discutienda est. Is enim hunc locū Exodi in suis Commentarijs explanās, duas res, quæ erant in circumcisione, distinguit: alteram corporalem & sensibilem, abscissionem dico præputij genitalis, quo signo posteri Abrahæ à cęteris gentibus discernebātur; alteram verò spiritualem, & illi corporali adiunctam: ea verò fuit protestatio quædam, & professio fidei & religionis, quā colebant Iudæi. Putat itaque Caietanus, quantum ad priorem illam rem corporalem, potuisse seruos, vel inuitos, à dominis suis Hebræis cogi ad circumcisionem: sicut etiam nunc apud Christianos serui stigmaticis notis cauterio inustis signantur, vt eos & seruos esse, & item cuius sint serui, liquidò appareat. Quantum verò ad alteram rem, quæ erat spiritualis, serui non poterant à dominis suis cogi ad percipiendam Circumcisionem. Verùm ista Caietani sententia nō uidetur probabilis: nam duæ illæ res ita erant in circumcisione Iudaica coniunctæ, vt inuicem disiungi non possent, cum ex vtrisque integra & cōpleta Circumcisionis ratio consisteret. Quemadmodum absurdum esset arbitrari, Sacramentum Baptismi posse cuipiam impendi uel inuito, quantum ad exteriorem corporis lotionem, non tamen quantum ad spiritualem Baptismi tum, & Christianæ fidei ac religionis professionem. Sed benè habet, qđ Caietanus, quasi diffidens huic sententiæ, proximè adiunxit hęc verba: Credidetim tamen legem circumcisionis erga seruos, nunquam intellectam, nec seruatam fuisse vnquam in seruo penitus inuito, sed sufficiebat eum non abnuere, sed permittere se circumcidi. Mercenarius autem, & alius quilibet, qui seruus non esset, debebat ultro expetere ac postulare circumcisionem. Et hæc dispari litas mercenarij atque serui, sufficit ad tuendam differentiam inter eos, quantum ad circumcisionē, traditam supradicto loco Exodi. Hæc Caietanus.

Sequitur vt exponamus verba illa, q̄ sunt in versu 46. huius capitis, & continentur in verbis suprà positis in titulo huius Disputationis: *In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis*. Debebat itaque Agnus paschalis in ea domo totus comedi, in qua immolatus & assatus erat; nec vlla eius pars mitti poterat ad eos, qui erant in alijs domibus. Huius præcepti rationem hanc reddit Lyranus: Hoc, inquit, mandabatur ob recordationem primæ immolationis factæ in Aegypto: tunc enim tāta fuit Hebræis sollicitudo parandi ea, quæ pertinebāt ad instantem profectionem ipsorū ex Aegypto, ut non vacaret eis, concursare aliorum domos, vel inuicē munera mittere. Verùm hanc Lyrani rationem merito improbat Thostatus. Nō enim tūc Hebræi omiserunt discurrere per domos, propter sollicitudinem profectionis, sed quia Deus vetuerat quenquam eorum ea nocte domo sua egredi. Deinde, non potuerunt tunc inuicem mittere munera, non quidem propter illam sollicitudinem profectionis, sed quia id repugnabat Dei iussis: ab eo quippe pręceptum fuerat, vt in vna domo totus agnus comederetur, si quæ autem dom' non esset sufficiens ad comedendum totum agnum, tot ex alijs domibus assumerentur personæ, quot essent ad id satis. At si de agno potuissent mittere munera ad alios, tali præcepto non fuisset opus, sicut quia Deus præcepit, ut omne quod esset residuum agni, cremare- 36. Lyranus. Thostatus.

tur

tur igni, liquido intelligitur, nõ potuisse aliquid ex agno mitti ad alios, sic enim nunquam superfuisset aliquid agni cremandum. Hoc igitur preceptum pertinet ad mysterium, latenter significans Sacramentum Eucharistiæ; cuius illustris fuit esus illius agni, figura. Significabatur enim, Eucharistiam non esse dãdam cuipiam extra domum vnitatis Ecclesiasticæ manenti; qui enim extra communionem & vnitatem fidei ac religionis Catholicæ Ecclesiæ versantur, eos mysteriorum & Sacramentorũ Ecclesiæ participes fieri nefas est. Sed cur Deus vetuit ossa illius agni confringi? An ne mora frangendi ossa, quò medullas ex illis extraherent, festinatam profectionem ex Aegypto ne minimũ quidem remoraretur? Verùm præcipuè id propter mysticam significationẽ Christi præceptum fuit: cuius in Cruce, pro salute humani generis, Deo immolati, non sunt fracta crura, & ideo Ioannes hoc narrans capite decimo nono historiæ suæ Euangelicæ, mox adiecit illud: *Vt impleretur Scriptura quæ dicit: Os non comminuetis ex eo.*

SEPTIMA DISPVTATIO.

De ritu & modo edendi Agnum paschalem.

SVPER ILLIS VERBIS.

A versu 5. vsq; ad 12

Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctũ aqua, sed assum tantũ igni. Caput cũ pedibus eius & intestinis vorabitis, nec remanebit quicquam ex eo vsque mane: si quid residuũ fuerit igni comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes uestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, & baculos in manibus, & comedetis festinanter.

ANTE omnia scire conue 57.
nit, voluisse Deum celebrari quotquot annis, paschale hoc conuiuium ab Hebræis, vt in eorum animis frequenter renouarẽt memoria duplicis beneficij, quo eos affecerat in Aegypto: tum eorum domos, tinctas sanguine agni paschalis transeundo intactas à cæde primogenitorum, quæ in omni Aegypto exercebatur: tum ipsos à diuturna, & aspera seruitute, in optatissimam, & lętissimã libertatem mirabiliter asserẽdo. Atque huius posterioris beneficij crebrior fit in sacris literis commemoratio: adeò, vt obseruatum à quibusdam fuerit, quinquagies in sacris literis memorari beneficium liberationis Hebræorum ex Aegypto. Duo autem potissimum in cæremonijs circa esum paschalis agni adhibendis repræsentabantur Iudæis. Alterũ fuit festinatio, qua ipsi ex Aegypto profecti sunt, partim sua sponte, cum summo arderent desiderio discedẽdi ex Aegypto, eundique in terram promissionis: partim urgentibus eos, & compellẽtibus ad discessum Aegyptijs, qui propter cædem primogenitorum, veriti ne si diutius in Aegypto detinerẽtur Hebræi, omnes ipsi perirent, maturare eos & accelerare discessum instãter cogebant. Hæc autem festinatio dupliciter in esu paschalis agni repræsentabatur, primum per ea, quæ comedebãtur, debebãt enim comedere panes azymos, quia præ nimia discedendi festinatione, non potuerant eos fermentare; Debebant item agnum comedere assum igni, citius namque assantur carnes.

Nec poterant frangere ossa agni, festinanter quippe abscedentibus non vacabat ossa frangere ad sugendum medullas.

las. Eandem præterea festinationem significabant illa, accinctos & cũ baculis in manibus comedere agnũ; nec residua agni seruare, sed igni cõburere. Eodem pertinet, quod iussi sunt in vna domo comedere, nec quicquam de carnibus agni foras efferre: nimirũ, in tanta festinatione non vacabat, inuicem mittere munera. Alterũ quod volebat De⁹ per hoc paschale cõuiuiũ repsentari Hebreis, fuit acerba illa seruit⁹ q̃ diu multũq; ppessi fuerãt i Aegypto. Et ad hoc repræsentandũ pertinebãt panes azymi, & assatio agni, & lactucæ agrestes. Vide S.Thomas. B. Thomam in Prima Secundæ, quæst. 102. art. 5. in responsione ad 2. Sed quia omnia penè uerba quibus paschale conuiuium enarratur hoc loco à Mose, nõ indiligentem deposcunt expositionem, singulatim ea sunt expendenda ac pertractanda.

38. Primũ itaque præcipitur illud. *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus*. Sciendũ primo est, celebrationẽ agni paschalis hoc modo atque ordinẽ esse factam à Iudæis. Primũ immolabatur, id est, iugulabatur agnus: tum eius sanguine tingebantur postes & superliminare earum domorũ in quibus comedendus erat: deinde detracta pelle extrahebantur intestina, & lauabantur à sordibus; mandatũ quippe fuerat Hebræis, vt caput & caudam, & intestina agni & ossa ederent: Ad hæc, lota & purgata intestina rursus inferebantur in agnum, & simul cum eo assabantur. Postremò, agnus integer atque indiuisus, hoc est, non per dimidiũ, nec quadripartito dissectus, nec abscisso capite, uel amputatis cruribus, sed, vt dixi, totus integer assabatur. Hæc Thostatus ex consuetudine Hebræorum tradit. Cũ quo Caietanus dissentit in eo, quod putat, intestina non fuisse extracta ex ventre, sed tantùm euulso felle, eiectisq; visceribus sordes continentibus, reliqua in ipso agno esse relicta, cum eo simul assanda.

39. *Edent carnes nocte illa*. Quia fit hic tantum mentio carnium, quidam Hebræorum putarunt, non licuisse eis comedere neruos, aut cartilagines agni, quod non fit tamen verisimile Thostato. Deus enim id propriè & apertè uetuisset, sicut uetuit frangere agni ossa, ex quo sequebatur, prohiberi eos medullarum esu, vtpotè, quas non licet ex ossibus non fractis elicere. Videtur igitur nomine carnium intelligi debere hoc loco, omne id, quod in agno idoneum erat ad esum, & ut ita loquar, erat comestibile: nam quæ propter eorum immunditiam & amaritudinem horrent communiter homines, ea præcepisse Deum in agno paschali comedi oportere, haudquaquam existimandũ est. Dictum est, *nocte illa*: nam immolatio agni paschalis facta fuerat ad vesperam decimæ quartæ diei, id est, paulò ante solis occasum: sequenti tempore vsq; ad initium noctis proximæ, assabatur agnus, & parabatur; initio noctis edebatur agnus. Hæc autem nox pertinebat, ad diem decimum quintum: quippe qui ab occasu solis diei decimæ quartæ incæperat, nam Hebræi huiusmodi solennitates à vespera ad vesperam celebrabant, id est, ab occasu solis unius diei, vsque ad alterum proximè sequentis diei occasum solis.

Assas igni. Paulò infrà post hæc uerba subditur: *Non comedetis ex eo crudũ quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni*. 40.
Vetuit Deus quidquam illius agni ab Hebræis comedi crudum, id autem est, semicrudum, vel non bene coctum: nam cùm naturalis sit homini horror edendi carnes crudas, superuacuum fuisset id Hebræis præcipere de agno paschali. Sic exposuit Rabbi Salomon uocem illam, *Crudum*, scribens eo nomine appellasse Mosen id, quod non est quantum necesse est ad comedendum, bene coctum, uoce vsum Arabica. At enim Oleaster super ea voce ad hunc modum scribit. Dictio (*Na*) significat (quæso) aut (nũc) & nunquam in Scriptura inuenitur significare crudum, nisi hic, ideo semper mihi suspecta fuit hæc significatio. Et puto radicem eius nominis esse, *Naua*, quod est frangere uel dissecare: vt sit hic sensus: *Non comedetis ex eo fractum, uel dissectum*. ita, vt nolit in frusta diuidi ad coquendũ eum in aqua, sed integrũ assari & comedi. Alioqui iã noue-

Rabbi Salomon.

Oleaster.

rant Iudæi non esse comedendam carnem crudā. Sic ille. Cui aduersantur omnes Interpretes, reddētes ex hebræo, *crudum*, & ante omnes ipsi LXX. Interpretes. Aduersantur etiam expositores tam Hebræi quā Christiani, qui legētes *crudum*, interpretantur semicoctū. Vetuit autem Deus comedi semicrudum, cùm ob alia, tum, ne postea inter edendum, id fastidientes, abijcerent. Sed cur non coctum aqua, sed tantum igni assatum, duas scilicet ob causas: tum, quia hoc fiebat ad significandam festinationem discessus Hebræorū ex Aegypto: carnium verò assatio citius perficitur, quàm elixatio. Tum etiam, quod elixæ carnes, licet facilioris sint concoctionis, tenuioris tamen sunt alimēti, ideoque non tantùm conducunt valde laborantibus corpore, vt sunt qui pedibus iter faciunt. Cuius rei causa hæc est, quod carnes elixatæ, multum ex se succum, vt vocant, substantialem emittunt foras, humore aqueo, in quo elixantur, penetrāte partes earum vi caloris apertas. Cōtra verò, assæ carnes, ignis calore exteriores partes constringente, solidiores sunt nutrimenti.

41. *S. Iustinus Martyr. Mystica expositio.* B. Martyr Iustinus, in eo sermone quem habuit cū Tryphone Iudæo, hūc Exodi locum memorans: Quod agnus, inquit, paschalis assari iubetur, crucifigendum Christum significabat, siquidem agnus in crucis formā expāsus assabatur: alter enim rectus paxillus ab imo vsque ad caput traiciebatur, alter verò trāsuersus per occiput, cui armi agni alligabantur. Sic ille. Christus sanè exhibuit se nobis non crudū, sed coctū: nec aqua coctum, quæ ardorem ignis minuit, ac refrigerat: in passione enim Christi nulla fuit aquæ gutta, nihilque solatij, quod acerbitatem eius mitigaret. Martyres Christi cocti sunt aqua, passiones enim eorum multis modis refrigeratæ, & mitigatæ sunt: Christus nullam tunc habuit in parte inferiori consolationem, nec à parte superiori animæ, nec à Deo: quod significauit ipse dicens: *Deus meus. Deus meus. ut quid dereliquisti me?* Assatus igitur est igne, tum *Locus Matt. 27.* propter hoc, tum, quia propter nimiam charitatem suā mortuus est pro nobis. Et sunt nonnulli, qui Christum comedunt crudum, alij coctum aqua, alij assatum igni. Iudæi legentes quæ in veteri Testamento de Christi magnificentia, & gloria, & regno tradita sunt, & intelligentes ea carnaliter, comedunt Christum crudum. Hæretici, qui uolunt de Christo credere quę placent ipsis, mysteria eius suo ingenio, & iudicio, atq; humana ratione perscrutantes & intelligentes, neque aliter credere ea & amplecti volentes, Christum comedunt aqua coctum. Catholici verò & pij homines, non curiosè, nec superbè, sed sobriè, & humiliter, & piè mysteria Christi meditantes, eaque meditatione fidē, & charitatem nutrientes, eique ferventer seruientes, Christū comedunt igne assatum.

42. *Quid sit, et qualis sit panis azymus.* Sequitur: *Et azymes panes*, hoc est, panes sine fermento, quod gręcè dicitur ζύμη, est autem fermentum, farina quæ subigitur, priusquā addatur sal, ad pultis modum decocta: dictum est autem fermentum, quòd quasi feruendo crescat: Panis autem azymus promptè, & citò conficitur: statim enim ut farina mixta est aquæ, coqui possunt panes azymi: at fermentati panes non ita, tantisper enim expectari oportet, dū fermētum digerat & attenuet materiam panis. Quocirca Abraham & Lot, quò citius Angelis, quos hospitio acceperāt, panes recenter coctos apponerent, fecerunt panes azymos, vt legitur Gen. 18. 19. similesque panes legitur in libro Iudicum Gedeon obtulisse Angelo, qui sibi apparuerat. Porrò azymus panis, & insipidus est, & grauis, nec salubris stomacho, ægreque concoquitur; quamobrem in Scriptura, Deuteronomij c. 16. appellatur panis afflictionis. Theodoretus in quæst. 24. in Exodum; Per azyma inquit, significatur non tantùm diligentia, & instantia proficiscendi, & cibi parandi facilitas, & promptitudo, sed etiam quod nullum Aegyptiacæ vitæ vestigium tenere ipsos conueniebat: Sic enim Dominus noster fermenti nomen interpretatus est, cùm discipulus suis dixit: *Cauete à fermento Scribarum & Pharisæorum.* *Matth. 16. Marc. 8. Luca 12.* Et B. Paulus hortatur nos ad epulādum Christū in azymis synceritatis, *1. Corint. 5.*

tis,

tis & veritatis non autem in fermento nequitię ac malitiæ.

43\. Aduertendum porrò Lectori est, Hebræos, ea nocte qua primù comederunt agnum paschalem, fecisse paucos panes azymos, quot nimirum opus tantùm erāt ad edendum cū illo agno. Nec tunc cogitarunt, aut statuerunt in posterum comedere azyma, Cumque sequēti diei recessuri essent ex Aegypto, parauerūt farinam mixtam cum aqua, & fecerunt quam vulgo vocant, pastam, volentes eam nocte illa fermentare & coquere, sed Aegyptijs, propter cædem primogenitorum, vehementer urgentibus eorū profectionē, & sine vlla mora quamprimum excedere cogentibus, non potuerūt massam illā fermentare, sed eā, vti erat, secū tulerunt, & coacti sunt etiam deinde comedere panes azymos, præter consilium & voluntatem suā. Quocirca, vbi primū peruenerūt in Socoth, vbi facta est prima eorum mansio post discessum ex Ramesse, ut legitur in lib. Numerorum, cap. 33 ex illa massa, quā tulerant secū discedentes ex Aegypto, fecerunt panes azymos subcinericios. Sic enim in hoc ipso capite paulò infrà scriptum est: *Profecti sunt filij Israel de Ramesse in Socoth.* Et interpositis quibusdā alijs sequitur. *Coxeruntque farinam quā dudum de Aegypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos, neque enim poterat fermentari urgentibus exire Aegyptijs, & nullam facere sinentibus moram.* Iosephus libro secundo Antiquitatū ait, Hebræos per triginta dies comedisse panes azymos, ita scribens: Cū abeuntes, iter strenuè continuarent, tertia die peruenerunt Beelsephontem ad rubrum mare sitam: cumque nihil per viā inuenirent, propter solitudinem, macerata farina, & modico calore in panis speciem solidatā, se sustentabāt. Hoc autem uictu per triginta dies sunt vsi: neque enim plus commeatus Aegypto extulerant, atque eum ipsum parcè dispēsabant, ad necessitatem magis quàm ad satietatē: quapropter, in memoriā eius inopiæ, festa per octo dies celebramus, quos uocamus Azymorū. Sic Iosephus. *Iosephus.* Ergò præceptum quod infrà legitur Hebræis datum de panibus azymis per septem dies comedendis in celebratione Phase, id non pertinuit ad primam illā celebrationem in Aegypto factam, sed ad alias oēs deinceps singulis annis faciendas. Est igitur diligenter obseruandū, omnia quæ hic præcipiuntur de celebrando Phase, vsque ad ea verba, quæ sunt in versu 14. huius capitis: *Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solennem Domino, in solennitatibus uestris cultu sempiterno,* ea fuisse obseruata in prima illa celebratione, quæ facta est in Aegypto: cætera uerò, quæ post illa verba præcipiuntur, non ad primam illam celebrationē referenda sunt, sed ad alias, quæ consequentibus temporibus fieri debebant.

44\. *Cum lactucis agrestibus.* Vocantur in hoc loco, vt ait Thostatus, lactucæ agrestes, herbæ quædam ad similitudinē lactucarum hortensium, minores tamē illis, & asperi, amarique saporis Hebraicè est, *Almerorim*, id est, cum amaritudinibus, & complures huius temporis hebraizantes, interpretantur non lactucas sed quaslibet herbas amari saporis, & vertendū esse putant, cum amarulentis herbis, sicut habet Paraphrasis Chaldaica, & translatio Pagnini. Audi Lyranū. In Hebræo, inquit, habetur (cū amaritudinibus) & per hoc intelliguntur herbæ amaræ indifferenter; nec plus fuit pceptum de lactucis, quā de alijs herbis. Sic ille. Significari porrò ea voce amaritudinem in commune, satis indicat locus ille Hieremiæ Threnorum 3. *Repleuit me amaritudinibus.* Et Iob 9. *Saturauit in me amaritudinibus.* LXX. Interpretes græcè verterūt, ἐπὶ πικρίδων, id est, (super picrides) vt habet eorum translatio Latina, vel ut à S Cypriano citatur (cū picridibus) Theodorus Gaza apud Aristotelē & Theophastū, πικρίδα, vertit amaraginem. Est autē genus intybi, siue, vt vulgo vocatur, *endiuia*. Sed idē tamen apud Aristotelem lib. 9. de Historia animalium, cap. 7. πικρίδα, vertit syluestrem lactucam. Locus Aristotelis, ab eo Latinè cōuersus, ita habet: Draco cum per esum pomorum nausea infestatur, succum syluestris lactucę (πικρίδος) exsorbet: quod ita facere visus sæpius est. Certè Rabbi Salomon, minimè igno-

Thostatus. Lactuca agrestes. *Lyranus.* *Theodorus Gaza.* *Defenditur Latina lectio huius loci.* *Rabbi Salomon.*

ignobilis apud Hebræos auctor, similiter ut Latinus noster Interpres vocem illam hebræam, lactucas agrestes interpretatus est. S. Ambrosius legit: *Cùm amaritudine*, fortassè referens ad amaritudinem animi, quasi pręceptum esset Hebræis, ut agnum ederent cum amaritudine quadam animi. Et sic esse intelligẽdum hunc locum, arbitratur Oleaster. Enimuerò amaritudo lactucarum, reducebat in memoriam Hebræis amaritudinem seruitutis, quam in Aegypto tamdiu perpessi fuerant: quò acrius excitarẽtur ad laudes Dei, gratissimis animis celebrandas, cuius benignitate, tanta fuerant calamitate liberati.

S. Ambrosius.

Oleaster.

45. *Caput cum pedibus eius & intestinis uorabitis.* Illud (vorabitis) de suo addidit Latinus Interpres, quo apertiorem redderet sententiam: orationis certè contextus tale quoddam verbum hic subintelligi exigit. Hebraicè tamẽ & Chaldaicè, & Græcè nullum est verbum, sed præcisè legitur: *Caput cum pedibus eius, & intestinis.* Nomine autem illarum triũ partiũ, significat, quicquid in agno ad esum erat idoneũ, fuisse assãdũ & comedẽdũ. Sedenim in huiusmodi assatione paschalis agni, fiebat pter morẽ & modum aliarum assationum. In alijs namque assationibus detrahebantur pedes rei assandæ, cùm enim sint admodum sicci & neruosi, si assantur, citò comburuntur, & ideo magis idonei sunt elixationi quàm assationi. Intestina quoque, propter teneritudinem, non assantur cõmodè, habent quippe humorẽ & multũ & tenacem inclusum pellibus, quare ad eum expellendũ, absumendumq;, magno esset opus calore: Contrà verò, propter mollitiem & teneritudinem, si assarentur, nimium contraherentur atque adurerentur, quocirca elixantur cõmodius quã assantur. Cur igitur Deus illa voluit assari? In prima quidem illa celebratione Phase, id fieri voluit, ne vlla interponeretur mora, si ab agni assatione seorsim illa elixarentur; neue Hebræi varijs coctionibus distenti, minus quàm opus futurum erat, prompti & expediti essent ad iter, quod celeriter arripiendum ipsis erat, Aegyptijs ad profectionẽ instãtissimè eos vrgẽtibus.

Cur Deus iusserit una cũ agno assari pedes & intestina.

Sequitur: *Non remanebit ex eo quidquã vsque mane.* Hoc pcepit Deus Hebræis, ne putantes ipsi, moraturos se in Aegypto vsque ad diem sequentem, in eum diem seruarent reliquias agni postridie comedendas: cùm tamen valde diluculo recessuri essent, vel potius id præcepit Deus, quòd immolatio agni, erat de genere sacrificiorum, in quibus aliquid animalis oblati comedere licebat; id autem iubebatur vel eodem die comedi, vel non ultrà proximè sequẽtem diem differri, ut traditur Leuitici, ca. 7. Causa igitur & huius cæremoniæ, & superioris, in prima quidem celebratione Phase, fuit festinatio & celeritas egressionis ex Aegypto; in alijs autem, eiusdem solennitatis celebrationibus in posterum faciendis, causa fuit, ut illius primæ celebrationis congruens fieret recordatio, & commemoratio. Ergò si, qui conuenerant in vnam domũ ad edendum agnum, non possent totũ comedere, quod residuum erat, oportebat igni comburere; quod in alijs quoque sacrificijs fiebat. Cùm enim sacrificium sit res diuina, haudquaquam decebat, uel sinere id putrescere, vel dare animalibus, aut his qui nõ erãt Hebræi, aut tanquam cibum profanum extra tẽpus sacrificij comedere. Sciat porrò Lector, inter esum Agni paschalis atque aliarum carnium, duplex fuisse discrimẽ, alijs quippe carnibus, etiamsi uitiũ aliquod haberent, aliumue defectũ, Hebræis tamen licebat arbitratu suo vesci: Agnus autem paschalis non poterat immolari, nisi esset mundus & immaculatus, & sine vllo defectu, nec eum poterant edere qui erant immundi legali aliqua immunditia, qui tamẽ esu aliarũ carnium minimè prohibebantur. Hoc discrimen reperiet Lector explicatum in c. 16. Deuteronomij. Alterũ discrimen erat, quod cæteris carnibus promiscuè in quocũque loco vesci poterãt Hebręi Agnus verò paschalis non poterat immolari & comedi, nisi uno in loco, in quo videlicèt erat Tabernaculũ & Arca, & in quẽ omnis populus conuenire debebat religionis ergo. Quod autẽ immolatio, esusque agni paschalis, sacrificium & uictima Dei esset, dubitare non licet, 46.

Differentia esus Agni paschalis atque aliarũ carniũ.

licet, cùm ob alia, tum quòd nominatim ita vocetur infra cap. 13. & in libro Numerorum, cap. 9.

47. *Sic autem comedetis eum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* Totus iste habitus, & paratus corporalis Hebræorum in edẽdo agno paschali, significabat eos ad iter festinanter faciendum promptissimos esse dbere. Accingere renes, est hominis parari ad iter promptè expediteque perficiendũ: nam laxæ ac defluẽtes uestes, festinationẽ itineris faciẽdi præpediunt. Ideoque legitur in lib. 4. Regũ cap. 4. dixisse puero suo Elisæum: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quispiã non respondeas illi.* Et Hieremiæ dixit Deus: *Accinge lumbos tuos & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi.* Sed cur opus fuit præcipere, vt haberẽt calceamenta in pedibus? num sine calceamentis incedebãt Hebræi? Quidam putant id esse præceptum illis, quòd solerent illi accubantes in lectis, nudis pedibus conuiuari, ne lectorum stragula calceorum sordibus polluerentur. Sed videndum esset, an eo tẽpore mos fuerit Aegyptiorum & Hebræorum accubantes conuiuari: contrarium enim uidetur elici posse ex libro Genesis, in cuius quadragesimo tertio capite legim⁹, tam Hebræos, quàm primarios viros Aegyptiorum, in eo conuiuio quod Ioseph fecit fratribus suis, non accubãtes fuisse, sed sedentes, in cuius loci expositione nos in quarto tomo Commentariorum nostrorum in Genesim docuimus, antiquiorem fuisse morem sedendi in conuiuijs, quàm accubandi. Videtur igitur illud Dei præceptum intelligendum esse de calceamentis non quibuslibet, id est, vel domesticis, vel vrbanis, sed de ijs qui vsui esse possent ipsis, qui ingressuri essent pedib⁹ suis iter longum & laboriosum.

Quid acci gere lũbos.

Hierem. 1.

48. Supradicta uerba Scripturæ, Philo allegoricè, vt ferè solet, sacra eloquia, tractat in eo libro, cui titulum fecit, De sacrificio Abel & Cain. Primum autem disputat: Tria esse genera ingratorum hominum aduersus Deum: Trifariam, inquit, ingrati animi crimine, mortalium plerique in Deum peccant: Aut enim, per beneficiorum obliuionem, gratiarum actione se priuant, qua nihil est pretiosius. Quidam verò, per nimiam arrogantiam, seipsos auctores bonorũ suorum existimant, non illum verum auctorem rerum omnium. Tertij leuius peccant quàm proximi, grauius tamen quàm primi: hi sua bona referũt ad auctorem Deum, sed aiunt se suo merito, ea consequi: esse enim prudentes se, ac fortes & temperantes, iustosque, ideoque dignos diuina gratia & munificentia. Horum omnium improbitatem, cũ Philo grauissimis diuinæ Scripturę sententijs, ex Deuteronomij libro depromptis confutasset, post subdit hæc verba: Accingamus igitur & expediamus nos ad agendas Omnipotenti gratias, reddendumque illi sine mora honorem debitum, præceptum enim est celebrantibus pascha, id est, ab affectu corporis, & terrenarum rerum transeuntibus, ad meditationem & cultum uirtutũ, vt accincti lumbos Pascha celebrent: expediti ad ministrandum, & in uirtutum exercitio laborandum: sintque induti calceamentis, quibus carneam molem ratione contineant: stentque recti, firmatis pedibus, & disciplinam habeant quasi virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem, omnia vitæ negotia. Postremò iubentur properando cibum edere, quia Pascha, creaturæ mortalis transitus ad Deũ dicitur, & valde profectò conuenienter, nullum enim bonum est, quod Dei non sit, & diuinum, à Deo nempe petendum, & pro quo accepto, gratias Deo agere oporteat, atque id in Dei cultum & obsequium conferre. Hæc Philo. Sed in eo quod ait, præceptum fuisse Hebræis, ut stantes comederent agnum, uidetur lapsus uel incogitantia, uel obliuione eorum, quæ præcepit Deus obseruanda in esu Agni paschalis: nusquam enim in Scriptura legitur, præcepisse Deum, ut agnum paschalem Hebræi comederent stantes. Certè Dominus noster in cœna paschali, quam proximè ante mortem suam egit cum discipulis suis,

Allegorica expositio Philonis.

Tria genera ingratorum hominum aduersus Deum.

An Hebræi stantes ederent agnum paschalem.

 pro-

proculdubio & legis præcepta, & solennem Iudæorum morem seruando, dicitur accubuisse; hoc enim ostendũt verba illa B Ioannis, c. 13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua* Et paulò post: *Cum recubuisset iterum, dixit eis*, &c. Sed Philo fortasse purauit, id colligi ex eo, qđ Hebræi iussi sunt tenere baculos in manibus, & comedere festinanter: statio enim in comedendo, magis quàm sessio vel accubatio, declarat festinationẽ comedentium, & ad profectionem properantium.

Locus Euãgelij Ioãnis cap. 13.

49. B. Gregorius in homilia 22. in Euangelia, superiorum Scripturę verborum mysticam expositionem tradit huiusmodi. Quid in renibus, nisi delectatio carnis accipitur? Vnde & Psalmista postulat, dicens: *Vre renes meos*. Si enim voluptatem libidinis in renibus esse nesciret, eos vri minimè petisset. Et quia potestas diaboli, in humano genere maximè per luxuriam præualuit; ideo voce Dei dictum de eo est: *Potestas eius in lũbis eius*. Qui ergo Pascha comedit, habere renes accinctos debet, vt corruptioni iam per vitia nulla subiaceat, uoluptates edomet, carnem à luxuria restringat. Posthæc subditur: *Calceamenta habebitis in pedibus*. Qui sunt pedes nostri, nisi opera? Quid verò calceamenta, nisi pedes mortuorum animalium? Quæ verò sunt mortua animalia, ex quorũ pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui Patres, qui nos ad ęternam patriam præcesserunt? Quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus. Calceamenta ergo in pedibus habere, est Sanctorum mortuorum vitam conspicere, & nostra uestigia à peccati vulnere custodire. Sequitur: *Tenẽtes baculos in manibus*. Quid per baculum, nisi pastoralis custodia designatur? Et notandum, quod prius iubemur renes accingere, & postmodum baculos tenere: quia illi debent pastoralem curam suscipere, qui iam in suo corpore sciũt fluxum domare, vt cum alijs fortia prædicant, ipsi de fideri js mollibus eneruiter non succumbant. Benè autem subditur *Comedetis festinanter*. Notate charissimi fratres, notate quod dicitur, *festinanter*. Mandata Dei, mysteria Redemptoris, cęlestis patriæ gaudia, cum festinatione cognoscite, & præcepta vitæ, cum festinatione implere curate. Quod enim ad huc hodie licet benè agere, scimus: vtrũ autem cras liceat, ignoramus. Festinantes ergo Pascha comedite; id est, ad solẽnitatem patriæ cœlestis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Nemo moras, vana appetendo studia, innectat, sed cœpta perficiat, ne minimè liceat implere, quod inchoat. Si ad amorem Dei pigri non sumus, adiuuabit ipse, quem amamus Iesus Christus Dominus noster. Ita B. Gregorius.

B. Gregorij mystica expositio.

Psalm. 25.

OCTAVA DISPVTATIO.

De voce, Phase siue Pascha, *& de propria eius vocis significatione.*

SVPER ILLIS VERBIS.

Est enim Phase, id est, Transitus Domini. Et transibo per terram Aegypti nocte illa: percutiamque omne primogenitum ab homine usque ad pecus.

Versu 11. & 12.

IN illis verbis: *Est enim Phase*, illa coniunctio *enim*, rationẽ exponit, cur quę de modo edendi agnum supra dicta sunt, ea diligenter ab Hebræis obseruati Deus mandauerit: illa enim significabant, ut diximus, celerem & præproperum transitum, quem facturus erat Angelus Dei, percutiens primogenita Aegyptiorum: is enim cernens domos Iudæorum tinctas sanguine agni, transibat eas, minimè nocens Hebræis. Illud uerò, *id est, Transitus*, non sunt verba Scripturæ, nec Hebraicæ, nec Græcæ, sed additamentum quoddam à Latino interprete prudẽter factum, quò uocis illius, *Phase*, Latinis incognitæ signifi- 50.

fica-

ficationem exponeret, unde ſententia huius loci magis enoteſceret. Sciendum

Paſcha, non eſſe nomen Græcum.

potrò eſt, à pleriſque appellari nō Phaſe, ſed Paſcha, & putari eſſe nomē Græcum dictum ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quod eſt pati, eaque uoce ſalutarem Chriſti paſſionem eſſe præſignatam, Verùm hos te-

S. Hieronymus.

prehendit ſanctus Hieronymus ſuper caput 20. Matthæi, ita ſcribens: Paſcha, non eſt uox Græca, nam Hebræa uox eſt Peſach, ſignificans, non paſſionem, vt plerique arbitrantur, ſed tranſitum; eo quod Angelus exterminator, uidēs ſanguinem in foribus Hebræorum, per tranſierit, nec percuſſerit eos. Nec diſſonat Auguſtinus ſuper Pſalmum 68. Paſcha, inquit, latinè Tranſitus interpreta-

S. Auguſti.

tur, non eſt enim Paſcha Græcum nomen, ſed Hebręū. Reſonat quidē in Gręca lingua paſſionē, quia πάσχειν Latinè pati dicitur, ſed conſultum Hebræū eloquium, aliud indicat, & Tranſitum commendat. Hoc admonuit etiam Ioānes Euangeliſta, qui imminente paſſione, cum veniret Dominus ad cœnam, qua commendauit Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, ita loquitur: *Cū*

Ioann. 13.

ueniſſet hora ut tranſiret Ieſus de hoc mundo ad Patrē, quibus uerbis expreſſit trāſitum Paſchæ Sic Auguſtinus.

51. *Gregorius Nazianzenus.*

Non diſſimilia ſunt, quæ Nazianzenus in oratione de ſancto Paſcha ſcripta reliquit his verbis: Hoc uenerabile ac diuinū Paſcha, ab Hebræis Phaſcha, ſecundum eorum linguam vocatur, q̄ uox ſignificat Tranſitum, hiſtoricè quidem eum, quo ex Aegypto in terram Chanaan commigrarunt Hebræi, ſecundum ſpiritum uerò eum Tranſitū, quo nos ab his caliginoſis locis euolam⁹ ad Superos, & quod ſolet ſæpè in diuinis literis uſu venire, idem accidiſſe etiam in hoc vocabulo comperimus; ſcilicèt, transferri aliqua nomina, quæ aut obſcura ſunt, aut horrida, in alia nomina, quæ ſint illuſtriora & uenuſtiora. Namque hoc nomine putarunt quidam notari ipſam ſalutarem Saluatoris noſtri paſſionem, & ad Græcam linguam eam uocem accommodantes, fecerunt ex Phaſcha Paſcha, quod cum vſus recepiſſet, iam vehementer inoleuit, aſſentientibus ipſis auribus, vtpote ſanctiori nomini. Hæc Nazianzenus. Cuius illud, uocari ab Hebræis (Phaſcha) minimè congruit cum lingua Hebræa, quæ non aliter uocat quàm Peſach. Theodo-

Theodoret

retus in quæſt. 24. in Exodum, ſuper eadem re differēs, hæc ſcribit; Paſcha Philo interpretatus eſt διαβατήρια, id eſt, ſacrificia, quæ pro tranſitu fiunt: Ioſephus autem ὑπέρβασιν, id eſt, tranſgreſſionem: Symmachus ὑπερβάσεις, id eſt, tranſgreſſiones. Theodotio φασέχ Hebraica uoce non mutata: ſignificat autē nomen Hebræum ſaluationem primo-

1. Paſech.

genitorum. Nam qui percutiebat primogenita Aegyptiorū, aſperſo ſanguine in foribus Hebręorum, domus eorū innoxias prætetibat. Sic Theodoretus. Sed nec verum eſt, ab Hebræis uocari φασέχ, vt ipſe ait, cū uocetur Peſach, nec ea uox ſignificat ſaluationem primogenitorum, vt inquit Theodoretus, ſed tranſitum Angeli, domos Hebræorum ſine læſione ulla tranſientis: quo factum eſt, ut Hebreorum primogenita ſeruarentur à cæde.

52. *Philo.*

Philo, ait Paſcha vocem eſſe Chaldaicam, hoc eſt, etiam Hebraicam; is enim pluribus locis ſcripſit, eandem eſſe linguam Hebraicam atque Chaldaicam; qua de re à B. Hieronymo cùm exponit ſecundum caput Danielis reprehenſus eſt, & à nobis opinio eius confutata eſt in libro ſecundo Commentariorum noſtrorum in Danielem, ſuper illis verbis capitis ſecundi: *Reſponderunt Chaldæi regi Syriacè.* Sed lubet hic ponere verba Philonis, quod ea nōnihil hunc Paſchalis ſolennitatis tractatum illuſtrare poſſint, ea verò in libro eius tertio de uita Moſis, ſunt huiuſmodi: Moſes primum anni menſem facit eum, qui in vernum æquinoctium incidit, non ſicut quidā, qui præcedentibus id honoris tribuūt, non obſeruato naturæ beneficio. Tunc enim matureſcunt ſegetes ad victū neceſſariæ, tunc arborum fœtus pubeſcūt recens editi, ſecundis inferendi menſis, Sine tritico autem & hordeo cæteriſq; ſimilibus frugibus non viuitur: at ſine vino & oleo, fructibuſque arboreis, quædam gentes ætatem producunt in annos plurimos. Eius menſis die quartadecima, ſub ipſum tempus quo Lu-

X 4 na

na solet suum orbem complere lumine & celebratur apud nos migrationis publicæ festiuitas, quam Chaldaicè Pascha nominant: quo tempore, non vt alias, plebeij homines victimas adducunt ad altare mactādas à sacerdotib⁹; sed iubente lege, tota gens sacrificat, dū pro se quisque mactans hostiam suis manibus, & vniuersus populus concelebrat lætitiam, dum quisque in eo sacrificio gerit se pro sacerdote. Sic Philo. Io-

Iosephus. sephus uerò libro secundo Antiquitatum, eadem de re hunc in modum scribit; Iussit Deus Mosem edicere populo, vt paratum haberent sacrificium, præparatū tertia decima mensis Nisan die, in quartam decimam diem. Ille instructos prius ad profectionem, & per sodalitia distributos, in uno loco continebat. Illucescēte verò quarta decima die, omnes ad exitum animati, sacrificabāt, & sanguine domos lustrabant, aspersas hyssopo. Peracta verò cœna, reliquias carnium exusserunt, tanquam mox inde abscessuri. Vnde nunc quoque solēne manet nobis idem sacrificium, eamque festiuitatē vocamus Pascha, id nominis transitum significat, quòd Deus illa die, præteritis illæsis Hebræis, Aegyptios morbo percussit, peste primogenita eorum consumente. Sic ibi. Et li. 17. Antiquit. sic ait: Instabat festum, quo, pattium Iudæis est institutū, vesci non fermentatis panibus: Pascha vocāt, monumentum ueteris ex Aegypto effugij, quo summa alacritate, maiorem solito populus mactat uictimarum numerum & infinita turba, nonnullique etiā extra regionis terminos habitantes, confluunt, religionis gratia. Hęc Iosephus. Ergo LXX. Interpretes vocarunt (Pascha) quos & Philo & Iosephus & Patres secuti sunt. Theodotio appellauit (Pasech,) quem secutus Latinus interpres, in veteri Testamento semper appellauit Phase, præterquam libro 1. Esdræ, cap. 6. & Ezechielis 45. vbi vocauit Pascha, quo nomine semper appellauit in nouo Testamento: Hebraicè autem est, vt diximus, Pesach, significans Latinè transitum.

53. Sed triplex in Scriptura celebratur

Triplex trā transitus: vnus Angeli vastatoris, in occidendo primogenita Aegyptiorum, situs, et quē transeuntis innocuè domos Hebræorum: alter transitus fuit Hebræorum, ex eorum præcipuè significet Aegypto, uel ex Aegyptiaca seruitute tristissima, in lætissimam libertatem, de uox sertaque abominabili Aegypto, in opta phase, uel tissimam terram promissionis transmi- Pesach. grantium: Tertius demùm trāsitus, fuit admirandus ille populi Hebręi per mare rubrum transitus, frequenter in Scriptura magnificè decantatus. Vidēdum itaque est, si Phase, vel Pesach significet transitum, quem horum trium potissimùm significet, & ad quem eorum triū commemorandum, instituta fuerit solemnitas Paschalis in posterum ab Hebræis celebranda. Sanctus Augustinus in Tract. 55. in Euangelium Ioānis, docet, vocabulo Pascha significari transitum Hebręi populi per mare rubrum, sub initium eius Tractatus ita scribens: Pascha, non vt quidam existimant, Grę cum nomen est, sed Hebræum: opportunissimè tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia vtrarumque linguarum, nam quia pati Græcè πάσχειν dicitur, ideo Pascha, passio putata est; quasi hoc nomen à passione sit appellatum: sed in Hebraica lingua Pascha trāsitus dicitur, quod tūc primum Pascha celebrauit populus Dei, quando ex Aegypto fugientes, Rubrum mare transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica, in veritate completa est, cum tanquam ouis ad immolandum ducitur Christ⁹: cuius sanguine illitis postibus nostris, id est, cuius signo Crucis signatis frontibus nostris, à perditione huius seculi, tanquam à captiuitate vel interemptione Aegyptiaca liberamur, & agimus saluberrimum transitum, cum à Diabolo transimus ad Christum, & ab hoc instabili seculo ad fundatissimum eius regnum: *Qui eruit nos de potestate tenebrarū, & transtulit in regnū suæ claritatis*, &c.

S. Augustinus.

1. Cor. 1.

54. At verò Philo in lib. 3. de vita Mosis, & Iosephus in lib. 17. Antiquitatū, & Gregorius Naziāzenus in oratione de sancto Pascha, tradiderūt, vocabulū Pascha significare transitū & trāsmigratione Hebræorū ex Aegypto in terrā promissiōis, vt ex verbis eorū suprà memoratis licet cognoscere: qb. suffragari vr Scri-

Philo. Iosephus. Nazianzenus.

Scriptura, docens Phase celebrandū esse ad cōmemorādum egressum Hebræi populi ex Aegypto: sic est em̄ in Deut. cap. 16. *Obserua mensem nouarum frugū, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte.* Et paulò infra: *Septem diebus comedes absque fermēto, afflictionis panem: quoniam in pauore egressus es de Aegypto: vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Sed enim Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 5. & S. Hieronymus in c. 27. Matthæi scriptum reliquerunt, Phase significare transitum Angeli, occidentis primogenita Aegyptiorum, transitū dico per domos Hebræorum, ab illa cæde intactas. Quorū auctorum congruētior videtur sacræ Scripturæ, veriorq; sententia. Nam cùm in hoc capite dixisset De⁹: *Est enim Phase Domini, idest, trāsitus,* proximè addidit, *Et transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vsque ad pecus: & in cūctis dijs Aegypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis signū in ædibus, in quibus eritis: & videbo sanguinē, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti.* Ego crediderim, in prima celebratione Phase Hebræorum in Aegypto, fuisse principaliter significatū transitum Angeli per domos Hebræorum, nihil eis nocendo, sicut apertè declaratur in hoc loco Exodi. In alijs verò celebrationibus Phase, quæ per singulos annos fieri debebant ab Hebræis, præcipuè ac principaliter cōmemorabatur transitus vel egressus Hebræorum ex Aegypto, vt perspicuè traditur in c. 16. Deuteronomij, ijs verbis, quæ paulò ante retulimus.

Iosephus. *S. Hierony.* *Auctoris sententia.*

55. *Vocem Pascha tribus modis sumi in sacris literis.*

Nomen porrò Phase vel Pascha trifariam vsurpatur in sacris literis: vno modo pro ipso Agno paschali, & ita sumitur Lucæ 22. cum dicitur immolare, vel comedere Pascha: & primæ ad Corinthios cap. 5. Paulus dixit: *Pascha nostrū immolatus est Christus.* Et in 2. libro Paralipomenon c. 35. sic est: *Et assauerunt Phase super ignem, sicut in lege scriptum est.* Altero modo nomen Pascha positū legimus pro ipso festo Paschali, & appellatur festū Paschę, vt apud Ioā. c. 6. & 13. & 18. quin etiā pro vniuersa solēnitate azymorū, quæ in septem dies extēdebatur. Hoc modo accepit B. Lucas Actor. c. 12. scribēs de Herode: *Apposuit vt apprehenderet & Petrum: Erant autem dies Azymorū: Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendū, volens post Pascha producere eū populo.* Post Pascha dixit, idest, post septiduanam celebritatē Paschalem, & solennitatem Azymorū. Tertio modo vocabulum Pascha interdum accipitur pro sacrificijs Paschalibus, per singulos septē illorum dierum fieri solitis; quorum vbi fuerunt oblata Deo, pars etiā ad esum pertinebat offerentiū. Quænam verò singulis illis septem diebus Paschalibus solēnia essent sacrificia, distinctè & propriè narratur in libro Numerorum, ca. 28. Hoc tertio modo accipitur nomen Pascha, vel qđ idem est Phase, in libro Deuteronomij, c. 16. in illis verbis: *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ouibus et de bobus:* At em̄, Paschale sacrificium, propriè dictum, non poterat fieri nisi de agno, vel hœdo, vt supra dictum est. Necesse igitur est hoc loco nomen Phase tam ad agnū paschalem immolari solitum ad uesperam decimi quarti diei, quàm ad sacrificia, quæ alijs septem diebus fiebant, extendere. Hoc etiam modo interpretari oportet quod in Euangelio Ioannis, cap. 18. scriptum est, Iudæos noluisse introire Prætorium Pilati, ne contaminarentur, & vt possent comedere Pascha, idest, de Paschalibus sacrificijs per illos septem dies Paschales fieri solitis, quorum pars tradebatur ad esum offerentium. Nam cùm dies ille, quo Dominus noster est crucifixus, esset decimus quintus primi mensis, & primus dies Azymorum festus, iam ipsi pridie immolauerant agnum paschalem, ad vesperam scilicet diei decimi quarti, eumque comederant nocte proximè antecedente decimum illum quintum diem.

Locus Ioānis cap. 18.

56. *Ruperti mystica expositio vocis Pascha.*

Quemadmodum autem transitus ille Angeli per domos Hebræorum intactas cæde primogenitorū præfigurauerit Christum Dñm, qui transitu suo, id est, morte sua, nos à miserrima seruitu-

te

te peccati, & crudelissima Diaboli dominatione liberauit, ad hunc modum declarat Rupertus libro secūdo in Exodum, cap. 14. Dixit Dominus: *Transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vsque ad pecus.* Porrò transire de loco ad locum, Dei non est, quippe qui loco nullo tenetur, sed vbique est: ergò quod dixit; *Transibo*, secūdum figuram temporis illius, per quandam similitudinem dictum est, ad hunc nempe intellectum: Egrediar in similitudinem gigantis, ingenti fortitudine contra hostem irruentis, & post abscessum suum, victoriæ suæ vestigia plena relinquentis planctibus. Quocirca in libro Sapiētiæ scriptum est de hac ipsa historia, quæ narratur in hoc loco Exodi: *Sapien. 18.* *Cùm quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet; Omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo, à regalibus sedibus venit; & durus bellator in mediam exterminij terram prosiliuit: gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cœlum attingebat stans in terra.* Cæterùm de illo transitu, qui per istum figuratur, dixit B. Ioannes cap. 13. *Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia eius hora venit, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ille enim verè transitus Domini, immò omnium nostrum transitus est: nam illo transeunte ex hoc mundo ad Patrem, transiuimus & nos, eiusdem Patris gratia, de vinculis ad absolutionem, & de tenebris ad oculorum nostrorum reuelationem atque illuminationem. Transiuit ille de hoc mundo, qui quodammodo vocatur Aegyptus: & transiuit per Aegyptum inferiorem, idest, per infernum, qui iuxta nomen Aegypti, verè tenebrosus & horridus locus est. Et quoscumque inuenit illic dignos, filios Israel, signatos fide sanguinis sui; à iusto vsque Abel, *Genes. 4.* qui primùm in typum illius, obtulit agnum, vsque ad latronē, *Luca 23.* quem sanguine suo signauit in ipsa hora transitus sui, cunctos liberauit; percutiēdo primogenita Pharaonis, idest, peccatum primæ præuaricationis, quod originale dicitur, & quod persuasio diaboli generauit. *Genes. 3.* Ergo postes certatim sanguine signandi, & carnes agni festinanter edēdæ sunt; transit enim Dominus, vltra non reuersurus; Mortuus enim semel, resurrexit, & iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur. *Ad Ro. 6.* Isto transitu eius, contenti estote, & postes signate omnes filij Israel, alium enim transitum sperare non licet. Veniet, veniet quidem iterum Dominus, sed per Aegyptum inferni non transibit amplius; nec vltra pro illis, qui nunc exire de tenebris iussi sunt, morietur. Hactenus verba sunt Ruperti.

NONA DISPVTATIO.

De solennitate Azymorum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Septem diebus azyma comedetis: in die primo nō erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die usque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festiuitate uenerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis ijs quę ad uescendum pertinent. Primo mense, quarta decima die mensis ad uesperā comedetis azyma, usque ad diem uigesimam primā eiusdē mensis ad uesperā. *Versu 15. usq; ad 19.*

37. *Quatuor genera legalium cæremoniarū.*

QVATVOR erant apud Hebræos legalium cæremoniarum genera: vnū eorum, quæ vocabantur sacrificia, in quibus immolabantur Deo oues, arietes, hirci, agni,

agni, capræ, vituli: & item oblationes panum & primitiarum frugum atque fructuum. Alterum erat genus eorum, quæ appellantur sacra, vt vasa & vestimenta atque ornaméta Sacerdotum & Pontificis; necnon & dies festi, siue festiuitates & solennitates. Tertij generis erant quæ dicuntur Sacramenta; hęc autem erant, Circumcisio, & Agnus paschalis, & consecratio sacerdotũ. Quartum genus continebat legales quasdam obseruantias, quæ pertinebant ad singularem quandam sanctitatem conuersationis Hebræorum, & ad singularem personarum munditiam & sanctitatem quandam legalem: ea verò præcipuè in delectu ciborum, & vestium, atque huius generis alijs quibusdam posita erãt. solennitas itaque Azymorum ad tertiũ genus pertinebat, inter publicas eius populi festiuitates numeranda. Cęterùm similia eorum quę pręcipiuntur in hoc loco Exodi de solennitate Azymorum, etiam traduntur in Leuitico, cap. 23. & in libro Numerorum, cap. 28. & in Deuteronomij 16. In Leuitico quidẽ sic est: *Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam, Phase Domino est & quinta decima die mensis huius, solennitas Azymorum Domini est: septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusq́, omne opus seruile non facietis in eo: sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumq́, opus seruile facietis in eo.* In libro Numerorum hæc sunt verba: *Mense primo quarta decima die mensis, Phase Domini erit; & quinta decima, solennitas, septem dies vescentur azymis: quarum dies prima, venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea. Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis, omne opus seruile non facietis in eo.* In Deuteronomio ita scriptum est. *Septem diebus comedes azyma absque fermento, afflictionis panem, quoniã in pauore egressus es de Aegypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Et quibusdam interpositis paulò infrà subditur: *Sex diebus comedes azyma: & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.*

58. Ex omnibus supradictis Scripturæ locis vnum illud inter alia, liquidò apparet, septem fuisse dies Azymorum, in quibus vesci pane fermentato, capitale erat. Sed cur voluit Deus, Hebræos, quotquot annis, in primo mense, per septem dies abstinere fermentato, nec alio pane, quam azymo vesci? Nimirum ea re voluit Hebræos perpetuam habere memoriam, & facere commemorationẽ eius quod ipsis acciderat ex Aegypto discedentibus. Cum enim illa nocte farinam miscentes cum aqua, pastã fecissent, volentes eam fermentare, & panes ad edendum fermentatos coquere; compellentibus Aegyptijs sine vlla mora abire eos Aegypto, coacti sunt pastam illam in mactris seu pallijs secum ferre, & postea coquere panes azymos, quibus deinde per aliquot dies vsi sũt. Quod ergo in egressu ipsorum ex Aegypto, non consulta opera, nec Dei præcepto, sed compulsu Aegyptiorum, & necessitate fecerunt, id postea in cæteris celebritatibus omni anno faciendis iussi à Deo sunt obseruare. Sed cur per septẽ dies iussi sunt id facere? An quia totidem diebus tunc, Aegypto egressi, comederunt azyma? At enim Iosephus ait per triginta dies, azymos panes comedisse tunc Hebræos, ita scribens in libro 2. Antiquitatum, cap. 5. Cum abeũtes, strenuè iter continuarent, & nihil in via inuenirent propter solitudinem, macerata farina, & modico calore in panis speciem solidata, se sustentabant, quo victu per triginta dies sunt vsi: neque enim plus commeatus Aegypto extulerant; atque eum ipsum parcè dispẽsabant, ad necessitatem magis, quàm ad satietatem, quapropter in memoriam eius inopiæ, festa per octo dies celebramus, quæ vocamus Azymorum. Sic ille. Cui si fidem habemus, credibile fit, Hebræos comedisse azymos panes vsq; ad id temporis, quo, deficiente prorsus farina Aegyptiaca, datum est eis manna de cœlo, sicut narratur infrà c. 16. Namque hoc ipsum perspicuè docet Iosephus in capite 1. libri tertij Antiquitatum, hunc in modum scribens: Triginta dierum itinere confecto, commeatum omnem, quem secum extulerant, iam absumptum desiderabant: Et cum

Cur voluerit Deus, Hebraei azyma.

Cur septẽ diebus ederentur azyma.

Iosephus.

Iosephus.

nihil

nihil alimentorum in terra deserta inuenirent, minimum à desperatione aberant. Itaque præsenti egestate, præteritorum tam Dei, quam Mosis beneficiorum memoriam excutiente, in iram cõcitati, videbantur iamiam correptis saxis, in suum Imperatorem inuasuri, auctorem miserrimi omnium ipsorum interitus clamitantes. Sic Iosephus. Post quæ narrat, quemadmodum ad subleuandam eorum famem, Deus eis miserit primùm quidem coturnices, mox deinde manna. Sicut igitur cum primũ Hebræi comedere potuerũt fruges Terræ promissionis, defecit ipsis manna, ꝑ annos ante quadraginta dari ipsis solitum. Sic enim in libro Iosue, cap. 5. scriptum est: *Defecit manna, post quam comederant de frugibus terræ, nec vsi sunt vltra cibo illo filij Israel.* Ita quoque vbi defecerunt Hebræis cibaria, quæ secum ex Aegypto asportauerunt, nec in deserto reperirent, vnde sibi victum pararent; Deus eos cœlesti manna pauit. Nimirũ Deus, nec deest homini, vbi necessum est; nec superest, vbi non est opus. Sed reuertamur eo, vnde huc paulisper sumus digressi.

59. Quoniam Hebræi multis diebus, vt ostendimus, cùm egressi sunt ex Aegypto, panes azymos comederunt; ideo Deus ad renouandam, & perpetuò conseruandam eius rei memoriam, iussit eos in celebratione Phase, panibus azymis per septem dies vesci: non quia tũc septem tantùm diebus panes azymos comederint, sed quia multis diebus comederunt; ad quorum dierum multitudinem repræsentandam, postea ipsi per singulos annos septiduano azymorum esu vtebantur. Etenim septenarius numerus sæpè in Scriptura significat indefinitè multitudinem quampiam, cuius rei licet multa sint exempla, hic tamen ego tribus vel quatuor illustrabo quod dixi. In quarto capite libri Ruth mulieres gratulabundæ Nohemi, propter natum ex nuru eius filium, dixerunt: *De nuru tua natus est, qui te diliget; & multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios.* Septem dixerunt, idest, multos. Et in libro Prouerbiorum, cap. 26. *Sapientior stultus videtur sibi septem viris loquentibus sententias.* Et propè finem eiusdem capitis: *Labijs suis intelligitur inimicus, cũ in corde tractauerit dolos: quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.* Et item illud satis vulgatum: *Septies in die cadit iustus.* Consimili etiam ratione, quoniã Hebræi quadraginta annis, quoad peregrinati sunt in deserto, manserunt in tabernaculis; idcirco Deus, ad commemorandam simulque quodammodo repræsentandam illam in Tabernaculis tot annorum mansionem, iussit eos singulis annis celebrare festum Scenopegiæ, idest, Tabernaculorum, per septẽ dies.

Septenari' sæpenumero significat indefinitè multitudinem.

Ecclesi. 1.

60. Sed enim ijs quæ dicta sunt, aduersari videtur auctoritas Iosephi, nec Iosephi solum, sed ipsius etiam sacræ scripturæ. Iosephus quippe in lib. 2. Antiquitatum, cap. 5. ita scribit: Quapropter in memoriã eius inopiæ, festa per octo dies celebramus, quos vocamus Azymorum. Sic ille. Non igitur septem tãtùm diebus, sed octo celebrabatur solennitas Azymorum. Cum Iosepho cõsentit Rupertus in lib. 2. Commentariorum in Exodum, cap. 15. affirmans octo fuisse dies Azymorũ, idque probat dupliciter: primum citans hæc verba Scripturæ ex hoc loco Exodi: *Primus dies sãctus erit tibi, & octauus dies æquè venerabilis erit.* Deinde, quia Exodi 12. capite, versu 18. traditur, Hebræos comedere azyma debere, à decima quarta die primi mensis, vsque ad vigesimam primã eiusdem mensis; quibus verbis perspicuè indicantur octo dies azymorum, tot enim dies numerantur à decimo quarto vsque ad vigesimum primum. Ita Rupertus. Sed isti sententiæ apertissimis verbis diuina Scriptura contradicit, quæ in quatuor locis suprà memoratis Exodi 12. Leuitici 23. Numerorũ 28. & Deuteronomij 16. vbi distinctè atque expresse agit de diebus Azymorum, septem dies numerat, & septimũ diem facit vltimum azymorum; nec vspiam in sacris literis de octauo azymorum die vllum fit verbum. Nam verba illa, quæ citat Rupertus ex lib. Exodi: *Dies primus, & dies octauus huius festiuitatis erit æquè venerabilis.* In quo libro legerit Rupertus, equidem nescio: hoc scio,

An dies Azymorum nec plures nec pauciores fuerint quàm septem.

Iosephus. Rupertus.

ſcio, in libro Exodi, vel alio quopiam libro Pentateuchi ea verba nec in Latina translatione, nec in Græca, nec in Paraphraſi Chaldaica, nec in Scriptura Hebraica reperiri: quin potius (quod facit apertè contra opinionem Ruperti) in hoc c. 12. Exodi, verſu 16. & legũtur hæc verba: *Dies prima erit ſancta atque ſolemnis; & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis.* Deinde Rupertus argumentatur, eſſe octo dies Azymorum, eo quod Exodi 12. verſu 18. ſcriptũ ſit, dies azymorum obſeruari debere à die decima quarta primi mẽſis, vſque ad vigeſimã primam diem eiuſdem menſis, hoc autem temporis ſpatium continere octo dies. Rectè ſanè, ſi decim⁹ quartus dies in dierum azymorum numero includeretur: at excludi debet, neque enim in decima quarta die comedebant Hebręi azyma, ſed poſt ſolis occaſum eius diei incipiebat decimus quintus dies, qui erat primus Azymorum. Quocirca, nõ præcepit Deus vt comederentur azyma à decimo quarto die, ſed ab eius veſpera, ideſt, fine; terminabatur enim decimus quartus dies in occaſu ſolis, & inde fiebat initium & decimi quinti diei, & comedendi azyma.

61. *Locus Deuteronomij, capite 16.* Sed quid reſpondebimus Scripturę, quæ in Deuteronomio, cap. 16. ſex tantùm facit dies Azymorum? Cuius hæc ſunt verba: *Sex diebus comedes azyma: & in die ſeptima, quæ collecta eſt Domini Dei tui, non facies opus.* Eſt ſanè facilis & prõpta reſponſio: Sex enim dies nominando, non excluſit ſeptimum: nam paulò antè iſta verba dixerat: *Septem dies comedes abſque fermento afflictionis panem.* Sed quia in ſeptimo die azymorum, fiebat collecta Domini, qui erat dies feſtus & feriatus ab omni opere ſeruili, & hoc ipſo nomine collectæ, dies ille celebrior erat, quàm nomine azymorum; idcirco Scriptura eum diem appellare maluit à collecta, quàm ab azymis. Et hunc, eius loci verum eſſe intellectum, verãque interpretationem, mecum Lyranus, & Thoſtatus, & Caietanus, aliĳ; conſentiunt. *Lyranus. Thoſtatus. Caietanus.*

62. Verùm fortaſſe Lector ſcire cuperet, quid ſignificet eo loco nomen Collectæ, quæ in die ſeptimo Azymorum, agebatur: duo enim dies hoc nomine appellantur in Scriptura, & dies ſeptimus Azymorum, & vigeſimus ſecundus dies ſeptimi menſis, qui proximè ſequebatur ſeptiduanam Tabernaculorum ſolennitatem, vt eſt in Leuitico, cap. 23. S. Thomas, Prima Secundæ, q. 102. artic. 4. in reſponſione ad 10. ſic exponit. In die Collectæ colligebantur ea, quæ erant neceſſaria ad expẽſas cultus diuini: & item ſignificabatur adunatio populi, & pax præſtita in terra promiſſionis. Sic ille. Idemque fieri ſolitum in Collecta quæ agebatur vigeſimo ſecundo die ſeptimi menſis, & Lyranus, & Thoſtatus ſuper vigeſimum tertium caput Leuitici arbitrantur. Hac certè ſignificatione prout fiebat in pauperum ſubſidium, vſus eſt beatus Paulus in prioris epiſtolæ ad Corinthios capite decimo ſexto, his verbis ſcribẽs: *De collectis autem quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facietis.* At enim Lyranus ſuper caput 16. Deuteronomij, argumentatur, in ſeptimo die Azymorum non fuiſſe factã Collectam ad colligendam pecuniam à populo in vſus templi collatam, eo quod licebat Hebræis in ſecundo die Azymorũ diſcedere, & ad domos ſuas reuerti: ſic enim eſt in Deuteronomio, cap. 16. *Et coques & comedes (Phaſe) in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, manéq; conſurgens, vades in tabernacula tua.* Non igitur ſeptimus dies Azymorum opportunus fuiſſet & cõmodus ad colligendas pecunias, ſed potius primus dies aut ſecundus, priuſquam populus diſcederet. Paulus quoque Burgenſis ſuper uigeſimum tertium caput Leuitici, probat ex ſententia doctorum Hebræorum, collectionem pecuniarum in vſus templi, per totam terram promiſſionis fieri ſolitam fuiſſe, duodecimi menſis die primo. Verùm lubet hic apponere verba Lyrani, quæ præcipuè attingunt id, quod nunc à nobis tractatur: ea ſic habent: Dicunt aliqui, ſeptima die Azymorum ſolitam fieri collectam pecuniæ pro ſuſtentatione pauperum, ſicut in menſe Septembri fiebat Collecta in uſum ſacrificiorum templi. Sed hoc non eſt conſonum Scri-

Quid ſignificet dies Collectæ. S. Thomas.

Locus Pauli, 1. ad Corinth. c. 16. Lyranus.

Paulus Burgenſis.

Scripturæ, quæ paulò ante dixit, licitum fuisse Hebræis, in secunda die Azymorum redire ad domos suas. Probabilius igitur erat, debuisse fieri ante recessum populi. Sciendum igitur in Hebræo sic legi: *In die septimo retentio est Domini Dei tui.* Quod ab Hebræis exponitur de retentione ab operibus seruilibus, quæ eo die fieri vetabantur. Translator autem noster accepit pro retentione populi ad Collectam pecuniarum faciendam, & ideo transtulit Collectam: prior tamen expositio communior est apud nostros Auctores. Posset etiam dici, quod dies septimus erat dies Collectæ, eo quod tunc numerabatur pecunia, & reponebatur in thesauro templi; quæ tamen pecunia, recepta fuerat ab offerentibus in principio festiuitatis. Sic Lyranus.

62. Miror ego, Lyranum non vidisse, quid sibi verè obijci posset. Cur enim vult ipse in vigesimo secundo septimi mensis, idest, postridie solennitatis Tabernaculorum factam esse Collectam siue retentionem populi ad recipiendũ ab eo pecunias in vsum templi: in vigesimo autem primo die primi mensis, idest, in septimo & vltimo die Azymorum, dicit factam esse Collectam siue retentionem populi, non ad colligendas ex eo pecunias, sed ad retinendum & cohibendum ipsum ab omni opere seruili: Cur, inquam, Lyranus dissimilem vult fuisse Collectæ siue retentionis populi rationem in duobus istis diebus, cum in vtroque die similis ageretur festiuitas, eodemque nomine tam Latino & Græco quàm Hebræo vtrũque diem appellet Scriptura, & similiter de vtroque die loquatur? Vel igitur in vtroque die similiter fiebat Collecta, siue retentio populi ad recipiendum pecunias, quod negat Lyranus: vel in neutro die fiebat talis Collecta siue retentio populi, quod similius vero est. Ad id porrò persuadendum, satis argumenti esse posset, quod de Salomone scriptum est in posteriori libro Paralipomenon, capite septimo, his verbis: *Fecit die octauo Collectam, eo quod dedicasset septem diebus, & solennitatem celebrasset diebus septem.* Quo in loco nomen Collectæ, haudquaquam significare potest collectionem pecuniarum ex populo, in vsus templi. Non enim Rex ille ditissimus, qui tanta magnificentia & opulentia templum perfecerat, pecunias i vsus tẽpli accipi à populo iussisset: sed, Collectã is fecit, idest, congregari iussit omnes ad celebrandas Dei laudes, eique gratias agendas pro talis tantique templi absolutione.

63. Sciat igitur Lector, pro illa uoce Latina (Collecta) Hebraicè vocem esse (Azareth,) quæ significat conuocationem, conuentum, cœtum, congregationem hominum: & ad hanc significationem accommodanda est uox Latina, Collecta, vt significet collectionem populi in vnum locum: nam quod Latinus interpres dixit: *Collecta est Domini*, Chaldæus vertit: *Collecti eritis Domini*. Fiebat igitur in septimo die Azymorum Collecta, idest, congregatio populi Hebræi in vnum locum, siue vbi erat Tabernaculum Domini; siue vbi postea fuit templum, ad celebrandas Dei laudes, & tum verbis, tum solennibus quibusdam sacrificijs, gratias Deo agendas, quod ipsos eo pauore & afflictione liberasset, quam in egressu ex Aegypto senserant, & quam in celebrando solennitatem Azymorum, & comedendo panem azymum (quem Scriptura vocat panem afflictionis) per quandam similitudinem repræsentabant. Consimili ratione, postridie solennitatis Tabernaculorum fiebat Collecta siue collectio & congregatio populi, ad gratias Deo agẽdas, quòd post longam illam quadraginta annorum in deserto peregrinationem, & mansionem in Tabernaculis, optatissimam ipsis terræ promissionis possessionem, quietamque habitationem dedisset. Septuaginta Interpretes pro Latina voce, Collecta, & Hebræa, Azareth, Græcè posuerunt, ἐξόδιον, idest, exitum siue finem: quòd isti duo dies lætum darent exitum & finem præcedentis solennitatis tam Azymorum quàm Tabernaculorum. Verùm hæc, per digressionem quandam dicta, satis Lectori esse debent.

DECIMA

DECIMA DISPVTATIO.

De primo & secundo & vltimo die Azymorum.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 16. Dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eo, exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinent.

64 QVONIAM circa primum & secundum atq; vltimum diem Azymorum nonnullæ sunt quæstiones, nec leues, nec faciles explicatu, minimeque hoc loco prætermittendæ, visum est commodius fore, seorsim ac propriè super his disputare. Et prima, quæ se nobis ante alias offert, quæstio, est huiusmodi, quis censeri debeat primus dies Azymorum, num decimus quartus dies primi mensis, an potius decimus quintus eiusdem mensis dies. Fuisse decimum quartum diem, & sensit Rupertus, & scriptum reliquit in libro secundo Commentariorum in Exodum, hac vsus ratione, quòd in hoc duodecimo capite Exodi, & in versu decimo octauo scriptum sit, azyma comedi debere à die decimo quarto primi mensis, vsque ad diem vigesimum primum eiusdem mensis. Verum, ista opinio nec uera est, nec similis vero, eique sacra Scriptura planè cótradicit. Principio, septem fuisse tantú dies Azymorum, in proximè superiori disputatione conclusum est: Si autem primus dies Azymorum fuisset decimus quartus primi mensis, non septé, sed octo fuissent dies Azymorum: solennitas quippe Azymorum extendebatur in diem usque vigesimum primú mensis primi. Deinde, primus dies Azymorum erat festus, & in eo vacabatur ab omni seruili opere, vt dicitur in hoc capite duodecimo, & in verbis supra positis in titulo huius Disputationis: dies autem decimus quartus nó erat festus, nec dissimilis aliorum cómunium dierum, nisi quod in vespera eius immolabatur Agnus paschalis; quocirca Dominus noster, qui decima quarta die primi mensis ad uesperam celebrauit Phase, dicitur Ioannis cap. 13. celebrasse ante diem festum Paschæ, id est, ante primum diem solennitatis Paschalis, siue Azymorum. Iosephus libro 3. Antiquitatum, cap. 15. ait, nullum haberi festú à Iudæis absque holocaustomate, & laború vacatione: sed in omnibus festis hæc duo, secundum legem obseruari oportere. Nusquam verò legitur in sacris literis præceptum esse Hebræis, vt in decimo quarto die primi mensis, ab omni vacarent seruili opere; quod tamen non semel præceptum est de primo die Azymorum. His accedit Innocentij III. auctoritas in libro quarto de sacro Altaris mysterio, capite quarto, ita scribentis: Dies festus Paschalis erat decima quinta Luna secundum illud: *Et in quinta decima solennitatem celebrabitis altissimo Domino.* Nam quarta decima non erat solennis, nisi tantùm à vespera. Ante diem festum hunc Dominus Pascha cum Apostolis celebrauit. Sic Innocentius. Ad hæc, hoc ipsum quod dicimus, apertè traditur in Leuitico, cap. 23. vbi sunt hæc verba: *Mense primo quarta decima die mensis, ad vesperam Phase Domini est, & decimo quinto die solennitas Azymorum.* Hinc apparet, solennitatem Azymorum non à decimo quarto die, sed à decimo quinto incipere. Postremò, Scriptura docet, Hebræos ex Aegypto discessisse primo die Azymorum: sic enim ait: *Et obseruabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti.* Constat autem ex capite 33. libri Numerorum, Hebræos decima quinta die primi mensis ex Aegypto profectos esse: *Profecti* inquit, *sunt de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phase,* idest, postridie quam fecerant Phase, fecerant enim ad vesperam diei decimi quarti, profecti verò sunt die decimo quinto ante lucem. Hebræos porrò.

Quotus dies primi mensis fuerit dies primus Azymorum.

Rupertus.

Iosephus.

Innoc. III.

Exodi 12.

porrò ex Aegypto non esse profectos decima quarta die, narratio ipsa Mosis, quæ est in hoc capite duodecimo, clarissimè demonstrat. Etenim, decimo quarto die ad vesperam mactatus ab illis est Agnus paschalis: post, ineunte nocte, quæ iam pertinebat ad decimũ quintum diem, inchoatum nempe ab occasu solis decimi quarti diei, epulati sunt, Paschale conuiuium agitantes. Ad hæc, media illa nocte occisa sunt ab Angelo primogenita Aegyptiorũ; propter quam cædem, concurrentes Aegyptij ad domos Hebræorum, instantissimè compulerunt eos quamprimùm ex Aegypto discedere. Haud dubiè igitur discesserunt decimo quinto die, quem diem fuisse primum Azymorum diem, dudum ostensum est.

65. Nec verum est quod putauit & tradidit Rupertus, solennitatem Azymorum incipere à decimo quarto die primi mensis inclusiuè: Scriptura quippe ait, incipere à vespera decimi quarti diei, vnde initium fiebat decimi quinti diei, simulque comedendi azyma. Nec me præterit, quid super hac re scriptum reliquerit Thostatus: existimat enim in vltima decimi quarti diei particula, q̃ erat prope occasum solis, & vocatur à Latino interprete, (ad vesperam) Hebraicè verò (inter duas vesperas) ĩ quo temporis spatio immolabatur Agnus paschalis, in illa, inquam, extrema parte diei decimi quarti, existimat Thostatus Hebræos esse solitos, eiecto prorsus omni fermento, incipere comedere azyma. Illud tamen tempus, ob paruitatẽ, computabatur cum die decimo quinto, & non cum decimo quarto: Et quod primo diei Azymorum adiunctum fuerat ex decimo quarto, postea in die septimo, qui erat uigesimus primus eiusdem mensis, detrahebatur ex uigesimo primo die: in illo enim comedebantur azyma usque ad vesperam; & paulò ante solis occasum, incipiebant rursum vesci fermentatis panibus. Hæc est Thostati opinatio: quam ego nunc examinare supersedeo. Scriptura certè non videtur suffragari Thostato: ea namq; primum diem azymorum facit decimũ quintum diem mensis: is uerò, cum esset dies festus, more aliorum festorum, incipiebat à vespera, idest, ab occasu solis decimi quarti diei. Non fit igitur verisimile, Hebræos ante vesperam decimi quarti diei, idest, ante primum diem azymorum, cœpisse comedere azyma, etiam priusquam ad id præcepto Dei obligarentur. Sed, vt dixi, non libet ad præsens, super ista opinione Thostati subtiliter, & accuratè disputare.

Thostatus in cap. 12. Exodi.

66. Altera quæstio est de primo die azymorum. Cur primus dies azymorum dicatur sanctus & solennis? Sanctum in Scriptura uocatur, quicquid est à cõmuni & profano usu hominum remotum, & applicatum ac dicatum Deo: hac ratione & loca quædam, & uasa, & uestimenta, & homines appellãtur sancti. Primogenita quoque Hebræorum dicebantur sancta, quia dicabantur & asserebantur Deo: primogenita enim animalium immolabantur Deo; primogenita verò hominum redimebantur quinque siclis, qui offerebantur Deo, vt scriptum est in libro Numerorum, capite tertio. Dies igitur sancta dicebatur, quia erat dicata Deo, & ab omni opere seruili soluta, quippe quæ in cultu Dei, non autem in corporalibus humanæ uitæ laboribus cõsumebatur. Quocirca, cum dixisset Scriptura, primum & ultimum diem azymorum esse sanctum, continuo, quasi rationem eiusmodi sanctitatis exponens, adiunxit: *Nihil operis facietis in eis, exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinent.* Sciendum porrò est, de quibusdã diebus festis & sanctis, præcipi simpliciter & præcisè, vt in illis nihil operis fiat; sic enim præcipitur de Sabbato Leuitici 23. *Omne opus non facietis in eo, Sabbatum enim est.* Et in huiusmodi diebus non solùm facere opus seruile non licebat, sed nec cibos coquere, nec ignem accendere. De alijs verò festis non præcipitur simpliciter, sed cum quadam exceptione: iubentur enim ab omni opere seruili abstinere, exceptis ijs, quæ ad uescendum pertinent, ut hic dicitur de primo & vltimo die azymorum. Solẽnis autem dies uocatur, quod in ea fierent præcipuè ac specialiter aliqua in cultum & honorem Dei, quæ non fiebant in alijs diebus:

De primo die Azymorum.

Quid sit in Scriptura esse aliquid sanctum et solenne.

bus:

bus: erant enim quidam dies sancti, qui non erant solennes, sicut dies Sabbati erat sanctissimus, cùm in eo nec cibos parare, nec ignem accendere liceret, quod tamen licebat in alijs diebus sanctis: nõ dicebatur tamen dies Sabbati solennis, quia in eo non fiebant præcipua, nec peculiaria aliqua sacrificia; Quænã autem fierent in primo die azymorum in cultum Dei, explicatur in libro Numerorum, cap. 23. his verbis: *Septem diebus vescentur azymis. Quarum dies prima venerabilis, & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea. Offeretisque incensum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septẽ: & sacrificia singulorum, ex simila, quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos. Et hircum pro peccato vnum, ut expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis.* Hæc itaque fiebant in prima die azymorum, quo etiam die Hebræi elegantiori, & ornatiori cultu, atque habitu corporis vtebãtur; lautiusq; epulabantur quàm cæteris dieb⁹. Hic enim fiebat, quod de alio festo dixit Iudæis Nehemias, vt est in libro secundo Esdræ, capite octauo: *Ite inquit, & comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite ijs, qui non præparauerunt sibi: quia sanctus dies Domini est: & nolite contristari, gaudium enim Domini, est fortitudo nostra.* At enim, licet vocabulum (solenne) ita, vt dictum est, accipiatur in Scriptura: apud veteres tamen Latinæ linguæ scriptores, solenne dicebatur, quod certo quodam tempore fieri solitum erat; interdũ etiam, atque adeò sæpenumero vsurpatur pro solito & cõsueto, sicut apud Suetonium in Augusto, Gladiatores promiscuè spectari, solenne olim erat: Et apud Ciceronem libro septimo epistolarum ad Atticum: Nostrum, inquit, illud solenne seruemus.

Suetonius. *Cicero.*

Tertia quæstio est de secundo die azymorum, quemadmodum intelligenda sint, quæ de eo præcipiuntur Leuitici 23. illis verbis: *Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarũ, primitias messis vestræ ad sacerdotem coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis, altero die Sabbati, & sanctificabitis illũ.* Et posthæc subiungit, quænam eo die sacrificia offerri deberent. Sed verba hæc per partes carptim exponenda sunt: *Cùm ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis.* Non igitur hæc lex obligabat Hebræos priusquam intrassent & possedissent terrã promissionis. *Et messueritis segetem.* Non est intelligendum, in illo primo anni mense fuisse in Palæstina totam segetem iam maturam messi: sed lex iubebat spicas tantum quasdam metere, quæ grandiores essent, & maturitati propiores, quod in aliqua parte Palæstinę citius fiebat quã in alijs, sicut in sorte Nephthalim, vnde, sicut tradunt Hebræi, huiusmodi manipuli spicarũ præcipuè sumebãtur, & ad paschalẽ hanc solennitatẽ deferebantur. Nec loquitur Scriptura hoc loco de segete triticea, sed de hordeacea: segetis enĩ triticeæ primitiæ offerebant in festo Pentecostæ: Sic enim est Exodi 34. *Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitijs messis tuæ triticeæ.* Licet autem apportarentur spicæ pro primitijs, priusquam tamen ex ipsis fieret sacrificium, torrebantur igni, vt traditur Leuitici 1. & per confricationem excutiebant grana, quibus implebatur gomor, quæ continet decimam partem Ephi.

De secundo die azymorum.

Altero die Sabbati. Hebræa sonant: *In crastino Sabbati.* Nec Sabbatum sumitur hic propriè pro septimo die septimanę, sed amplè & promiscuè pro quolibet die festo: qua significatione utitur Scriptura Leuitici 23. dicens: *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Id est, festos dies: Cùm igitur primus dies azymorum, qui erat decimus quintus primi mensis, esset festus, hic uocatur Sabbatũ; & dies qui hunc proximè sequitur, estque decimus sextus primi mẽsis, uocatur hic alter dies Sabbati. Ergò oblatio illa spicarum fiebat in secũdo die azymorum, & in decimo sexto primi mensis. Licet enim esset facienda in prima die, quia tamen in ea nõ licebat operari, in diem proximè sequentem differebatur. Fiebat porrò talis oblatio & grati animi erga Deũ declaratio, quòd eodem ipso tempore,

virentibus nempe frugibus, eduxisset Deus Hebræos ex Aegypto: Sic enim scriptū est Exodi 13. *Hodie egrediemini, mense nouarum frugum*. Quemadmodū autem hæc oblatio spicarum fieret, perspicuè docet Iosephus libro 3. Antiquitatum, cap. 10. his verbis: Secundo azymorum die, quæ est mensis primi decimasexta, frugibus quas messuerunt, hactenus intactis, incipiunt frui: æquumque rati, Deum huius vbertatis auctorem, per gratitudinem, honorari, hordei primitias ei offerunt, in hunc modum: spicarum manipulum ei torrent, hordeum deinde pinsunt, atque ita in alicæ modum fracti, assaronem (mensura est continens quatuor libras) ad aram offerunt: inde pugillo uno in eā iniecto, reliquum vsui cedit Sacerdotum: & ex eo fit licitum, publicas ac priuatas segetes demetere. Hæc Iosephus. Quibus consonant quæ traduntur Leuitici, cap. 2. *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in modum farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens super eas oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est: de qua adolebit sacerdos, in memoriam muneris, partem farris fracti, & olei, ac totum thus.*

Iosephus.

68. *De vltimo die azymorum, An fuerit celebrior quā primus dies.*

Quarta quæstio est de septimo & vltimo die azymorum. Videtur circa hūc diem nonnulla esse in Scriptura contradictio, contraria de eo (vt videtur) in diuersis locis tradente. In hoc enim loco Exodi diem septimum azymorum facit parem diei primo, quantum ad sanctitatem & celebritatem: sic enim ait: *Dies prima erit sancta atque solennis: & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis ijs, quæ ad vescendum pertinent*. At verò in cap. 23. Leuitici, septimum diem facit celebriorem & sanctiorem primo, dicens: *Dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque: omne opus seruile non facietis in eo: sed offeretis sacrificium in igne Domino septem diebus. Dies autem septimus erit celebrior & sanctior: nullumque seruile opus facietis in eo.* Verùm hæc, licet in speciem videatur, verè nulla est contradictio. Tribus enim modis proposita diluitur obiectio. Primùm, dies septimus azymorum dicitur celebrior & sanctior prioribus sex diebus, quòd haberet aliquid celebritatis, & sanctitatis præcipuum ac singulare, quod non esset in alijs diebus: fiebat enim in eo collecta, id est, congregatio populi ad uacandum laudibus Dei, & gratiarum actioni: sicut paulò supra expositum est: hoc autem in alijs diebus azymorum non fiebat. Lyranus autem ita respondet eidem obiectioni: Septimus dies vocatur hic celebrior, non quidem respectu primi diei, sed respectu aliorum dierum, qui intermedij sunt inter primum & septimum: in quibus non solum erat licitum præparare ea quæ ad uictum pertinent, sed etiam alia opera facere. Si uerò dies Sabbati incidebat in primum vel septimum diem, tunc in illis diebus uacandum erat non solum ab omni opere seruili, sed ab omni prorsus opere, sicut in die Sabbati fieri solebat. Sic ille. Tertia tamen responsio, videtur probabilior. Pro eo quod Latina lectio habet: *Celebrior & sanctior*, quæ formam habent comparationis, in Hebræo nulla planè est comparatio: Sic enim ad uerbum legitur: *In die septimo, vocatio sanctitatis*. Id est, erit sanctus: Vnde septuaginta uerterunt: *Dies septima, vocata sancta erit vobis*. Similiter etiam vbicunque Latinus interpres uertit de primo uel septimo die: *Vocabitur celeberrimus atque sanctissimus*. In Hebræo nulla est superlatio neque comparatio: sed ubique est, ut diximus: *Erit vobis vocatio sanctitatis*. Si enim cùm dicitur primus dies celeberrimus, sumeretur propriè hoc nomen, ut superlatiuum, sequeretur primum diem esse omnibus alijs diebus, etiam septimo, celebriorem; cuius tamen contrarium probat proposita obiectio. Ergò in lectione Latina, nomina comparatiua, & superlatiua, quæ hic ponuntur, pro positiuis accipienda sunt; quemadmodum frequenter etiam usurpant elegantes Latinæ & Græcæ linguæ scriptores.

Locus Leuitici c. 23.

Lyranus.

VNDE-

VNDECIMA DISPVTATIO.

An in ijs quæ præcepit Deus de celebratione Phase, potuerit aliqua fieri dispensatio.

69. QVAESTIO est, an quę præcepit Deus circa celebrationem Phase, possêt aliqua de causa vel prætermitti, vel in aliud cōmutari? Respondendum est, eorum quę in celebratione Phase erant pèr singulos annos faciẽda, nonnulla fuisse quæ certas ob causas differri & commutari poterant. Huiusmodi fuit, celebrationem Phase, quam Deus in primo mense anni, fieri iusserat, tunc omitti, & in proximè sequentem mensem secundũ differri: talis uerò dispensatio legis diuinæ, & dilatio celebrationis Phase, nō auctoritate humana est facta, sed à Deo ipso, qui legem condiderat, sancita est; cuius rei, disertis verbis, narratur historia in libro Numerorum, capite nono. Duæ porrò causæ à Deo præscribuntur, ob quas differri posset celebratio Phase in sequentem mensem: quorum Vna est, si quis tempore legitimo huius solennitatis, immundus esset super anima mortui; namque immundus nō poterat immolare & comedere agnum paschalem; idcirco differebatur ei Phase in secundum mensem, in decimo quarto die ad vesperam, & cum alijs omnibus cæremonijs, quibus in primo mense legitimè celebrabatur. Altera causa erat, si quis tunc esset in itinere, nec legitimo tempore posset venire ad celebrationem Phase, quæ solenniter fiebat ab Hebræis in loco sanctuarij; ei quoque concessum erat celebrare Phase in secundo mense. Huius rei exempla reperiet Lector in libro Numerorum, cap. 9. & in libro 2. Paralipomenon, c. 30. Alia tum verò cæremoniarum indispensabilis fuit obseruatio, præsertim verò eius quod præcepit Deus in Phase celebrarent alio in loco quã in eo, quem Deus elegisset, vt à populo publicè coleretur, idest, in loco Tabernaculi, & Sanctuarij. Præceptum Dei hac de re videat Lector in Deuteronomio, cap. 12. & 16. & in Leuitico, cap. 17. In capite nono libri Numerorum, ex quo loco sumpta sunt quę hic docuimus, ita scriptum est: *Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam; cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud: non relinquent ex eo quippiam vsque mane, & os eius non confringent. Omnem ritum Phase obseruabunt.* Hæc ibi. In posteriori autem libro Paralipomenon, cap. 30. ad eandem sententiam, scripta hæc sunt: *Inito ergò consilio regis & principum, & vniuersi cœtus Ierusalem, decreuerunt, vt facerent Phase secundo mense: non enim potuerunt facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere, sanctificati non fuerant; & populus nendum congregatus fuerat in Ierusalem.* Ex his duo licet concludere: vnum est, nunquam licuisse Iudæis celebrare Pascha ante decimum quartum diem primi mensis; nihil enim de hoc Deus mãdauit; si autem id fieri ob aliquam causam aliquando licuisset, sicut edixit, quando differri oporteret: ita edixisset, quando anticipari deberet. Non igitur uera est opinio quorundam, Christum Dominum celebrasse ultimum suum in terris Pascha, decima tertia die primi mensis. Alterum est, Iudæos aliquãdo solitos celebrare Pascha decima quinta die primi mensis ad vesperam eius diei, vt putarunt quidam, falsum esse; id enim fecissent contra præceptum Dei, qui dilationem mandauit fieri in duobus tantùm supradictis casibus, & in secundi mensis diem decimum quartum. *Chrysostomus. Theophylactus. Euthymius. Auctor q̃stionum noui & veteris Testamenti. Rupertus. Paulus Burgensis. Iansenius.*

70. Sed huic disputationi affinis quęstio illa est, An celebritas solennitatis azymorum potuerit olim fieri ab Hebræis extra locum Sanctuarij, aut etiam extra terram promissionis, hodieque ab ipsis fiat? Non solùm circa solẽnitatem azymorum, verùm etiam circa obseruationem aliarum legalium cæremoniarum, ut notum sit quænam earum obseruari potuerint à Iudæis extra terrã promissionis, quænam uerò non; generalis hæc regula tenenda est. Quæcum-

que cæremoniæ necessarium habebant ordinem ac relationem ad locum Sanctuarij, eas extra locum illum usurpare ac exercere nefas erat. Quocirca post eiectionem Iudæorum ex terra sancta, cùm nec altare holocaustorum, nec tabernaculum Domini habeant, tales cæremonias Hebræi nequaquā celebrāt. Huius generis fuerunt, oblationes, immolationes, ac sacrificia, quæ non poterant fieri nisi in loco Sanctuarij. Decimæ itē quæ quolibet anno duæ, & tertio quoque anno tres dabantur Sacerdotibus, in tabernaculo Domini ministrantibus: præterea annus Iobilæi; omnes etiam purgationes, & purificationes, & abstersio omnis immunditiæ legalis, quæ erat uelut quædam irregularitas: adhæc, immolatio primogenitorū animalium, & redemptio primogenitorum hominum; primogeniti enim hominum redimebantur quinque siclis, q dabantur Sanctuario. Hæc igitur omnia, & si quæ sunt huius generis alia, quæ necessariò spectant locum Sāctuarij, extra ipsum fieri non possunt; ideóque non obseruantur nunc à Iudæis.

71. Alia porrò sunt præcepta cæremonialia, quæ definitè & propriè non spectāt loco Sanctuarij; & idcirco extra terrā promissionis obseruari poterant, hodieque obseruantur à Iudæis. Huius generis erant circumcisio, obseruatio azymorum, vacationes ab omni opere seruili in Sabbato, & quibusdam alijs festis; ieiunia & afflictationes corporis, Præcepta etiam iudiciaria obseruarentur etiam nunc à Iudæis, si habere possent ex sua gente ministros & iudices, habentes ius & potestatem puniendi. Veteres itaque Rabbini, facta distinctione legalium cæremoniarum, quasdam semper & vbique locorum obseruari ab ipsis debere tradiderunt, quæcumque nimirum ordinem non habent necessarium ad locum Sanctuarij. Alias uerò obseruari prohibuerunt, quia, secundum legem, extra locum Sanctuarij, quo nunc ipsi carent, obseruari non poterant. Ergò Iudæi post euersionem templi, & amissionem Sanctuarij, festiuitates legales partim obseruant, secundum ea videlicèt, quæ extra locum Sanctuarij fieri non repugnat: partim verò non obseruant, omissis nimirum oblationibus & sacrificijs, quæ fieri in festiuitatibus illis solenne erat, quòd ea pertinerent ad locum Sanctuarij. Præcipuè autem interdixit Deus immolari, & comedi agnum paschalem, extra locum Sanctuarij, apertissimis verbis id vetans in Deuteronomio, cap. 12. Nec solùm paschale sacrificiū, sed alia quoque sacrificia uetans. *Ad locum* inquit, *quem elegerit Dominus Deus uester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habites in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta, & victimas uestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria; primogenita etiam boum & ouium: & comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri.* Et paulò inferiùs: *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quacunque præcipio tibi.* At verò propriè de celebratione Phase hæc præcipit in eiusdem libri capite sexto: *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* Iustinus Martyr in eo sermone, quem habuit cum Tryphone Iudæo, & scripto prodidit, ex eo quod uetuit Deus solennitatem pascha lem agi, nisi in loco Sanctuarij, argumentatur, Deum eo præcepto satis indicasse, celebrationem agni paschalis, aliarumque similium cæremoniarum, aliquando cessaturam fuisse: sciebat enim fore, vt aliquando templum Ierosolymitanum, & locus Sanctuarij funditus & in perpetuum desolaretur; nec haberent Iudæi locum, in quo ritè possent sacrificare. Iustini verba sunt hæc: Mysterium solennis sacrificij, quo in Pasche festo mactatur Agnus ex Dei precepto; figura Christi erat, cuius sanguine fideles freti, vngunt domos suas, idest, semetipsos. Id preceptum fuisse temporaneum, hinc apparet, quia Deus nusquam permittit mactari agnū paschalem, preter locum, in quo inuocatur nomen ipsius: nimirum, quia sciuit, uenturos dies post passionem Christi,

Locus Deuteronomij cap. 12.

Iustinus.

Christi, quando vrbs Ierosolymitana tradenda esset hostibus, cessantibus semel omnibus victimis. Sic ibi Iustinus. Iustino tamen uidentur aduersari uerba Dei, quæ sunt in uersu 14. & 17. duodecimi capitis Exodi; quibus ipsemet indicit Hebræis æternam paschalis celebritatis obseruationem. Verùm quia huiusmodi uerba præcipuam habent quandam difficultatem, propria super ipsis disputatio à nobis tractanda est.

DVODECIMA Disputatio.

An obseruatio solennitatis paschalis futura esse deberet æterna.

71. VIDETVR futura fuisse æterna; hoc enim apertis verbis edixit Deus, ita præcipiens Hebræis, vt est in versu 14. *Habebitis hunc diem in monimentum, & celebrabitis eum solennem Domino in generationibus uestris, cultu sempiterno.* Et in uersu 17. *Custodietis diem istum in generationibus vestris ritu perpetuo.* Ex aduerso autem nõ videtur id verum esse posse: non enim celebratio legalium cæremoniarũ, vltra consummationẽ seculi, & diem iudicij extendi poterat: immo verò cæremonialia legis Mosaicæ, post aduentum Messiæ, atque eius salutiferam passionẽ cessaturæ erant. Tota itaque difficultas huius quæstionis in eo est, vt enotescat, quo sensu atque intellectu dixerit De⁹, obseruationem solennitatis paschalis, æternam fore. Exponam primũ sententiam Thostati, qui quæstione 18. in hoc caput duodecimum Exodi, ad hũc modum super ea re disputat. Nonnulli inquit, celebrationem paschalem uocari æternam putant, non in se, sed in eo, qđ per eã figuratur: Est enim figura Christi, quo electi frui debent in æternum; nam hic eum habent in symbolis & Sacramentis, & per ænigma, & quasi in speculo cognoscunt eum; post hanc autem uitam facie ad faciem, & sicuti est, uidebunt eum, eiusque uisione beati erunt. Sed hoc (ait Thostatus) licet piè dictum sit, non admodum tamen uidetur firmum & solidum. Etenim complures cæremoniæ ueteris legis traduntur Hebræis obseruandæ in æternum, quibus non respondent res aliquæ in noua lege, quarum illæ fuerint figuræ. Atque huius generis, fuit septiduana obseruatio azymorum, & festiuitas hebdomadarum, in qua offerebantur primitiæ messis triticeæ, & festum Tabernaculorum, & Tubarum, & Expiationis, quarum omnium obseruatio appellatur in sacris literis æterna; nec tamen isti similes aliquæ, apteque respondentes solennitates in noua lege successerunt. Dicendum igitur est, cæremonias illas Mosaicas præcipi a Deo obseruari in æternum, hoc est, quoad ex natura sua nõ repugnabat eas obseruari; donec autem non repugnabat, semper obseruatæ sunt. Sed quia post aduentum Messiæ, repugnabat eas obseruari, quippe cum per eas illas populus Hebræus symbolicè & implicitè protestaretur venturũ Messiam; idcirco post aduentum Messiæ, prorsus exoleuerunt. Sciendum porrò est, uocem Hebræam (Holam) pro qua Latinè legitur (æternum uel perpetuum) non semper in Scriptura significare durationem verè ac propriè æternam, id est, principio ac fine carentem; sed nonnunquam significare tempus Iobilei, quod erat quinquaginta annorum. Si quis enim dominus habebat seruum Hebræum, is Dei præcepto debebat eum in anno septimo remissionis dimittere liberum: si autem seruus, amore domini sui, uellet apud eum manere, perforanda erat eius auricula, & tunc manebat eius seruus in sempiternum, ut dicitur Exodi uigesimo primo; uel usque in seculum, ut dicitur Deuteronom. decimoquinto, quanquam in utroque loco, quoniam eadem est uox hebræa (Holam) eadem quoque est sententia. Atqui seruus ille, adueniente anno Iobilei, nihilominus liber cum uxore & filijs, si haberet, dimittendus erat, ut traditur Leuitici decimo quinto. Hæc Thostatus.

Margin notes: *Thostatus.* (beside "tiam Thostati"); *1. Cor. 13.* (beside "cramentis, & per ænigma")

73. *S. August.* Sed enim, quam refutat Thostatus, ea ipsa est Beati Augustini sententia; quæ ab eo in quæst. 43. in Exodum traditur his verbis: Quod scriptum est: *Et facietis diem hunc in progenies vestras legitimum æternum, vel æternalem*, quod Græcè dicitur *αἰώνι* non sic accipiendum est, tanquam possit illorum prætereuntium dierum esse aliquis æternus: sed illud æternum est, quod iste significat dies: velut cùm dicimus Deũ æternum, non vtique istas duas syllabas æternas dicimus, sed quod istæ syllabæ significant. Et hæc est vna Augustini solutio eius quæstionis: postquam proximè adiecit alteram Augustinus haud paulò sanè probabiliorem, ita scribens: Scrutandum est, quomodo Scriptura soleat appellare æternum: ne fortè dixerit diem æternum, quem nefas haberet Hebræi prætermittere, aut sua sponte mutare. Aliud est enim cùm præcipitur, quousque aliquid fieri debeat, sicut præceptum est, vt septies muros *Iosue 6.* Hiericho circuiret Arca: Aliud verò est, cum præcipitur sic obseruari aliquid, vt nullus terminus præfiniatur obseruationis eius, siue quotidie, siue per menses, siue per annos solennitet, siue per multorum, vel aliquorum annorum certa interualla fiat. Aut ergo sic appellauit æternum, quod non sua sponte audeant prætermittere: aut sicut dixi, vt non ipsa signa rerum, sed res, quæ signis illis significantur, æternæ intelligantur. Hæc Augustinus: qui has ipsas duas solutiones tradit in libro Quæstionum in Genesim, quæstione 31. & in libro, quem contra Priscillianistas, & Origenistas ad Orosium scripsit.

Auctoris sententia. Nos igitur breuiter dicamus, in hoc loco Scripturæ vocem Hebræam (*Holam*) & Latinam (*æternum*) vel (*perpetuum*) non significare interminatam quampiam durationem, sed longissimum quodlibet tempus: cuius temporis, quoniam certus aliquis terminus non præfinitur, idcirco, ratione eorum hominum, quibus præstituitur, est quasi æternum, quod eius temporis finis ab illis nesciatur. Quoniam igitur obseruatio celebritatis paschalis, & aliarum similium cæremoniarum legaliũ, sine vlla determinatione temporis in dicta est Hebræis, eamque illi per annos mille quingentos septuaginta obseruare debebant, (tot enim anni præterierunt ab eo tempore, quo præcepta huiusmodi cæremonialia data sunt Hebræis, vsque ad id temporis, quo Dominus noster salutiferam humano generi Crucis mortem obeundo, cæremoniarum legalium obseruationi finem imposuit) idcirco obseruatio huiusmodi cæremoniarum legalium appellatur æterna, significatione & vsurpatione eius vocis in sacris literis minimè insolenti. Verùm de multiplici significatione uocis Hebrææ (*Holam*) & Grecæ (*αἰών*) & (*αἰώνιον*) & Latinæ (*æternum*) vel (*seculum*) & quo modo promissiones rerum terrenarum in ueteri Testamento & obseruationes legalium cæremoniarũ, futuræ dicantur æternæ, copiosè disputauimus in tertio Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim super caput 13. in Disputatione quarta.

Restat vt de mystica expositione septiduanæ solennitatis azymorum non nihil dicamus. Septenarius numerus in Scriptura interdum significat vniuersitatem quandam: & hoc loco denotare potest omne tempus præsentis uitæ humanæ, quæ septem distincta & circumscripta est ætatibus, Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuentute, Aetate virili, Senectute, & Decrepita ætate. Quid autem mysticè significet Fermẽtum & azyma, non conuenit aliter interpretari nos, quàm interpretatus est B. Paulus, fermẽtum, interpretans malitiam & nequitiam; azyma verò, syncerutatem & veritatem. Sic enim ait in priori epistola ad Corinth. cap. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.* Veritas & synceritas complectuntur vniuersam hominis perfectionem: cuius partim est in intellectu, & significatur nomine veritatis; partim est in affectu, & vocabulo synceritatis denotatur. Iam verò malitia & nequitia, omnia continent peccata & flagitia. Veteres enim Romani, 74. *Mystica expositio solennitatis Azymorũ.* *Locus 1. ad Corint. capite 5.*

maui, qui propriè atque integrè Latina lingua vsi sunt, istis duobus nominibus omnia comprehendebant hominum uitia & flagitia. Hoc sanè apertè ostendunt verba illa Publij Africani; *Omnia mala, probra, flagitia, quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt; malitia, atque nequitia*. Septiduana igitur solennitas azymorum prohibens esum fermenti, & indicens esum azymorũ, significabat, eum qui dignè celebrando Pascha, idest, colendo Christum dignéque Sacramento Eucharistiæ percipiendo, peruenire vult ad terram promissionis, & beatam illam regionem viuentium, quæ est in cœlis, abstinere oportere ab omni peccato: & synceto affectu, & uero, rectoque intellectu, & spiritu, Deo seruire vsque in finem. Primus dies azymorum erat festus: similiter etiam primus dies conuersionis hominum ad Deum, festus agitur in cœlis coram Deo & Angelis eius: Dominus enim dixit: *Gaudium est in cœlo, & coram Angelis eius, super uno peccatore pœnitentiam agente. Et pater ille filij prodigi, filium suum seriò pœnitentem, & ad se reuertentem, erratáq; sua humiliter confitentem, deprecantemq; suppliciter veniã, ingenti gaudio & conuiuio accepit*; ob idque alteri filio querimanti & expostulanti dixit; *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est*. Vltimus quoque dies azymorum, pari festiuitate celebrabatur: consimiliter finis uitæ Sanctorum, festus est; tunc enim ex hac misera mortalitate, transeunt in illam cœlestis vitæ ac felicitatis æternitatem: *Beati enim mortui qui in Domino moriuntur*. Quapropter sancta Ecclesia obitus Sanctorum, quasi natales eorũ, festa solennitate & gaudio celebrat.

A. Gellius lib. 7. cap. 11.

Locus Luc. 15. & Matth. 18.

Ibidem.

Apocalyp. 19.

75. *Rupertus.* Sed audiamus quid super hac ipsa re à Rupetto in lib. 2. Commentariorum in Exodum cap. 15. piè, sciteque scriptum sit: disputans enim cur Deus toties præceperit in hoc ipso capite duodecimo Exodi, ne quid fermenti, per septem illos dies Paschales in domibus Hebræorum inueniretur, sic ait: Numquid de fermẽto panum cura est Deo? an hoc dixit propter peccatum diabolicæ superbiæ, quo fermentatum est genus humanum in primi parentis præuaricatione? Septem ergo diebus, id est, tota uita nostra ab hoc fermento caueamus. Nam primo die, per gratiam Dei fit, ut non inueniatur in nobis: deinceps nostri studij est, ne iterum corrumpamur. Etenim primo die solennitatis nostræ, id est, mox ut quisque nostrum signatus est Christi sanguine, hoc est, baptizatus in illius morte, omne peccati ueteris fermentum vacuatum est, uestigia eius nulla supersunt. Hæc dies, planè Christi est; dies profectò magnus & præclarus, in quo de Aegypto exiuimus, in quo de tenebris uocati, in admirabile lumen, educti sumus. Hanc diem sequuntur alij dies eiusdem solennitatis, & vltimus, pari atque primus festiuitate uenerabilis: tota namque uita nostra sic agenda est, ut in eo consummetur, à quo cœpit. Tantæ porrò obseruandæ festiuitatis causam exponens, dixit: *Eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Aegypti.* Signanter dixit; *Exercitum vestrum*, videlicèt, quia non ad otia, neque ad ludicra exiuimus de terra Aegypti, & de domo antiquæ seruitutis, sed ad pugnandum contra principes & potestates, & mundi huius rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; quippe cum tempus iam sit, ut regnum Dei uim patiatur, & nos uiolenter, benè agendo, rapiamus illud. Rectè itaque consequenter adiunxit illud: *Nihil operis facietis in eo, exceptis ijs quæ ad uescendum pertinent*. Propugnatoribus namque regni Dei, nihil de omni mundo curandum est: sed, iuxta Apostolum, habentes uictum & uestitum, his contenti sint; præoptantes tamen & primũ quærentes panem uerbi Dei, & interim sine ulla obliuione comedentes azyma synceritatis & ueritatis, sicut dictum est. Hæc Rupertus.

Ephes. 6.

Matth. 11

1. ad Tim. 6.

TRACTATVS DECIMATERTIA AD IDEM CAPVT DVODECIMVM EXODI PERTINENS,

De Egressu filiorum Israel, duce Mose, ex Aegypto,

CONTINENS DISPVTATIONES Octo.

DE hoc egressu Hebræorum ex Aegypto tres res admodum memorabiles in hoc duodecimo capite Exodi tradit Scriptura. Primùm docet, ex sse Hebræos non inopes, neque inermes, sed multo auro & argento, alijsque rebus pretiosis, quas acceperant ab Aegyptijs, copiosos & abundantes; & insuper armatos, & instructo agmine, in modum exercitus, procedentes. Deinde numerum exeuntium recensens, ait, fuisse sexcenta ferè millia peditum uirorum, præter paruulos & mulieres, & vulgus promiscuũ innumerabile. Ad hæc, tradit egressos esse Hebræos ex Aegypto post triginta & quadringentos annos quàm illuc uenerant habitatum, eosque de nocte exijsse de Aegypto significat. Atque hæc fermè sunt præcipua, quæ de egressu Hebræorum enarrat hoc loco Scriptura: cum quibus rebus, quia complures & graues difficultates complicatæ sunt, eas nos per uarias Disputationes, singulis illis quatuor rebus propriè apteque respondentes, explicare atque enodare pro uirili enitemur.

DISPVTATIO.

An Hebræi, sine peccato, Aegyptios proprijs ipsorum bonis spoliauerint.

SVPER ILLIS VERBIS.

Fecerunt filij Israel sicut præceperat Dominus Mosi, & petierunt ab Aegyptijs vasa argentea, & aurea, vestémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, ut cómodarent eis, & spoliauerunt Aegyptios. *Exodi 12. Versu 35. & 36.*

QVOD hic dr̃, Hebræos ex præcepto Dei, dato Mosi, petijsse ab Aegyptijs ista bona, id suprà declaratũ est: nã in extremo cap. 3. Exodi dixit Deus Mosi: *Dabo gratiã populo huic coram Aegyptijs: & cũ egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à uicina sua & ab hospita sua vasa argentea, & aurea, & uestes, ponetisq́; eas super filios & filias uestras, & spoliabitis Aegyptios.* Idemq́; dixit iterum Deus Mosi, vt est proditum initio cap. 11. his verbis: *Dices omni populo vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea. Dabit autem Dominus gratiã populo suo corã Aegyptiis.* Ex his tribus locis Scripturæ liquidò apparet, nó esse verum, quod quidam dixerunt, Aegyptios vltro donasse illa dona Hebræis, præueniendo eorum petitionem; nec commodasse eis, quasi post usum eorum in sacrificio, quod in solitudine facturi erant Deo suo, reddenda ipsis: sed gratuito ac liberaliter ea donasse. Hoc enim esse falsum, euidenter ostendunt uerba Scripturæ, quæ suprà ex capite duodecimo, in titulo huius Disputationis posuimus: illis enim verbis dicitur, & Hebræos petijsse ab Aegyptijs, & Aegyptios commodasse ea Hebræis, & 76.

Aegyptios, nec vltro, nec liberaliter bona illa donasse Hebrais.

& Hebręos spoliasse Aegyptios; si enim bona illa fuissent liberaliter donata Hebræis, non dicerentur ea commodata Hebræis; aliud enim est commodare alicui quippiam, & aliud, donare ei; nec Hebręi dicerentur spoliasse Aegyptios, si ea bona liberaliter & dono accepissent ab ipsis. Ergo non est probabile, quod Iosephus libro secundo Antiquitatum, conuenienter ei sententiæ quam refutauimus, scripsit his uerbis: Tunc Rex, accito Mose, mandat, vt abeant, ratus post eorum exitum, regionem, cessantibus calamitatibus subleuatum iri: donis etiam Hebræos honorabant; alij, quo celerius discederent, alij propter vicinitatis consuetudinem, atque hoc pacto egressi sunt Hebræi, flentibus Aegyptijs & pœnitentibus ob præteritã malam eorum tractationem. Sic Iosephus. *Iosephus.*

77. Sed nos propositam disputationem diligenter tractare aggrediamur. Quæritur itaque, An spoliatio illa Aegyptiorum facta ab Hebræis, fuerit iniqua & meritò culpanda. Videtur enim fuisse furtum, quid enim aliud est furari, nisi rem auferre domino inscio, nec uolenti, & quæ cõmodata sunt, perinde quasi donata essent, nunquam reddere, sed tã quam propria retinere? Hoc autem fecerunt Hebræi spoliantes Aegyptios. Deinde, non videntur Hebræi posse uindicari à peccato doli & fraudis, per quã circumuenerunt Aegyptios, petentes ab eis commodata bona ipsorum, cùm in animo haberent, nunquam ea reddere. Hanc quæstionem tractarunt multi, & in primis clari scriptores, ut Philo libro primo de vita Mosis, Irenæus libro quarto contra Hęreses capite quadragesimonono, Tertullianus libro secundo aduersum Marcionem, Clemens Alexã drinus in primo libro Stromatũ, S. Augustinus in libro Quæstionum in Exodum, tribus in locis, in quæst. 6. & 39. et 45. sed copiosissimè in libro 22. contra Faustum, capit. 71. Rupertus lib. primo Commentariorum in Exodum, cap. 15. S. Thomas in Secunda Secundę, quæst. 66. artic. 5. ad primum, & quæst. 104. artic. 4. ad 2. Thostatus in tertium caput Exodi, quæstione decima. Hi omnes concordi sententia arbitrati sunt, factũ illud Hebræorum, nec furtum fuisse, nec ullius generis peccatum; quin etiam iustum fuisse, meritoque laudandum.

Hoc autem Lectori multis argumentis facile persuaderi poterit. Principio, quod fit iubente Deo, id esse peccatum non potest, cum in eo sit peccati ratio, quod Dei preceptis, & uoluntati contrarium sit, immò nõ facere quod Deus præcipit, id verissimum esset peccatum. Hebræos, uerò spoliasse bonis Aegyptios, non auctoritate sua, proprioque consilio, sed Dei non solùm instinctu, sed etiam expresso præcepto & iussu, ex tribus locis Scripturæ paulò supra memoratis manifestum atque indubitatũ est. Hanc rationem breuiter, & pulchrè comprehendit, exposuitque S. Augustinus in quæstione 39. in Exodũ, his verbis: Non ex hoc Hebræorum facto quisquam sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum. Illud enim Deus Hebræis præcepit, qui nouerat quid quemque pati oporteret: nec Hebræi furtũ fecerũt, sed Deo iubenti ministerium præbuerunt: quemadmodum cùm minister iudicis, occidit eum, quem iudex iussit occidi, profectò, si id spõte faciat, homicida est etiamsi eum occidat, quem scit à iudice occidi debuisse. Sic Augustin⁹. Cur autem vellet Deus illis bonis spoliari Aegyptios, præter absolutam Dei potestatem & dominium omnium, fuit etiam in ipsis Aegyptijs iustissima causa, cur id pati mererẽtur; plurima uidelicet, & grauissima eorum scelera, & multiplex atque abominabilis idololatria, sed pręcipuè intoleranda eorum cõtra Deum superbia & contumacia, iussis eius obtemperare obstinatissimis animis recusantium. Sicut etiam terram Chanaan abstulit Deus antiquis eius terræ habitatoribus, propter maxima eorum scelera, ut scriptum est in Leuitico, c. 18. atque illis exterminatis, eius terræ possessionem tradidit Hebræis. *Hebræi spoliantes bonis Aegyptios, nihil peccarunt.* *S. Augustinus.*

Nec verò solum Dei præceptum honestat, & commendat factum illud Hebræorum; sed licet nullum fuisset Dei præceptum, idem tamen ipsi inculpatè iusteque facere potuissent.

Etiam absque tali præcepto Dei iusta fuisset illa spoliatio Aegyptiorum. tuissent. Etenim Hebræi diu multumq; seruierant Aegyptijs, cum essent tamẽ liberi atque ingenui homines, nec ullã tã laboriosæ & diutinæ seruitutis mercedem acceperãt: poterant igitur bona illa, loco mercedis sibi debitæ retinere. Hæc autem ratio traditur in libro *Locus Sapiẽtia cap. 10.* Sapientiæ, capite 10. illis uerbis: *Reddidit Deus iustis mercedem laborum suorum.* Adhæc, Aegyptij contumeliosè ac crudeliter tractauerant Hebræos, & præter alia mala, quibus eos uehementer afflixerant, filios eorum necauerant: quapropter Hebræi poterant iustum bellũ inferre illis, & vlciscendo iniurias sibi factas, tanto eos damno afficere, quãtum ab eis ipsi acceperant: cùm igitur non aliter tunc possent ulcisci eos, licitum fuit tanquam contra publicos hostes suos procedendo, bonis illis eos spoliare.

Philo. Has etiam rationes luculẽter tractat Philo in primo libro de uita Mosis, ita scribens: Expulsi extrusique ab Aegyptijs Hebræi, memores ingenuitatis pristinæ, ausi sunt facinus, quo iniurias acceptas rependerent, multum enim prædæ nacti, sarcinas partim suis humeris, partim iumentis imposuerunt. Nec id præ auaritia fecerunt (ut obtrectatores fortasse dicent) nec alienarum fortunarum cupiditate, sed primùm, vt diuturni laboris necessariam mercedem reciperent: deinde, ut pro acceptis in tempore seruitutis iniutijs, si non pro merito, aliquid saltem damni reponerent. Nec enim par est iactura libertatis ac pecuniæ: nemo quippe sanus non malit vitæ, quàm libertatis adire periculum. Itaque vtrumque factum iure tueri possunt: siue, vt in pace, mercedem receperunt, qua tam diu frustrati fuerant: siue, vt i bello uictores, victos bonis spoliauerunt: ab illis enim orta fuerat iniuria, qui uiros ingenuos hospitesq; suos quasi captiuos in seruitutem redegerũt sed vbi se obtulit occasio meliorum tẽporum, populus inermis, illatã sibi vim vltus est, ipsa protegente eum iustitia. *Irenæus.* Hæc Philo. Irenæus porro, præter causas à Philone commemoratas, causatur etiam grauissimum ingratissimi animi Aegyptiorum in Hebræos crimen, ob quod suis illi bonis meritò spoliati fuerint, amplissima enim beneficia acceperant à sancto Patriarcha Ioseph, qui per octoginta annos vniuersam Aegyptum, admirabili prudentia, & inæstimabili eius gẽtis vtilitate, summo cum imperio administrauerat: quamobrem Aegyptios in eius gentem humanissimos & benignissimos esse oportuit, cui tamen illi fuere inhumanissimi atque crudelissimi. Scribit autem hunc in modum Irenæus: Quidam exprobrant, & imputant, quod profecturus populus, iussu Dei, vasa omnis generis, & uestimenta accepit ab Aegyptijs, & sic abierit, ex quibus tabernaculum factum est in eremo, ignorantes profectò iustificationes Dei, & dispositiones eius. Et quibusdam interpositis, subdit rationem, cur factum illud Hebræorum iustũ censeri debeat, ita scribens: Aegyptij enim populi, debitores erant Hebræis non solùm rerum, sed & uitæ suæ propter Patriarchæ Ioseph præcedentem benignitatem. Adhæc, populus Hebræus pessimam seruitutem seruierat Aegyptijs, ui tam eorum acerbam facientibus in durissimis operibus luti, & laterum, & in ædificandis ciuitatibus munitis, & multis ac diuturnis laboribus suis facultates eorum uehementer auxerant; cùm illi tamen non solũ ingrati essent aduersus eos, uerùm & uniuersos eos perdere uellent. Quid igitur iniustè factũ ab illis est, si ex multis pauca sumpserunt, & qui potuissent multas substãtias suas habere, si non seruissent eis, & diuites abire; paucissimam mercedem pro magna seruitute accipientes, inopes abierunt? Hæc Irenæus.

79. *S. Augustinus.* Sanctus verò Augustinus in lib. 22. contra Faustum, c. 71. super eadem re ita scribit: Quid ergò iam de spoliatis Aegyptijs Faustus objicit, nesciẽs quid loquatur? quod sanè faciendo Moses, vsque adeo non peccauit, ut non faciẽdo, peccaret. Deus enim iusserat, qui utiq; nouerat non solùm secundum facta, verum etiam secũdum cor hominis quid vnusquisque vel per quem perpeti debeat. Carnalis itaque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus. Aegyptij verò sacrilegi & iniqui

iniqui erant, qui & auro illo, hoc est, Dei creatura, malè utentes ad Creatoris iniuriam, suis idolis seruiebant, & homines peregrinos labore gratuito iniustè, & vehementer afflixerant. Digni ergò erant & Hebræi: quibus talia iuberentur, & Aegyptij, vt talia paterentur. Sic Augustinus. Ex his perspicuum fit, spoliationem illā Aegyptiorum non fuisse furtum Hebræorum. Furari enim est, rem alienam non volente domino rapere, uel sibi retinere: At uerus dominus & illorum bonorum, omniumque bonorum, quæ homines possident, Deus est, qui talia bona, cuicumque vult, auferre, & cuicūque vult largiri, iustissimè potest. *Psalm. 23.* *Domini enim est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & uniuersi qui habitant in eo.* Nec solum ista bona, quæ diuitiarum nomine censentur, verùm etiam regna & imperia, ab vno homine ad alium, & ab vna gente ad aliam iustissimè Deus transferre solet. Adijce, quod bona Aegyptiorum, iustè potuerunt Hebræi auferre, tum quasi partem mercedis sibi debitæ, tum tanquam publicorum, & crudelissimorum hostium suorum spolia, & prædam.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

An Deus iusserit Hebræis petere bona illa commodato ab Aegyptijs, idque fecerint illi sine mendacio & fraude.

80. Altera quæstio super hac ipsa materia quam tractamus, est, Quomodo præcipiens Deus, vt Hebræi commodato peterēt bona illa ab Aegyptijs, quibus ea reddi nec Deus uolebat, nec in animo habebant Hebræi, quomodo, inquam, id præcipiens, nō docuerit & fecerit Hebræos mentiri, & fraudulenter agere cum Aegyptijs? Multa super hac quæstione disputat in loco paulò ante citato S. Augustinus, omnesque sese vertat in partes, vt ex hac difficultate, quasi è quodam scopulo euadat: cuius sen- 43.
tentiam paulò post indicabimus. Nos arbitramur, quatuor modis huic quæstioni posse responderi. Primo enim uerè dici potest, Deum non præcepisse Hebræis, ut ipsi commodato peterent bona illa ab Aegyptijs, sed absolutè tantùm & præcisè iussit eos petere bona illa: hoc liquido cernet Lector considerans præceptum illud Dei in tribus illis suprà memoratis libri Exodi locis; id est, in extremo capite tertio, & in principio capitis vndecimi, & in medio fermè capitis duodecimi, in quibus locis hoc Dei præceptum traditur, nec dicitur, aut significatur, Deum præcepisse, vt commodato peterent ab Aegyptijs. Prædixit quidem Deus fore, vt Aegyptij bona illa commodarēt Hebræis; sed non edixit, vt Hebræi commodato peterent ab ipsis: fieri enim potuit, ut petentibus Hebræis dicerent Aegyptij, libenter se tradere ea bona Hebræis, non quidem dono, sed commodato, reddenda vtiq; sibi, absoluto illo sacrificio, quod facturi erant in solitudine: idque non abnuerint Hebræi: Fieri etiam potest, vt Hebræi, licet iussi à Deo essent simpliciter petere, ipsi tamen peterent commodato, quo facilius impetrarent.

Altero modo sic eidem quæstioni oc- 81.
curri potest; Deum dici præcepisse Hebræis, vt commodato peterent illa bona, non propriè accipiendo uerbū præcipiendi, sed prout in Scriptura interdum idem significat, atque permittere vel ordinare, vt sit sensus, Præcepit Deus ut Hebræi commodato peterent bona illa, id est, permisit isto modo peti; vt petitio fuerit præcepta, modus autem petendi commodato, fuerit tātùm permissio. Hoc autem fieri ab illis permisit Deus, & ordinauit atque conuertit in spoliationem Aegyptiorum, quā illi iustissimè merebantur pati. Interdū porrò quæ uidentur in sacris literis habere speciem quandam imperij & præcepti, ea permissionem tantum Dei significare, duobus, in præsens tantùm exemplis ostendam. *Locus Ioannis cap. 13.* Ad hanc nempe locutionem pertinet quod Dominus noster,

ster,

ster, vt legitur Ioannis 13. dixit Iudæ: *Quod facis, fac citius.* Non enim sunt hęc uerba imperantis teterrimum illud facinus Iudæ, sed non prohibentis, & tanquam permittẽtis, vt sit hic sensus: Possem equidem impedire, ne perficeres quod in me machinatus es, sed ego non prohibeo, neque obsto, quo minus quàm primum id conficias. Quãuis mihi non planè displicet expositio Caietani, aientis, uerba illa esse imperantis, non quidem facinus ipsum Iudæ, sed circũstantiam temporis quo fieri debebat: nam etsi Deus non uoluit scelus illud Iudæ, voluit tamen, vt tempore à se definito, & non ante nec post perduceretur ad effectum. Caietani uerba ita se habent: Dicendo, *Fac citius*, non præcipit, vt faciat quod facit. sed præcipit circumstantiam temporis significatam per *citius*, vt scilicet eo tempore ille faceret, quo tempore fieri decreuerat Deus. Quamuis enim Deus nõ præceperit ut Iudas prodetet Iesum: præcepit tamen; ut non alio id tẽpore faceret, quàm eo quod ipse decreuerat. Et quia illud tempus iã aduenerat, ideo præcipitur vt citius faciat & impleat tunc quod erat tempus decretum à Deo. Sic ille. Consimilem sententiam atque interpretationem habet, quod in li. 3. Regum, cap. 22. scriptũ est, Satanæ pollicenti se decepturum regem Achab, dixisse Deum: *In quo*, scilicèt, *decipies?* Et ille dixit: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarũ eius.* Et dixit Dominus: *Decipies & praua lebis, egredere, & fac ita.* Illa verba: *Egredere, & fac ita*, non cõtinent propriè imperium Dei præcipientis Satanæ, vt deciperet Achab, sed permissionem, & nõ prohibitionem. quem locum explanans Caietanus. Verba, inquit, hæc relata ad malum culpæ, actionem scilicet iniquã Dæmonis, permissiua sunt: relata verò ad punitionem ipsius Achab, præceptũ sunt. Et præter hæc, significant relaxationem uinculorum, hoc est, ablationẽ impedimenti potestatis Dęmonis quantum ad hæc facienda. habet enim Dæmon potestatem ligatam ob peccatum suum. Itã Caietanus.

Locus 3. Regum, c. 22.

Caietanus.

82. *S. Augusti.* Hanc pręcipuè rationem quæstionis huius exoluendæ videtur commendare ac sequi Augustinus in eo, quem proximè memoraui loco, hoc modo scribẽs: Fortasse secundum suas voluntates, & cogitationes Hebręi magis pmissi sunt facere ista, quàm iussi, sed eis Deus permissionem hanc per famulum suũ Mosen innotescere uoluit, quando mandauit, ut illud diceret Hebræis. Fieri etiam potest, ut sint aliæ causæ occultissimæ, cur hoc illi populo diuinitùs dictũ sit; sed diuinis imperijs cedendum est obtemperando, non resistendum est dispu tãdo, dicẽte Apostolo: *Quis cognouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius fuit?* Siue ergò ista sit causa quam dixi, siue alia quæcumque in secreta & abdita dispositione Dei lateat, cur per Mosen illi populo dixerit, vt ab Aegyptijs sibi cõmodanda peterent quæ auferrent: hoc tamen cõfirmo, nec frustra, nec iniquè dictum illud fuisse, nec licuisse Mosi aliter quàm Deus dixerat facere, vt penes Dominum esset consilium iubendi, penes famulum autem obsequium peragẽdi. Et paulò infra subdit hæc: Quid absurdum est, si Aegyptij ab Hebræis, homines iniquè dominantes, ab hominibus liberis, quorũ etiam mercedis pro eorum tam duris, & iniustis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu sacrilego in Creatoris iniuriam abutebantur, priuari meruerunt? Quod tamen si Moses sua spontè fecisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccassent; quanquam illi non quidem hoc faciendo, quod uel iusserat, vel permiserat Deus, sed tamen talia fortasse cupiendo, peccauerunt. Quod autem hoc facere diuina dispensatione pmissi sunt, illius iudicio iusto, bonoque permissi sunt, qui nouit & pęnis coercere improbos, vel erudire subiectos, & præcepta validiora dare sanioribus, & quosdam medicinales gradus infirmioribus ordinare. Moses verò neque cupiditatis arguendus est in illis rebus desideratis, nec contumaciæ in diuinis quibusque imperijs contẽptis. Hactenus ex Augustino. *Ad Ro. 11.*

83. Tertium responsum eidem quæstioni dari potest huiusmodi. Deum reuera iussisse Hebræos bona illa cõmodato petere ab Aegyptijs, et ipsos Hebręos

ita

ita petijsse,& quidem sine vllo fuco & mendacio,aut fallacia.Illi enim in animo habebant (saltē qui probi erāt uiri) ea bona reddere Aegyprijs,sed postea, quia illi contra fidem datam, abeūtes illos hostiliter insectati sunt, censuerunt Hebræi, & se officio reddendi ea bona solutos esse,& indignissimos esse Aegyptios,quibus ea redderentur. Tribus hisce responsis quartum etiam respōsum adijci posset ex traditione quadā antiqua exprōptū,quod Tertullianus enarrat in libro secundo contra Marcionem id verò sic est.Postquam Hebræi transmiserant mare rubrum, Aegyptij miserunt legatos ad Mosen, reposcentes ea bona,quæ cōmodato dederant Hebræis responderunt aūt Moses atque Hebræorū principes,ea se libenter reddituros, si tamen vicissim illi, tot tantorumq; laborū,quibus Hebræi perfuncti fuerant durissimā Aegyptijs seruiturē,tot annis seruientes,iustā ipsis rependerent mercedem. Cumq; ab Aegyptijs,mercedis persoluendæ cōputatio fieret, subducta ratio,in tantā euasit summam,ut satius esse duxerint Aegyptij, remittere bona illa Hebręis,quā debitam illis mercedē persoluere. Sed verba,quibus hanc traditionem refert Tertullianus, lubet hic adscribere. Obijciunt,inquit, Creatori uel maximè fraudem illam & rapinā auri & argenti, mādatā ab illo Hebręis in Aegyptios. Age, infelicissime hæretice, teipsum expostulo arbitrum, cognosce in vtramq; gentē prius, & ita de auctore præcepti iudicabis. Reposcunt Aegyptij de Hebræis vasa aurea & argentea: contra Hebræi,mutuas petitiones instituunt,allegantes,sibi quoque suorū patrū nomine ex eodem Scripturæ instrumēto,mercedes institui oportere illius operariæ seruitutis pro laterinis deductis,pro ciuitatibus & uillis ædificatis. Quid iudicabis,optimi Dei elector? Hebræos ne fraudē agnoscere debere, an Aegyptios cōpensationem? Nā & aiunt ita actum per legatos vtrinque, Aegyptiorum quidē repetentiū vasa, Iudęorū uerò reposcentiū operas suas. Et tamē has,iustitia, renunciauerūt sibi Aegyptij Hodie aduersus Marcionitas amplius allegant Hebræi, negantes cōpensationi satis esse, quantūuis illud auri, & argenti,si sexcentorū millium opera per tot annos,vel singulis nūmis diurnis æstimentur. Quæ autē pars maior, repræsentantiumve vasa, an incolentiū uillas & vrbes? querelane maior Aegyptiorum,an gratia Hebræorum? vt solo iniuriarum iudicio,Hebræi Aegyptios repereurerent. Liberi homines in ergastulum subiecti, ut solas scapulas suas scribæ eorum apud subsellia sua ostēderent flagellorum contumeliosa atrocitate laceratas: non paucis laneibus & scyphis pauciorum utique diuitum vbiq;, sed totis & ipsorum facultatibus,& populorum omnium collationibus satisfaciendum Hebræus pronunciasset. Ergo,si bona Hebræorum causa fuit, bonum etiam fuit mandatum Creatoris, qui & Aegyptios gratos fecit nesciētes & suum populum,in tempore expeditionis angusto,aliquo solatio tacitæ cōpensationis expunxit,planè minus exigi iussit: Hebręis enim etiā filios Aegyptij (quos in flumine necauerant) restituere debuerant. Hæc Tertullianus.

Tertullianus.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Qualis ea fuerit gratia, quam dicitur Deus Hebræis dedisse coram Aegyptijs, ut hi libenter bona sua illis commodarent.

SVPER ILLIS VERBIS.

Dominus autem dedit gratiā populo suo corā Aegyptijs ut commodarent eis, & spoliauerunt Aegyptios.

Exodi 12. Versu 26.

1. QVoniam mirandum cuipiam accidere poterat, Aegyptios, acerrimos sei licet Hebræorum hostes induxisse in animū suum pretiosissima quæque bonorum suorum abeuntibus illis commoda-

modare; idcirco Moses, qua ratione id factum fuerit, non vtique humana industria & prudentia, sed diuina potestate, indicans, scribit, Deum talem gratiam dedisse Hebræis apud Aegyptios, vt illi petentibus Hebræis libentissimè, largissimeque cõmodarent. Sed quæritur, qualis illa fuerit gratia, & num in Hebræis esset, an verò in Aegyptijs; vt vel Hebræos faceret amabiles Aegyptijs, vel Aegyptios beneuolos & benignos Hebræis. *Thostatus.* Thostatus duas refert sententias: quarum vna est, gratiam illã fuisse qualitatem quandam, productã à Deo supernaturaliter in Hebræis, mirificè lucentem in vultu, toroque corpore, & in verbis, & in moribus, factisque eorum: quæ gratia Hebræos faciebat amabiles, & iucundos atque gratiosos Aegyptijs: ad eundem vtique modum, quo dedisse legimus Deum sanctæ illi fœminæ Iudith, præter naturalem eius pulchritudinem, singularem eximiumque decorem quendam atque venustatem. *Locus Iudith, cap. 10.* Sic enim ait Scriptura in libro Iudith cap. 10. de Iudith loquens: *Omnibus ornamentis suis ornauit se: cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex uirtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Altera sententia est, gratiam illam non fuisse productã in Hebręis, sed in Aegyptijs; nec fuisse aliud, nisi quod Deus corda Aegyptiorum inflexit ad teneruquendam amorem Hebræorum; eisque bene volendum, beneque faciendum: Est enim cor hominis in manu Dei, qui facilè ipsum in quemcumque humani animi affectum, siue amoris, siue odij, siue timoris, siue spei, siue gaudij, siue tristitiæ, inclinare potest. Amor itaque erga Hebræos, quem Deus excitauit atque accendit in cordibus Aegyptiorũ, efficiebat, vt Hebręi viderentur Aegyptijs non solùm commiseratione, verùm amore atque honore, quin etiam quibuslibet beneficijs, muneribusque dignissimi. Quo factum est, vt Hebręis bona illa petentibus, lubenter ea, promptéque ac largiter tribuerent Aegyptij. Quidam putant, maximam fuisse Aegyptijs occasionem atque incitamentum, commodandi bona illa Hebræis, quod ea petierunt Hebræi statim post atrocem & luctuosam cædem primogenitorũ; ob quam Aegyptij acerbissimo perculsi dolore, in maxima erant perturbatione, animique confusione; atque ingenti metu, ne si durius in Aegypto detinerentur Hebræi, supremum Aegyptijs omnibus exitium contingeret: quamobrem instantissimè discessum eorum vrgebant; sed illis negantibus habere se, quibus opus erat ad sacrificandum Deo suo, petẽtibusque vasa aurea & argentea vestesque pretiosas, confestim dedere omnia, quò illi ocius abirent.

Sed enim ista opinio minimè probatur Caietano; qui exponens hunc quẽ tractamus locum Exodi de spoliatione Aegyptiorum, ita scribit: Non intelligas hoc tunc factum in illo impetu: sed narrari factum prius, ex eo quòd tunc in impetu illo, effectus securus est expoliationis Aegyptiorum. Aegyptij itã Hebręis, impellebant eos vt recederẽt: & sic recesserunt cum rebus Aegyptiorum, quas commodauerant eis. Et mox de gratia illa quã Hebræis dedit Deus coram Aegyptijs, sic ait Caietanus. Tãta gratia narratur data Israelitis in oculis Aegyptiorum, vt non solùm commodauerint, sed etiam induxerint eos ad petendum, offerendo benignè sua, & incitando ut confidenter peterent. Nam pro eo quod Latinus interpres vertit: *Vt commodarent eis*, Hebraicè ad verbum est. *Et fecerunt petere eos.* Sic Caietanus. Vult itaque Caietanus petitionem illam bonorum, factam fuisse ab Hebræis, non post (vt multi putarunt) sed ante vltimam plagã, & cædem primogenitorũ, idemque visum esse probabilius B. Augustino: qui hæc ipsa verba huius loci Exodi tractãs in quęstione 45. in Exodum, hoc modo scribit: Iã hoc factum fuerat ante mortem primogenitorum Aegyptiorum: sed nũc per recapitulationem repetitur: nam narratum est, quando factum est: modò enim fieri quomodo posset, vt in tanto luctu ex mortibus suorum, commodarẽt ista

85. Quando Hebræis dederint bona sua Aegyptij, & an post cædem primogenitorum. Caietanus.

S. August.

ista filijs Israel: nisi fortè quis dicat, etiam illa plaga nō fuisse percussos Aegyptios, qui cum Hebræis inhabitabant terram Gessen. Ita S. Augustinus. Sed hoc extremum, Aegyptios cōterraneos Hebræorum, fuisse immunes à cęde primogenitorum, haudquaquam verisimile est. Nam & ipsemet Augustinus in quæst. 44. in Exodum, id apertè refutauit, & nos falsum esse ostendimus suprà, cùm super caput septimum Exodi disputationem tractauimus de plagis Aegypti in uniuersum. Diuina profectò Scriptura nequaquam sinit nos id existimare, in capite enim undecimo & duodecimo Exodi, ubi plaga vltima, q̃ fuit cædes primogenitorum, & prædicitur futura, & iā facta narratur, apertissimis uerbis ait, cædā illā factā esse in oī Aegypto, & in omnibus primogenitis tam hominum quam animalium, nullamque fuisse in vniuersa Aegypto domum, in qua non iaceret mortuus aliquis, solosque Hebræos à tali plaga fuisse intactos.

Aegyptios qui habitāt ī terra Gessen una cū Hebrais, nō fuisse immunes à cæde primogenitorum.

86\. *Auctoris sententia.*

Nos igitur existimamus, Hebræos petijsse bona illa ab Aegyptijs eo temporis interuallo, quod fuit post nonā plagam, & ante decimam, cædemque primogenitorum. Hoc sanè satis apertè videntur ostendere verba illa Dei, post nonam plagā dicta Mosi, quæ sunt in principio capitis vndecimi: *Et dixit Dominus ad Mosen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem & Aegyptum, & post hæc dimittet nos & exire compellet. Dices ergo omni plebi ut postulet uir ab amico suo, & mulier a uicina sua, uasa argentea & aurea: dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Aegyptijs.* Ergo bona illa petierūt Hebræi post nonam plagam: post decimam verò plagam, Aegyptij, ob cædem suorum primogenitorum vehementer perturbati animo confusique, grauiora que sibi mala pertimescentes, dum tota intentione animi vrgent abscessum Hebræorum, vel obliti sunt bona sua ab eis repetere; vel, vt quamprimum, & sine vlla mora abirent, ne repetere quidem curarunt. Satis verò argumenti esse potest, perturbationem & dolorem, quo ex cæde suorum primogenitorum affecti sunt Aegyptij, nō fuisse causam, cur tam facilè bona sua commodarent Hebræis, quod Moses, cum eam causam indicare vellet, non eam tribuit dolori & perturbationi Aegyptiorum, de ea re ne verbum quidem faciens; sed solùm causam tribuit gratiæ, quam Deus dedit Hebræis coram Aegyptijs.

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

A quibus Aegyptijs bona illa petierint Hebræi: & quidnam præfigurauerit illa spoliatio Aegyptiorum.

87\. Nec uerò est supprimenda hic silentio, quæstio illa, A quibus Aegyptijs bona illa petierint Hebræi. A principio enim, cùm intrauit Iacob Aegyptū, suadente Ioseph, petierūt Hebræi à Pharaone, dari sibi terram Gessen ad habitandum, quòd artem pastoralem exercerent; reuera autem, ut magis à consuetudine & conuictu Aegyptiorum separati essent. Plagæ item Aegypti, cum uniuersis Aegyptijs contingerent, terram tamen Gessen ubi habitabant Hebræi, nequaquam attigerunt. Non igitur in terra illa Gessen uersabantur Aegyptij. Constat autem Hebræos, cum exire iussi sunt a Pharaone ex Aegypto, profectos esse è Ramesses, quę est in terra Gessen, ut dicitur Exodi capite 12. uersu 37. Meritò igitur quæritur, à quibus Aegyptijs bona illa petierint Hebræi. Sed falsum est, Aegyptios non habitasse in terra Gessen vnà cum Hebræis, id enim duplici Scripturæ testimonio confutatur. Primùm enim iussit Deus, ut legitur Exodi 12. Hebræos sanguine agni paschalis immolati, tingere postes domorum suarum, ut eo signo domus ipsorum discernerentur à domibus Aegyptiorum, & Angelus percutiens primogenita Aegypti, uidens domos sanguine illo tinctas, transiret eas innoxiè. Habitabant igitur in eodem Oppido, vel

Aegyptios una cū Hebrais inhabitasse terrā Gessen.

uel Ciuitate Hebræi cũ Aegyptijs mixti. Deinde, legim^9 Exodi 11. & 12. ante excessum Hebræorum ex Aegypto, petijsse Hebræos, & Hebræas mulieres à vicinis Aegyptijs vasa aurea & argentea, multamque ac pretiosam vestẽ, vnde apparet, Hebræos & Aegyptios in eadem etiam vicinia habitasse. Hoc ipsum firmare possum auctoritate B. Augustini id affirmantis in quæst. 39. in Exodum, ubi hæc sunt eius verba; Est & illa nonnulla quæstio, si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, vbi nec plagæ fiebant, quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo quisque Hebræorum petijt à proximo, uel à proxima autum, argentum & uestem? præsertim quia ubi primũ hoc mandatur per Mosen, sic positum est; *Et mulier à uicina sua & concellaria, uel concellanea (si ita dicendum est) uel cohabitatrice sua.* Vnde intelligẽdum est, etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Aegyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt merito Hebræorum, etiam diuina illa beneficia peruenire, vt hinc eos & diligerent Aegyptij cohabitatores, & quod petebant, facilè ipsis commodarent. Nec tamen Deus iudicauit ita fuisse illos ab iniurijs & uexationibus populi sui alienos, ut nec isto damno ferirẽtur, qui plagis illis, propterea quòd terrę illi parcebatur, percussi non erant. Sic Augustinus. Cuius extremum dictum, Aegyptios habitantes in terra Gessen, non fuisse plagis illis percussos, nec consentaneum est diuinæ Scripturæ, vt paulò suprà ostendimus, & paulò infrà refellitur ab ipsomet Augustino in quæstione quadragesimatertia in Exodum. Ergo Hebræi bona illa potissimum ab illis Aegyptijs petierunt, qui secum vnà commorabantur in terra Gessen. dixi, potissimum, quia uerisimile est, plures alios Aegyptios extra terrã Gessen notos & beneuolos Hebræis fuisse, in illo enim tempore longissimę seruitutis eorum, credibile fit, multos Hebræorum, & Hebræarum fuisse in domibus potentiorum, & ditiorum Aegyptiorum, more seruorum, & ancillarum seruientes eis. His quoque crediderim datam fuisse à Deo gratiam coram dominis suis, vt quæcunque ab eis peterent, libenter tribuerint.

S. Augustinus.

88. Oleaster super extremis verbis capitis tertij Exodi, quib^9 narratur hæc petitio Hebræorũ, & spoliatio Aegyptiorum, à quibus Aegyptijs bona illa petierint Hebræi, ita declarat: Magna pars Hebræorum ancillabantur apud Aegyptios, & pauci ex Hebræis domos proprias habebant seorsum, quemadmodũ apud nos Aethiopes & Sarraceni, serui tuti Christianorum addicti. Dicit autẽ Scriptura, huiusmodi ancillas Hebræas petituras à suis dominabus, in quarum domibus morabãtur, vasa: quoniam solent dominæ, cùm festum celebrant ser ui aut ancillæ suę, ornare eas & induere elegantet, arbitrantes se in ornatu ancillarum ostendere diuitias & ornamẽta sua, sicut apud nos fieri solet in festo diuę Virginis de Rosario: tũc enim omnes Aethiopes feticis inuoluuntur, & torquibus, & alijs localibus ornantur à dominis suis. Iubet ergo Deus Hebręas petere à uicina sua, propter Hebræas habentes proprias domos, iubet item petere a cohabitatrice sua, propter eas, quæ uelut seruæ in domibus alienis habitabant. Hebraicè dicitur: *Ab habitatrice sua, & a peregrina domus suæ.* Et est sensus ut petat ab ea, in cuius domo habitat, et ab ea, in cuius domo peregrinatur, idest tanquam peregrina manet non habens propriam domum. Hæc Oleaster. Sed quod ait Oleaster, perpaucos Hebræorum habuisse proprias domos, & plerosque habitasse in domibus Aegyptiorũ, id profectò minimè cõgruit, immò planè dissentit cum ipsa sacra Scriptura. Hæc enim docet in libro Genesis, cap. 47. à primo, cum Hebræi intrarunt Aegyptum, assignatam eis à rege ad habitandum fuisse terram Gessen, & in ea proprias domos habuisse, ibique habitasse usque ad exitum eorum ex Aegypto, atque inde eos excessisse, cùm egressi sunt, indicat liber Exodi cap. 12. proditum est, Hebræos cum sunt egressi ex Aegypto, profectos esse ex Ramesses quæ erat in terra Gessen. Deinde ca. 12. Exodi traditur, Hebræos per singulas familias, & per singulas domos, immolasse

Hieronym^9 ab Oleastro

Hebræos habuisse tunc proprias domos à domibus Aegyptiorum separatas.

molasse agnum, & celebrasse Phase; id autem facere in domibus Aegyptiorũ, nec ipsi ausi essent, nec, contra suam ipsorum religionem, passi fuissent Aegyptij. Adijce, quod nisi plerique omnes Hebræi domos proprias habuissent distinctas à domibus Aegyptiorum, nullum prorsus illud fuisset discerniculum domorum tinctarum sanguine agni, in quibus habitabant Hebræi, à domibus non tinctis eo sanguine, quæ erant Aegyptiorum. Verùm his omissis, age de mystica etiam huius historiæ significatione, quasi pro clausula huius tractatus, quem de spoliatione Aegyptiorum fecimus, breuiter doceamus.

89. *Quid præfiguraverit futurum in Ecclesia Christi spoliatio illa Aegyptiorum.* Quemadmodum Hebræi, cum egressi sunt ex Aegypto, pretiosissimis quibusque bonis ipsos spoliauerunt Aegyptios, quæ bona illi postea ad effectionẽ ornatumq. Tabernaculi Dei, aliosque sacros vsus dederũt; ita Doctores Christianæ disciplinæ, ex Gentilismo transeuntes ad Christianismum, omnibus fermè bonis artibus & disciplinis spoliauerunt Ethnicos; eaq; spolia magnificè atq; vtiliter ad fidei Christianę defensionem ad eruditionem fidelis populi, ad explanationem atque illustrationẽ diuinæ Scripturæ, ac demum ad confutationem errorum, veritatisq; confirmationem & persuasionem contulerunt. Ac me quidem hæc ipsa commentantẽ, ingens subijt admiratio Dei prouidentiæ: Is enim per Ecclesiæ suæ Doctores ita omnium penè disciplinarum opibus & ornamentis spoliauit Ethnicos, vt iampridem illi, tam copiosæ ac opulentæ supellectilis, inopes & prorsus expertes sint: solus autem omnium nationũ, populus Christianus, illum omnem doctrinarum thesaurum securẽ, iucundeq; possideat. Videre profectò est, cunctarum ferè scientiarum, optimarumq; artium inuentores, principesq; doctores, fuisse Ethnicos; vt Philosophiæ Socratem, Platonem, Aristotelem: Mathematicarum artium, Euclidem, Archimedem, Ptolemæum: Medicinæ, Hippocratem, & Galenum: Rhetoricæ artis, Isocratem, Demosthenem, Ciceronem: Poeticæ, Homerum, Pindarum, Virgilium: Historicæ denique, Herodotum, Thucydidem, Sallustium, & Liuium. Hos autem veri Dei cognitione caruisse constat, aut certè debitum vero Deo cultum & veneratione non adhibuisse. Transijt ab istis ad eorum posteros, etiam Ethnicos, istarum artium studium, & cultus, & apud eos aliquandiu mansit: sed enim iampridem apud eos planè obsoletum & extinctum est, & in solo Christiano populo floret & viget. Equidem cum scripta lego Iustini Martyris, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Arnobij, Lactantij, Eusebij, Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Theodoreti, & aliorum venerandorum Ecclesiæ Patrum, sapientiumq; Doctorum; cum horum inquam scripta lego, & multiiugẽ in his eruditionem de penu Ethnicorum depromptam contemplor, videre mihi videor Hebræos illos ex Aegypto, ditissimis ac pretiosissimis Aegyptiorum spolijs ornatos exire.

Audiat quæso Lector B. Augustinũ, pulcherrimè in lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 40. super hac re ita disserentem. Philosophi inquit, si qua fortè vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solum formidandi non sunt, sed ab eis etiam, tanquam iniustis possessoribus, in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Aegyptij non solum idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret; sed etiam vasa & ornamenta, ex auro & argento, & vestem, quæ populus Dei exiens de Aegypto, sibi potius tanquam ad vsum meliorem clanculo vendicauit, non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Aegyptijs nesciẽter commodantibus ea, quibus non benè vtebantur: Sic doctrinæ omnes Gentilium non solum simulata & superstitiosa figmenta, grauesque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrum, duce Christo, de societate Gentilium exiens, debet abominari ac deuitare: sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deque ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos: quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi institue- 90. *S. August.*

runt, sed de quibusdam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt, quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia Dæmonum abutuntur; cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre Christianus, ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoque illorum, idest, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit, in vsum conuertenda Christianum. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? nonne aspicimus, quanto auro & argento, & veste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? Quanto Lactantius, Victorinus, Hilarius, vt de viuis taceam? Quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moses fecerat: qui, vt scriptum est, eruditus fuerat omni sapientia Aegyptiorum. Quibus omnibus vitis superstitiosa Gentium consuetudo, maximè illis temporibus, cùm Christi iugum decutiés, Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat, nunquam commodasset, si eas in vsum vnius Dei colendi, quo vanus idolorum cultus extingueretur, conuersum iri suspicata fuisset. Sed dederunt tamé aurum, & argentum, & vestem suam exeunti populo Dei ex Aegypto, nescientes quemadmodum ea quæ dabát, in Christi obsequium redderentur. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratum est, vt hoc præsignaret: quod ego sine præiudicio alterius vel paris, vel melioris intelligentiæ dixerim. Hactenus verba sunt B. Augustini.

Actor. 7.

91. Quocirca impius ille Christianorú hostis Porphyrius, gloriæ nostræ religionis inuidens, de Origene dictabat, eum diuitias omnes Græcorum ad locupletandum Iudaicæ & Christianæ fabulosæ & superstitiosæ, vt ipse aiebat, doctrinæ paupertatem contulisse. In tertio enim libro eorum quos aduersus Christianos scripsit, inter alia, quæ de Origene, vituperabundus eum malignè dixit, hoc etiam ait, vt refert Eusebius libro sexto historiæ Ecclesia.

Porphyrij testimonium de Origenis eruditione.

Eusebius.

capite decimotertio. Quod spectat inquit, ad opiniones, quas cùm de alijs rebus, tum de diuino numine tenebat Origenes, in illis Græcorum consuetudinem imitatus, etiam eorum doctrinam ad peregrinas & commentitias Iudæorum fabulas confirmandas, tanquam subsidium sibi comparauit. Platonis enim libros semper habebat in manibus: in Numenij & Cronij scriptis multum versabatur: Apollophane, Longino & Moderato vtebatur familiariter: Nicomachi & aliorum illustrium Pythagoræorum monimenta re rebat sedulò. Cheremontis Stoici & Cornuti libros crebrò vsurpabat; ex quibus, cum rationem ac modum mysteriorum per allegorias explicandorum, quo Græci scriptores vti solebant, accuratè didicisset; eum ipsum ad Iudaicas Scripturas accommodauit. Hæc Porphyrius, quasi reprehendens Origenem, reuera tamen, eius uiri prudentiam & industriam ac pietatem maiorem in modum commendans.

Nec solùm Doctores Ecclesiæ spoliarunt Ethnicos humanis disciplinis; verùm etiam Prophetas & Apostolos cernere est, hoc genere spoliorum esse delectatos. Mosen enim Beatus Stephanus testatur, fuisse in omni Aegyptiorum disciplina institutum: Danielem quoque ac tres eius socios, percalluisse legimus omnem Chaldæorum sapientiam: quin etiam Beatum Paulum, morales quasdam Ethnicorum sententias, & Epimenidis, & Arati, & Menandri, sacris Epistolis suis inserere non puduit. Hoc itaque animaduertens Iulianus Apostata, interdixit Christianis studium & professionem publicam humanarum disciplinarum, nulla se alia re magis ratus Christianæ religioni incommodare, ac nocere posse. De quo ita scriptum est à Socrate in libro tertio Ecclesiasticæ historiæ, capite decimo. Cùm uideret Iulianus magno esse apud Christianos in honore eos, qui regnante Diocletiano, martyrio occubuissent; cumque pro certo cognosceret, complures eorum promppto atque alacri animo ad martyrium velle contendere: ille, perinde quasi

Actor 7.

Daniel 1.

Chri-

Christianos esset ab hoc beneficio repulsurus, alia via ad eos affligendos aggreditur. Et quanquam insatiabilem crudelitatem, Diocletiani temporibus, vsurpatam omittebat, non tamen se à persequendo penitus continuit. Est enim in ea quidem sententia, persecutionis genus, homines quietè ac tranquillè viuentes, omni ratione conturbare: quomodo Iulianus non paruam Christianis molestiam exhibuit. Sanciuit enim legem, ne Christiani literis humanioribus instituerentur: nam cùm sint, inquit, lingua ad dicendum exercitata, facile Dialecticorum, qui sunt apud Gentiles, argutijs occurrere poterunt. Sic ille.

DECIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

De numero Hebræorum, qui duce Mose, egressi sunt ex Aegypto.

SVPER ILLIS VERBIS.

Exodi 12. Versu 37. Profecti sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis & mulieribus, sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis: & oues, & armenta, & animātia diuersi generis multa nimis.

92. NVSQVAM sacra Scriptura omnium Hebræorum qui tunc duce Mose, sunt egressi ex Aegypto, numerum expressè distinctéque tradidit: sed in libro Exodi, cap. 12. exponit numerum virorum peditum, idest, qui per ætatem, idonei erant ad bellandum, dicens fuisse sexcenta ferè millia peditum virorum. Mos autem fuit apud Hebræos, diuino oraculo institutus, neminem, ante vigesimum ætatis annum, censendi ad militiam idoneum: milites itaque à vigesimo anno & suprà conscribere, moris apud eos fuit. Particula verò illa *ferè*, cum dicitur fuisse sexcenta ferè millia, solet in communi vsu loquendi significare diminutionem quandam & defectum eius numeri, cui præponitur; vt intelligatur, non fuisse numerum illū quidem completum, sed perparum tamen abfuisse ab eius complemento. Si itaque fuerunt illi sexcenta ferè millia, secundum vulgarem loquendi morē, intelligere deberemus non fuisse tot præcisè, verùm paulò minus. Iosephus tamen extremis uerbis capitis quinti libri secundi Antiquitatum scribit, eos, qui ætatem habebant militarem, expleuisse numerum sexcentorum millium. *Iosephus.*

93. Sed enim Thostatus ait, illud *ferè*, non significare defectum aliquem illius numeri sexcentorum millium, immò contra potius, excessum quendam & exuberantiam eius numeri. Arbitratur enim, qui egressi sunt ex Aegypto bellatores, & à vigesimo anno & suprà, fuisse eos multo plures sexcentis millibus; quod ipse hunc in modum ratiocinando probat. Legitur in libro Numerorum, cap. 2. facta diligenti enumeratione bellatorum hominum, per singulas tribus, enumerando à vigesimo anno & supra, inuēta esse sexcenta tria millia uirorum, & insuper quingentos quinquaginta: facta est autem enumeratio illa in primo die secundi mensis secundi anni post egressionem ex Aegypto, idest, uno anno, & quatuordecim circiter diebus post egressum eorum. Nec est credibile, illos ter mille quingentos quinquaginta bellatores, in uno anno supercreuisse illi numero sexcentorum millium, quos exisse de Aegypto ait Scriptura, Exodi 12. Istis præterea oportet addere quasi viginti tria millia virorum, qui hortatu iussúque Mosis cæsa sunt à Leuitis propter adoratum uitulum, iuxtá montem Sina, ut proditum est in libro Exodi, cap. 32. facta uerò est cædes illa in quarto *Thostatus.*

mense post egressionem Hebręorum ex Aegypto, vt facile colligi potest ex cap. 19. & 24. Exodi. Oportet item adijcere istis, viros bellatores tribus Leui, qui antea cum alijs tribubus numerati non fuerant. Leuitarum autem, à trigesimo anno vsque ad annum quinquagesimum, censa sunt octo millia & quingenti atque octoginta, vt est in libro Numerorum. Ex prædictis porrò omnibus numeris conficitur omnium Hebræorum bellatorum, qui egressi sunt ex Aegypto, summa sexcentorũ milliũ & insuper triginta quinq; milliũ, additis cẽtũ triginta. Scriptura verò in libro Exodi, c. 12. cõtẽta magno illo numero sexcentorum millium, non curauit explicare minorẽ illum numerum triginta quinque millium. Hoc itaque modo ratiocinatur & argumentatur Thostatus, bellatores Hebræos de Aegypto egressos, fuisse plures sexcentis millibus.

94. *Expèditur opinio Thostati.* Verum ista ratiocinatio & computatio Thostati, videtur obnoxia esse reprehensioni; & vel manifestæ falsitatis, vel certè non exploratę veritatis argui posse. Ait, illa tria millia bellatorum, qui super sexcenta millia recensentur in libro Numerorum, non potuisse vno anno supercrescere illis sexcẽtis millibus, quorum numerus ponitur in libro Exodi, cap. 12. Ast ego non video, cur id incredibile atque impossibile visum sit Thostato. Si enim illi sexcenti mille bellatores qui egressi sunt ex Aegypto, erant tantum qui à vigesimo ætatis anno & supra censebantur; cur non potuit fieri, vt in tempore illius egressus Hebręorum bellatorum, fuerint in reliqua multitudine, tria millia hominum, qui tunc annum quidem vigesimum nõ attigerant, sed agebant tamen annum decimum nonum, quare numero eorum, qui egressi sunt ex Aegypto, non sunt comprehensi: post vnum verò annum ab egressu ex Aegypto, cum est facta enumeratio Hebręorum, quę traditur in libro Numerorum, quoniam iam illi annum vigesimum vel expleuerant, vel attigerant, meritò inter bellatores tunc recensiti sunt: & numerus sexcentorum milliũ egressorum ex Aegypto, tunc auctus est tribus illis millib⁹ & 550. viris.

95. *Locus Exodi cap. 32.* Adhæc, Thostatus eos, qui propter adoratum vitulum occisi sunt, ait fuisse quasi viginti tria millia virorum: at enim & Scriptura Hebraica, & Paraphrasis Chaldaica, & Gręca translatio LXX. Interpretum in illo trigesimo secundo capite Exodi, vbi cædes ista narratur, non habent (viginti tria millia) sed, quasi tria millia. vt illud, *viginti*, mendo sè additum videatur. Nec suffragantur Thostato verba B. Pauli, quæ sunt in priori Epistola eius ad Corinthios, cap. 10. vbi occisorum numerum facit viginti tria millia: non enim Paulus ibi loquitur de occisis propter crimen idolatriæ iuxta montem Sina; sed de ijs qui interfecti sunt propter fornicationem factam cũ mulieribus Madianitis, cùm Hebræi morarentur in Setim, & in campestribus Moab, vt scriptum est in libro Numerorum, cap. 25. Nam de crimine idolatriæ paulò ante loquens Paulus dixerat: *Neq; idolatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Et post hæc subdit: *Neq; fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.* Hinc apparet, Apostolum distinguere crimen idolatriæ commissum iuxta montem Sina, à crimine fornicationis, quod plutimis annis post, admissum est à populo in cãpestribus Moab. Verùm illud, obstare videtur, quod Apostolus ait, ob crimen illud fornicationis, cecidisse vna die viginti tria millia: at ob fornicationem populi cum Madianitis cecidisse viginti quattuor millia hominum, in libro Numerorum, cap. 25. proditum est: non igitur de huiusmodi fornicatione loquitur in eo loco Apostolus. Respondet huic obiectioni dupliciter B. Thomas, locum illum Pauli explanans in suis Commentarijs. Vel enim, inquit, est mendum Scripturæ in eo loco Pauli, & pro *viginti tria millia*, legi debet *viginti quattuor millia*, sicut est in libro Numerorum: vel non est mendũ Scripturæ, nec tamen vlla est dissonantia; nam in maiori numero includitur etiam minor numerus; Si igitur ceciderunt vigintiquattuor millia, ut hẽt liber Numerorum, verum quoq; est qđ dixit

Locus beati Pauli 1. Corinth. 10.

Exodi 32. Locus Numerorũ 25.

Apo-

Apostolus, cecidisse tria millia. Sic B. Thomas: atque itidem respondet Lyranus & Caietanus super illum locum Pauli.

96. Sed redeo ad Thostatum: qui existimat Latinam translationem, quæ in loco illo Exodi habet uiginti tria millia, esse integram & veram: Hebraicam autem Scripturam, quæ illic habet tria millia, esse vitiatam & mendosam. Nam vel ipsimet Hebræi Talmudistæ (inquit Thostatus) fatentur, Biblia Hebræa esse in quindecim locis corrupta per errorem scriptorum; quod autem ipsi de quindecim locis confitentur, idem de quibusdam alijs dici potest, quos illi uel non aduerterunt, uel dissimularunt esse corruptos. Latinus verò interpres Pentateuchi, qui creditur fuisse B. Hieronymus, habuit incorruptos códices Hebræos, in quibus loco illo Exodi erat, *viginti tria millia*, non ut nunc illi habent (tria millia.) Ita Thostatus. Verùm quod ille ait de librorum Hebræorum deprauatione post ætatem Beati Hieronymi, verum sit an falsum, nunc non laboro: hoc dico, multis ante Sanctum Hieronymum, non annis modò, uerùm etiam seculis, Hebræos codices habuisse in eo loco Exodi *tria millia*, non *viginti tria millia*, septuaginta quippe Interpretes, plus annis sexcentis Hieronymo antiquiores, in eo loco Exodi verterunt ex Hebræo *tria millia*, sicut habent nunc Hebræi codices: illos autem LXX. Interpretes, & habuisse incorruptos codices Hebræos, & linguæ ac Scripturę Hebraicæ peritissimos fuisse, minimè dubitandum est. Nec idcirco tamen Thostati sententiam prorsus improbare volo; stat enim à Thostato auctoritas Latinæ translationis, & editionis vulgatæ. Etenim plerique omnes Latini codices, nouissimeque Biblia Sixtina, in eo loco Exodi habent, ut legendum esse, contendit Thostatus, uiginti tria millia. Quamobrem nunc ego & Thostati opinionem discutere, & de dissonantia librorum Latinorũ à Græcis & Hebræis (ne ab instituto disputationis nostræ cursu deflectat oratio) disputare supersedeo.

97. Nos igitur ponamus, quod habet Scriptura, Exodi 12. Numerum bellatorum qui egressi sunt ex Aegypto, fuisse ferè sexcenta millia. His addere oportet vniuersam turbam imbellium, tam qui propter sexum, ut mulieres, quàm qui propter ætatem vt iam decrepiti, & qui nondum peruenerant ad uigesimum ætatis annum, minimè censebantur idonei ad militiam. Tradunt autem huius rei periti, bellatores alicuius populi vel gentis, censeri, æstimarique, tanquam duas quintas partes illius populi, & habere se, vt quadraginta ad centum. Ergo iuxta huiusmodi computationem, vniuersa illa multitudo Hebræi populi, habuisset decies & quinquies centena millia hominum; quibus aggregatum est promiscuum vulgus Aegyptiorum, vt ait Scriptura, Exodi 12. innumerabile. Vocat promiscuum vulgus, turbam Aegyptiorum omnis ætatis, & conditionis, & sexus, qui conuersi ad Iudaismum, abeuntes Hebræos comitari uoluerunt. Non itaque improbabiliter quidã opinati sunt vniuersam illam multitudinem, fuisse ad tricies centena millia hominum. Meritò igitur Scriptura, Exodi duodecimo, instar miraculi narrat, vniuersam illam hominum multitudinem eodem die de Aegypto exijsse, nõ confusè aut dissipatè, sed per turmas dispositas, & tanquam instructo agmine, in modum benè ordinati exercitus procedentem. Verba Scripturæ sunt hæc: *Eadem die egressus est omnis exercitus Domini, de terra Aegypti.* Id porrò salutari admodum consilio & prouidentia Dei factum est; ne si diuersis diebus, inuicem segregati discederent Hebræi, mitigato iam dolore, quem ex primogenitorum cæde ceperant Aegyptij, eleuatoque metu Hebræorũ, à quibus sibi uehemẽter timuerant, aliquas eorum discedentium turmas, aut crudeliter interimerent; aut uiolente detinerent.

Numerus omnium q[ui] de Aegypto egressi sunt ex Aegypto.

98. Cæterùm mirabitur fortasse Lector, quomodo Aegyptij, præsertim autẽ custodes portarum & viarũ, passi fuerint suos Aegyptios, vnà cum Hebræis abire ex Aegypto. Sed eius incuriæ vel incogitãtiæ duplex potuit esse causa. Vel eius

Aegyptij ob cædem ſuorum primogenitorum ualde mœſti & turbati, totiq; in id intenti, ut quamprimum Hebræos ex Aegypto emitterent, non attenderunt tunc animum ad diſcernendum Aegyptios ab Hebræis. Vel quia per ducẽtos quindecim annos Hebræi habitauerãt permixti cũ Aegyptijs, & Hebręi linguam Aegyptiorum, & Aegyptij Hebræorũ optimè callebant. Cũ igitur omnes eadem uterentur lingua, eodemq; habitu, non facilè poterant Aegyptij conſociati cum Hebræis, diſcerni & internoſci ab ipſis Hebræis. Ex ijs uerò quæ dicta ſunt de numero Hebræorum exeuntium ex Aegypto palàm eſt, quã longè a vero aberrauerint Manethon, & Cheremon ſcriptores vetuſtiſſimi, qui ſcriptis ſuis prodiderunt, ut refert Ioſephus in priori libro contra Apionem; Hebręos ex Aegypto profectos in Palæſtinam, fuiſſe numero duntaxat ad ducenta quadraginta uel quinquaginta millia hominum. Illud mirum videri poſſit, cum ex ſexcentis millibus bellatorũ q̃ ex Aegypto egreſſi ſunt, nullꝰ planè (præter Caleb & Ioſue) ingreſſus fuerit terram promiſſionis, vt ſcriptum eſt in libro Numetor. cap. 14: eos tamen qui terram promiſſionis intrauerunt, cũ paulò ante ingreſſum, recenſiti fuiſſent, inuẽta eſſe ſexcenta millia, & mille ſeptingentos triginta; præter tribum Leui, cuius tribus inuenta ſunt generis maſculini ab vno anno & ſupra, viginti tria millia, ut traditur in libro Numerorum cap. 26. vbi poſt expoſitam ſupra dictam Hebræorum ſummam, ſubdit Scriptura hæc verba: *Hic eſt numerus filiorum Iſrael, qui deſcripti ſunt à Moſe, & Eleazaro ſacerdote in campeſtribus Moab, ſupra Iordanem, contra Iericho. Inter quos nullus fuit eorum, qui ante enumerati fuerant à Moſe & Aaron in deſerto Sinai. Prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in ſolitudine, nulluſq; remanſit ex eis, niſi Caleb filius Iephone, & Ioſue filius Nun.*

Manethonis & Cheremonis mẽdacium.

DE TEMPORE EGRESSVS
Hebræorum ex Aegypto.

DECIMA OCTAVA
DISPVTATIO.

Num Hebræi egreſſi de Aegypto ſint de die an de nocte.

SVPER ILLIS VERBIS.

Nox iſta eſt obſeruabilis Domino: quando eduxit eos de terra Aegypti: hanc obſeruare debent filij Iſrael in generationibus ſuis. *Exodi 12. Verſu 42.*

NOctu ne an die exceſſerint Hebręi ex Aegypto, non 92.
nihil dubitationis facit ipſamet Scriptura, diuerſe loquens ea de re in diuerſis locis: Nã in ſupradictis uerbis libri Exodi, nocte diſceſſiſſe eos indicat; idemque docet cap. 16. Deuteronomij illis verbis: *Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primũ temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto nocte.* Sed enim paulò poſt hæc uerba, tradit Scriptura, exiſſe filios Iſrael de Aegypto, veſpere ad ſolis occaſum: ſic enim ait: *Immolabis Phaſe ueſpere ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Aegypto.* In libro autem Numerorum, non obſcurè ſignificat, abijſſe eos ex Aegypto mane: *Profecti,* inquit *de Rameſſe menſe primo filij Iſrael in manu excelſa uidentibus cunctis Aegyptijs, & ſepelientibus primogenitos quos percuſſerat Dominus (nam & in dijs eorum exercuerat ultionem) caſtrametati ſunt in Socoth.* Sed res ita ſe habuit: Summo mane diei decimi quinti primi menſis, plenus & ordinatus exceſſus Hebræorum ex Aegypto factus eſt; inceptus tamen

tamen est nocte. Verùm quo planius hoc intelligatur, rem ipsam, eodem prorsus ordine exponam, quo ab initio ad vsque finem acta est.

100. Principio, in medio noctis illius, percussa esse ab Angelo primogenita Aegyptiorum, docet Scriptura, Exodi 12. uersu 29. illis uerbis: *Factum est in nocte media, percussit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti.* Ob hanc tam repentinam & atrocem, & generalem primogenitorum cædem, maiorem in modum dolentes ac perterriti Aegyptij, concurrerunt ad Pharaonem, vociferãtes, vt Hebræos dimitteret: quare Pharao uocans Mosen & Aarõ, potestatem dedit abeundi ex Aegypto. Hoc ita narrat Scriptura eodem in loco versu 30. *Surrexit Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Aegyptus, & ortus est clamor magnus in Aegypto, neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Vocatisque Pharao Mose & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini à populo meo, uos & filij Israel, ite & immolate Domino sicut dicitis.*

Iosephus. Hoc ipsum enarrans quoque Iosephus libro secundo Antiquitatum: Pestis, inquit, absumpsit primogenita Aegyptiorum: ita ut agminatim ab Aegyptijs concurreretur ad Regiam, uociferantibus, non amplius detinendos esse Hebræos. Tunc Rex, accito Mose, mandat ut abeant, ratus post eorum exitũ, regionem, cessantibus calamitatibus, subleuandam. Donis etiã Hebræos honorabant: alij, quò celerius abirent, alij, propter vicinitatis consuetudinem. Atque hoc pactò egressi sunt Hebræi flentibus Aegyptijs & pœnitẽtibus ob præteritam malam tractationem. Sic Ioseph⁹. Dato à Rege imperio, Hebræis abeũdi ex Aegypto, Aegyptij vehementer vrgebant atque instabãt, vt fine mora, & quanta maxima fieri posset celeritate abirent, tantum eis præteritãrum plagarum calamitas metum præsentiæ Hebræorum incusserat: quod ostendũt illa uerba Scripturæ quæ sunt in versu trigesimotertio eiusdem capitis: *Vrgebant*, inquit, *Aegyptij populum de terra exire uelociter, dicentes: Omnes moriemur*, quod significantius est in Hebræo, sic enim est ad uerbũ: *Et prævalescebat Aegyptus super populum ad festinandum dimittere illos de terra.* Septuaginta uerò Interpretes pro illo (*vrgebant*) Græcè reddidere, κατεβιάζοντο, id est, cogebant, quasi uim inferentes. Certè tam festina & preceps fuit eorũ profectio, vt farinam conspersam aqua ad coquẽdos panes, fermentare non potuerint, sed, vt erat, tulerint secum, donec uenirent in Socoth. Sic enim ait Scriptura in trigesimo nono versu eiusdem capitis; *Coxerunt farinam, quam dudum de Aegypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Aegyptijs, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrebat praeparare.* Ex his apparet, Hebræos eadem illa nocte, & aliquanto ante lucem compulsos esse ab Aegyptijs exire, & tũc discessum eorum fuisse incœptum.

Sedenim plena, & disposita, atque in modum instructi agminis & ordinati exercitus profectio facta est, cum iã diluculares, mane uidelicet proxime sequentis decimiquinti diei primi mẽsis. 101.

Quocirca, B. Hieronymus super tertiũ caput Oseæ, ait, quintadecima illucescẽte die mensis Nisan, de Aegypto populum Israelis eductum esse. Ita sentit etiam Thostatus quæstione sexta in caput uigesimum tertium Leuitici, idemque in quæstione prima sup caput 16. Deuteronomij, ait, propterea iussos esse Hebræos nihil ex agno paschali relinquere vsque mane, ne putarent se, eo tẽpore mansuros, sed scirent magna sibi tunc cum festinatione abeundem fore. Et hoc ipsum profectò satis apertè indicauit in libro Numerorum, cap. 33. cùm dicitur, Hebræos profectos esse ex Aegypto, videntibus cunctis Aegyptijs, & sepelientibus primogenitos suos, quos percusserat Dominus. Iam igitur dies illuxerat, si clarè uiderunt Aegyptij discedentes Hebræos, & cum primogeniti eorum interfecti sint media nocte, non est credibile, uoluisse Aegyptios statim in illis nocturnis tenebris sepelire mortuos suos, sed expectasse dum lucesceret, aliquandiu antea plangentes mortuos primogenitos, & funeris officia præparantes.

Hieronymus. *Thostatus.*

Quoniam igitur Hebræorum discessus ante diem incœptus est, sed prima luce plenè & ordinatè factus; idcirco aliquando in Scriptura significatur esse factus nocte, aliquando mane.

102. Locus Deutero. c.16. In libro autem Deuteronomij, capite decimosexto, significatur, Hebreos discessisse ad solis occasum, quando celebrarunt Phase. Hæc sunt enim ibi uerba Scripturæ: ***Immolabis Phase vespere, ad Solis occasum, quando egressus es de Aegypto.*** Non quod tunc discesserint, constat enim ex capite duodecimo Exodi, aliquanto post mediam noctem, datam esse à Pharaone abeundi potestatem Hebræis: sed quia celebratio ipsa Phase, quę fiebat ad solis occasum, erat præparatio quædam & prę signatio mox futuri eorum discessus, & multis cæremonijs præfigurabat festinam, iamque instantem Hebræorum profectionem; idcirco Hebræi dicuntur egressi de Aegypto vesperi ad solis occasum. Illud quoque non minus probabiliter dici potest, aduerbium illud temporis (quando) non significare in eo loco propriè ac præcisè tempus illud definitum, in quo immolabatur Phase, idest, uesperam, & solis occasum; sic enim acceptum, falsam, vt diximus, redderet sententiam: sed significare tempus illud proximum & cohærens, noctem dico, in cuius principio celebrabatur Phase; & sub cuius finem egressi sunt Hebræi de Aegypto. Et uerò, pro eo quod habet ibi Latina translatio; ***quando egressus es de Aegypto,*** Hebraicè ac Græcè est, ***In tempore exitus tui de Aegypto.***

103. Rupertus. Cæterùm contra id quod diximus, Hebræos cœpisse discedere ante lucem, opponi posset mandatum à Mose datum senioribus Hebræorum, ut nemo Hebræorum egrederetur domo sua ante mane. Hæc sunt enim uerba Mosis, Exodi duodecimo, uersu uigesimo secundo. ***Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ, vsque mane.*** Respondet Rupertus in libro secundo Commentariorum in Exodum, capite decimo octauo, quoniam Hebræi egressi sunt iam propinquante & adspirante luce diurna, idcirco verum fuit, non eos discessisse usque mane. Et Caietanus super illis uerbis Exodi duodecimo. ***Vrgebantque Aegyptij.*** Hinc, inquit, & ex subiunctis in eodem capite apparet, quod non obstante mandato Mosis, ut nullus Hebræorum egrederetur domo sua, usque mane; urgentibus tamen Aegyptijs, cœperunt eadem nocte, uersus diem egredi. Sic ille. *Caietanus.* Quanquam enim Moses audierat à Deo, uenturum media nocte Angelum in Aegyptum, & omnia eius primogenita interfecturum: tamen quia nesciebat, quantam in illa cæde primogenitorum facturus esset moram Angelus, & quanto tempore post illam cædem, Pharao & Aegyptij emissuri essent Hebræos, ideo cautissimè ac prudentissimè vetuit Hebræos ea nocte domibus suis egredi. Sed vbi uocatus à Pharaone, intellexit iam esse factam cædem, & ab eo potestatem dari ipsis abeundi, Aegyptiosque uehementer vrgere, ut quamprimum abirent; mandauit Hebræis, ut non solùm ea ipsa nocte domibus egrederentur, sed etiam ex Aegypto discederent. Sed mirabitur fortasse Lector, qui fieri potuerit, ut tanta multitudo Hebræorum, per omnem terram Gessen sparsè habitans, tam breui tempore non solùm congregaretur, sed in modum exercitus, bene ordinata & instructa ex Aegypto prodiret. Verùm admirationem hanc tollit Iosephus in libro secundo Antiquitatum, capite quinto ita scribens: Moses Hebræos prius instructos ad profectionem, & per sodalitia distributos, in uno loco continebat. Sic Iosephus. *Iosephus.* Præmonitu igitur Mosis, Hebræi congregati fuerant circa vrbem Ramesse terræ Gessen, & inde, signo dato, sine mora, expediteque profecti sunt.

DECI-

DECIMA NONA DISPVTATIO.

An Hebræi egressi sint ex Aegypto post triginta & quadringentos annos quàm inibi habitauerant.

SVPER ILLIS VERBIS.

Exodi 12. Versu 40. Habitatio filiorum Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum: Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti.

104. HIC locus Exodi tractatus est à nobis in tertio Tomo Commentariorū nostrorum in Genesim super caput eius libri decimumquintum, in Disputatione sexta; non tamen plenè, neque ex professo, sed ex parte tantum, & quò melius explanaremus verba Dei, quæ sunt in eo capite: quibus verbis prædicitur Abrahæ, semen eius fore peregrinum & seruum per quadringentos annos. Nunc autem ratio nostri instituti poscit, vt inter alias Disputationes super hoc caput duodecimum Exodi à nobis explicandas, hanc etiam valde grauem & perplexam, consulta opera, & cum cura pertractemus. Sicut habet Latina translatio in hoc loco, Hebræos habitasse in Aegypto per quadringentos & triginta annos; ita quoque habet Scriptura Hebraica, & Paraphrasis Chaldaica. At verò LXX. Interpretes diuersè admodum interpretati sunt hūc locum Exodi. Sic enim habet eorum translatio, Latinè ad verbum reddita: *Habitatio filiorum Israel, qua ipsi, & patres eorum habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaan, fuit quadringentorum triginta annorum.* quam translationem magno sanè risu & contemptu abiudicat, & abijcit Eugubin⁹ in sua Recognitione Pentateuchi: tractans enim hunc locum Exodi, sic ait: Falsò, atque otiosè additur in codicib⁹ Græcis: *Quibus manserunt in Aegypto, in Chanaan:* quis enī non intelligit id esse falsum? Amouendū est igitur illud: *Et in terra Chanaan.* Neque enī hebraicè habetur; & eo modo, eum numerum annorum longè superarent. Ita Eugubinus: sanè q̄ arrogāter, atque insipienter: nam neque negari potest, eam lectionē esse LXX. Interpretum, quos veneranda Ecclesiæ antiquitas reuerenter coluit & secuta est; & hanc ipsam lectionē huius loci, omnes fermè scriptores antiqui tam Græci quàm Latini, vt veram citant & approbāt. Nulla igitur ratio fuit, cur hoc Eugubini tam insolenti & indocto annotamento Genebrardus adeò gauderet, vt in primo suæ Chronologiæ libro hæc verba scripta reliquerit: Cùm ista, in primis editionibus annotabam, carebam quidem Latino, aut Græco suffragatore: & postea reperi Augustinum Eugubinum in cap. 12. Exodi in ea versari sententia; vbi & Græcorum Interpretum adiectionem illam: *Et in terra Chanaan.* cancellat, sed nos redeamus ad propositam quæstionem. *Iusta in Eugubinū animaduersio.* *Genebrardus.*

Multa profectò sunt, quæ huius loci Exodi perobscurum faciunt intellectum, & perdifficilem explicatum; nam & falsam videtur continere sententiam, & aduersari quibusdam alijs Scripturæ locis. Etenim Hebræos minus quadringentis triginta annis habitasse in Aegypto, demonstrat liber Iudith in cap. 5. illis verbis: *Cumque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Aegyptum; illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.* Hic quadringenti tantùm anni numerantur habitationis in Aegypto, omissis triginta annis, qui ponuntur in hoc loco Exodi. Immò verò habitasse eos in Aegypto paulò amplius ducentis annis, existimari potest ex ijs verbis, quibus Deus prædixit Abrahæ semen eius fore peregrinū in terra nō sua per quadringentos 105.

gentos annos, vt traditur in libro Genesis, cap. 15. Primum autem semen Abrahæ, fuit Isaac, tum Iacob, deinde huius posteri: Isaac & Iacob peregrinati sunt in terra non sua, id est, in terra Chanaan, annis centum nonaginta, tot enim effluxerunt ab ortu Isaac vsq; ad descensum Iacob in Aegyptum. Isaac quippe sexagenarius genuit ipsũ Iacob, vt est in cap. 25. Genesis; Iacob verò natus annos centum triginta, intrauit Aegyptum, id enim proditũ est Genes. 47. Ergò ex illis quadringentis annis, quibus peregrinaturum erat semen Abrahæ, reliqui sunt anni duntaxat ducenti & decem, assignandi peregrinationi posterorum Iacob in Aegypto, id autem est à descensu Iacob in Aegyptum, vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto.

106. Ex aduerso autem videntur Hebræi longè amplius quadringentis triginta annis habitasse in Aegypto. In supradicto enim loco Genesis, ca. 15. dicitur semen Abrahæ seruiturum & afflictum iri per annos quadringentos: ista verò seruitus & afflictio, non fuit alia, nisi quam in Aegypto perpessi sunt Hebræi; hæc autem cœpta est post mortem Ioseph: nam viuente Ioseph, id est, per annos vnum & septuaginta: (tot enim annis vixit Ioseph post ingressum Iacob in Aegyptum) in magna libertate, ac tranquillitate, prosperitateque habitatunt Hebræi in Aegypto. Si coniungantur igitur septuaginta anni liberæ ac prosperæ habitationis in Aegypto, cum alijs quadringentis seruilis eorum habitationis & oppressionis in eadem Aegypto, efficietur, vniuersam habitationem in Aegypto, non tantùm fuisse annorum quadringentorum triginta, vt dicitur Exodi 12. sed plusquam quadringentorum & septuaginta annorũ. Immo verò fuisse eam quingentorum annorum, probari posset ex verbis B. Stephani, quæ Actorum cap. 7. ita referũtur à B Luca: *Locutus est Abraha Deus: quia erit semen eius accola in terra aliena, & seruituti eos subijcient, & malè tractabunt eos annis quadringentis triginta.* Si Hebræi seruierunt in Aegypto quadringentis triginta annis; & ante seruitutẽ liberè ac prosperè vixerant ibidem per annos septuaginta (quoad nempe vixit Ioseph) necesse est, habitasse eos in Aegypto annos quingentos. Hæc itaque est causa difficultatis & obscuritatis huius loci Exodi: quę tanta B. Hieronymo visa est, vt super tertium caput Epistolæ ad Galatas, exponens verba illa, quibus Paulus docet, legem Mosis fuisse datã annis quadringentis triginta, postquã Deus promiserat Abrahæ, in semine eius benedicendas fore omnes gentes, ita scribat. Supputandi sunt isti anni quadringenti triginta ab eo tempore, quo Deus ad Abraham locutus est, dicens: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* vsque ad legislatorem Mosen: & videndum, vtrum verè quadringenti triginta sint: & quomodo Deus in libro Genesis polliceatur Abrahæ, quod post quadringentos annos, de terra seruitutis filij eius exituri sint. Non enim parua res est, & à multis quæsita; nescio an ab aliquo sit inuenta. Sic ibi B. Hieronymus. *B. Hierony.*

107. Nos huius disputationis tractatum ita digessimus, vt primo loco demonstremus, Hebræos non habitasse in Aegypto quadringentis triginta annis: secundo loco probemus, computando tempus habitationis eorum in Aegypto à descensu Iacob in Aegyptum vique ad exitum populi Hebræi ex Aegypto, non mansisse eos in Aegypto nisi annis duntaxat quindecim & ducentis: tertio loco doceamus, huic sententiæ nostræ nec aduersari locum hunc Exodi, neq; cum hoc loco pugnare alios Scripturæ locos supra memoratos: extremo demũ loco, quorundam auctorum minimè vulgarium super hac re sententias nequaquam probabiles, indicemus atque refellamus. Hebræos non quadringentis triginta annis, verumetiã minus trecentis, habitasse in Aegypto, concors est omnium tam Hebræorũ, quàm Christianorum (præter Eugubinum & Genebrardum) sententia: ea verò validè firmatur hac ratione. Caath, nepos Iacob, & auus Mosis, intrauit Aegyptum vnà cum auo suo Iacob, vt patet ex ca. 46. libri Genesis; hic vixit centum triginta tribus annis, vt scriptum est in libro *Hebræos minus trecentis annis mansisse in Aegypto.*

Exodi,

Exodi, cap. 6. & genuit filium Amram, qui vixit centum triginta septem annis, vt in eodem loco Exodi proditum est, cuius filius fuit Moses, qui octoginta natus annos, vt est in libro Exodi, ca. 7. eduxit Hebræos ex Aegypto. Horum trium hominum supradicti anni, etiam coniunctè sumpti, efficiunt summam annorum trecentorum quinquaginta. Vel ex hoc vno igitur satis apparet, habitationem Hebræorum in Aegypto, annorum triginta & quadringentorũ esse non potuisse. At enim, ex illa summa annorum superiorum trium personarum demere oportet annos, quos vixit Caath post genitum filium suum Amram; quippe qui pariter currunt cũ annis ipsius Amram, quare si seorsim censeantur, bis vtique tempus idem computaretur. Fuerunt autem anni, post genitum filium Amram, sexaginta octo, siquidem Caath, cùm esset sexaginta quinque annorũ, vt tradit Epiphanius in Ancoratu, genuit filium suum Amram. Similiter ex annis centum triginta septem vitæ Amram suprà memoratis, detrahere oportet annos, quos vixit post genitum Mosen, qui fuerunt sexaginta septem. Amram enim cum esset septuaginta annorum, vt placet Epiphanio, genuit Mosen. Si demas igitur ex annis centũ triginta tribus vitæ Caath sexaginta octo annos, reliqui erunt sexaginta quinque, & item ex annis centum triginta septem vitæ Amram, detrahas sexaginta septem, supererũt septuaginta; qui coniuncti cum illis sexaginta quinque Caath, efficient summam annorum centum triginta quinque. His adde octoginta annos Mosis vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto, & habebis ducentos quindecim annos transactos ab ingressu Caath in Aegyptum cum auo suo Iacob, vsque ad exitum nepotis sui Mosis & Hebræi populi ex Aegypto; dummodo ponamus Caath fuisse natum eo ipso anno, quo Iacob intrauit Aegyptum, quod à multis traditur, & est probabile. Si quis autem repugnet, contendens aliquot annis ante ingressum Iacob in Aegyptum fuisse natum Caath, is profectò magis confirmabit sententiam nostram: tanto enim minorem efficiet summam illorum annorum ducentorum quindecim mansionis Hebræorum in Aegypto, quãto plures vitæ annos assignabit ipsi Caath ante ingressum eius in Aegyptum.

B. Epiphan.

108. In Genebrardum.

Sed perpende quæso Lector quemadmodum hanc rationem dupliciter infirmare conatus sit Genebrardus in libro primo suæ Chronologiæ. Ait hanc esse argumentationem Hebræorum, sed esse inualidam. Primùm enim, cùm dicitur, annos vitæ Amram fuisse centũ triginta septem; Non est, inquit, intelligendum hoc de omnibus annis totius vitæ eius, sed de annis vitæ, quam agebat cum amisit patrem, aut cum genuit filios. Sic ille. At quis non uidet, illud interpretamentum, uiolentum esse, & contrarium cõsuetudini loquendi Scripturæ? Cùm enim ea recenset annos vitæ alicuius simpliciter & præcisè, vti facit in commemorando annos vitæ Caath, & Amram, haud dubiè loquitur de totius vitæ annis, cuius rei tot sunt exẽpla in sacris literis, & ita passim obuia, vt legenti eas perspicuum & indubitatum futurum sit quod diximus. Ait præterea Genebrardus, inter Caath, & Amram, & inter Amram & Mosen intercessisse alias personas, prætermissas in libro Exodi; sicut Matthæus in describendo genealogiam Saluatoris, dicens, quod Ioram genuit Oziam, intermisit tres reges intermedios, Ochoziam, & Ioas, & Amasiam. Sed id profectò gratis dictum est à Genebrardo: nulla enim ratione ostendi potest, fuisse intermedios aliquos homines inter Caath & Amram, vel inter Amram & Mosen: Vbicumque enim Scriptura illam progeniem Leui recenset, semper facit ipsum Amram proximè succedere ipsi Caath, & Mosen, & Aarõ ipsi Amram. Tres autẽ illos reges prætermissos fuisse à Matthæo, propterea uerè dicitur, quia liquidò id constat ex libris Regũ, & ex libris Paralipomenon; in quibus libris, regum illorum scripta est historia. Nec verò superior ratio, qua sententiam nostram muniuimus, propria est Hebræorum (ut putauit Genebrardus) quasi inuentum quoddam eorum uel commentum: ea namque ratione usi sunt

sunt ad confirmandam sententiam nostram, non solùm Lyranus, & Thostatus, in caput 12. Exodi, verumetiam Beda, in libro de sex ætatibus mundi, & S. Augustinus in libro Quæstionum in Exodum, quæst. 47.

109. *Hebræos mansisse tãtum in Aegypto annis ducentis quindecim. Locus Pauli ad Galatas 3.* Secundo loco probãdum nobis est, Hebræos mansisse in Aegypto annis duntaxat quindecim & ducentis; nec plures annos prætérijsse ab eo tempore, quo Iacob cum omni familia sua descendit in Aegyptum, ad id vsque temporis, quo Hebræi, duce Mose, de Aegypto egressi sunt; id verò euidenter probatur hac ratione B. Paulus in ca. 3. Epistolæ quam scripsit ad Galatas, ait: Legem Mosis esse latam quadringentis & triginta annis post eam promissionem, quam Deus dedit Abrahæ, cùm euocauit eum ex Chaldæa siue Mesopotamia in terram Chanaan, promittens ei & multiplicationem seminis, & possessionem terræ Chanaan, & benedictionem omnium gentium in ipso, siue in semine ipsius; tunc verò Abrahã, annorum erat septuaginta quinque, vt traditum est in libro Genesis, cap. 12. A septuagesimo autem quinto anno ætatis Abrahæ vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum, effluxerunt anni ducenti quindecim: ergò restant tantùm ducenti quindecim anni à descensu Iacob in Aegyptum vsque ad promulgationem legis Mosis, siue vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto lex enim Mosis tertio mense post egressionem Hebræorum ex Aegypto data est in mõte Sina. Fluxisse autem ducentos quindecim annos à septuagesimo quinto anno ætatis Abrahæ, vsque ad ingressũ Iacob in Aegyptum, perspicuè ostenditur ex libro Genesis, ad hunc modũ: A septuagesimo quinto anno ætatis Abrahæ, vsque ad ortum Isaac, prætérierunt anni viginti quinque; centenarius enim Abraham erat, cùm genuit Isaac, vt est in cap. 21 Genesis Hinc numerari debent sexaginta anni vsque ad natiuitatem Iacob, sexagesimum enim agens annum Isaac genuit filium suũ Iacob, vt traditur Genes. 25. Iacob porrò annorum erat centum triginta, cum intrauit Aegyptum, id enim ipsemet dixit regi Pharaoni, vt traditur Genes. 47. Ex istis omnibus annis efficitur sũma, quam diximus annorum ducentorum quindecim, à promissione data Abrahæ septuagesimum quintum annũ agenti, vsque ad descensum Iacob in Aegyptum.

Ex his apparet, annos illos quadringentos triginta, qui memorantur in hoc capite 12. Exodi, non esse computandos à tempore descensus Iacob in Aegyptum, sed à tempore promissionis, quæ data est Abrahæ, cum ex Mesopotamia primùm venit in terram Chanaan: siue ab eius septuagesimo quinto ætatis anno: hoc enim affirmant plurimi & grauissimi auctores, Iosephus libro 2. Antiquitatum cap. 6. Eusebius in Chronicis, S. Chrysostomus in Homil. 37. in Genes. B. Hieronymus in caput 3. Epistolæ ad Galatas, Seuerus Sulpitius libro 1. sacræ Historiæ, B. Augustinus in lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 16. & 24. & in libro Quæstionum in Exodum, quæstione 47. Beda in libro de sex ætatibus mundi, Glossa interlinearis in caput 3. Epistolæ ad Galatas, & ibidem etiam B. Thomas, Rupertus lib. 2. Commentariorum in Exodum, cap. 20. Lyranus in cap. 12. Exodi, vbi ait hanc esse Catholicorum Doctorum sententiam, & Thostatus in idem caput Exodi, quæstione 54. vt ad præsens taceam omnes ferè nostræ huius ætatis Chronographos. Sed non abs re fuerit, erit certè gratum Lectori, quorundam de supradictis auctoribus uerba hic adscribere. 110.

Iosephus ita scribit: Reliquerunt Hebræi Aegyptum in mense Xantico, luna quintadecima, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham, pater noster in Chanaan venit: post migrationem uerò Iacob in Aegyptum, anno ducentesimo decimo quinto. Eusebij verba sunt huiusmodi: Abraham, cum septuaginta quinque esset annorũ, diuino dignus habetur colloquio, & ea repromissione quæ ad eum facta est. A septuagesimo quinto anno Abrahæ, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, supputantur anni quadringenti triginta (quorum meminit Paulus 111. *Iosephus.* *Eusebius.*

lus in Epistola ad Galatas, cap. 3. ita dicens: *Testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos triginta annos facta est lex, non infirmat ad destruendam repromissionem.* Ipse quoque in libro Exodi his congruens ad hunc modum scribit (secundum translationem LXX. Interpretum:) *Habitatio filiorum Israel, qua habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta.* Hæc Eusebius; cuius auctoritate idem confirmat B. Augustinus in supradicto libro de Ciuitate Dei; sed in libro Quæstionum in Exodum, quæst. 47. hunc in modum scribit; Illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos vsque ad legem latam, sicut dicit Apostolus in Epistola ad Galatas: non igitur ex eo tempore, quo Iacob intrauit Aegyptum, anni illi quadringẽti & triginta computandi sunt. Deinde, etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significauit: non enim dixit; Incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Aegypti, anni quadringẽti triginta: sed apertè dixit: *Quem incoluerunt in terra Aegypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum.* Ac per hoc manifestum est, computandum esse tempus etiam Patriarcharũ, Abrahæ, Isaac & Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan, id est, ex illa promissione; in qua eius fidem laudat Apostolus, vsque ad illud tempus, quo Iacob ingressus est in Aegyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres illi in terra Chanaan; Et deinde semen Iacob in Aegypto: & sic completi sunt quadringẽti triginta anni à promissione, vsque ad exitum Israel de Aegypto, quando facta est lex in monte Sina. Fiunt itaque anni viginti quinque à promissione Abrahæ, vsque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitæ Isaac, qui fuerunt centum octoginta, & ita fiunt ducenti quinque anni. Tunc autem Iacob erat centum uiginti annorum: natus enim fuerat patre sexagenario: post decem uerò annos intrauit Iacob Aegyptum, cùm esset annorum cẽtum triginta, vbi inuenit filium suum Ioseph natum annos triginta nouem. Fiunt proinde anni à promissione Abrahæ usq; ad ingressum Iacob in Aegyptum, ducẽti quindecim. Ioseph porrò post ingressum patris sui Iacob in Aegyptũ, vixit unũ & septuaginta annos, oẽs quippe uitæ eius annos Scriptura memorat centũ & decẽ. Cùm itaq; ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta unus, fiunt anni ducenti octoginta sex, restant centum quadraginta quinq; anni: quibus intelligitur seruisse populus Israel post mortem Ioseph in Aegypto: Hæc S. Augustinus.

S. August.

112. Hanc ipsam beati Augustini expositionem sequens Rupertus docet, propterea Hebræos in decuplo pœnas luisse sceleris, quod Patriarchæ eorum admiserant in fratrem suum Ioseph, uendentes eum alienigenis, per quam uenditionem causa fuerunt seruitutis eius in Aegypto per quatuordecim annos: erat namque sexdecim annorum, cùm uenditus est, & usque ad trigesimum annum seruiuit in Aegypto. Pro hac igitur seruitute, posteri eorum dignas persoluendo pœnas, decuplo longiorem seruitutem in Aegypto passi sunt. Seruierunt quippe post mortem Ioseph, usque ad exitum ipsorum ex Aegypto, per annos centum quadraginta quatuor; qui anni continent annos quatuordecim seruitutis Ioseph decuplo multiplicatos, & paulò amplius. Sic Rupertus. Verùm animaduertat Lector, Rupertum in ista computatione pro certo sumere id, quod non est certum, imò quod est falsum. Putat enim seruitutem Hebræorum cœpisse statim post mortem Ioseph; at incœptam esse eam non paucis annis post obitum Ioseph, fuisseque breuiorem centum annis, & significat non obscurè liber Exodi capite primo, & satis apertè ac ualidè probatum à nobis est suprà in disputationibus quas fecimus super primum caput Exodi, in disputatione uidelicet sexta. Nec uerò Beatus Hieronymus, explanans uerba illa Pauli ad Galatas, dubitauit de ueritate computationis illorum triginta & quadraginta annorum à tempore pro-

Rupertus.

Aduersio in Rupertũ.

promissionis Abrahæ, vsque ad tempus legis datæ in monte Sina: sed dubitauit de modo concordandi locum illũ Pauli cum loco illo, qui est in capite decimo quinto Genesis, vbi prædicitur futurum Abrahæ semen eius peregrinũ in terra non sua, & seruum annis quadringentis: ista enim duo Scripturæ loca; inuicem aptè, rectéque componere, atque conciliare, perarduum existimauit, argumento multorum, qui tentarunt id, nec tamen confecisse videntur.

113. *Genebrardus.* At enimuerò, Genebrardus, quo supra dixi loco, verba illa Pauli de quadringentis triginta annis, aliorsum detorquere conatus est, contendens, Paulum illos quadringentos triginta annos non computare à promissione Abrahæ, sed à principio habitationis Hebræorum in Aegypto, siue à descensu Iacob in Aegyptum, totidem enim annos apertè recenset Scriptura Exodi trãsactos, dum Hebræi habitarunt in Aegypto. Addit præterea hoc argumentum: Si Hebræi mansissent in Aegypto annis duntaxat quindecim & ducentis; videri prorsus incredibile, potuisse eos, tam breui tempore, in tantam excrescere multitudinem, vt eorum soli bellatores, ad sexcẽta millia, præter mulieres & paruulos, imbellemque omnẽ ætatem exierint de Aegypto. Sed lubet adscribere hic verba ipsa Genebrardi. Non videtur credibile, (ait Genebrardus) quod tam paucis annis, ducentis videlicet decem vel quindecim, nisi peculiari aliquo miraculo, adeò propagari potuerint Hebræi, vt sexcenta armatorum hominum millia, absque pueris & mulieribus innumerabilibus exierint de Aegypto. Sed illis imposuit, qđ Paulus ad Galatas tertio, scribere videtur, quadringentis triginta annis post promissionem factam Abrahæ de suscipiendo semine qui est Christus, datam esse legem Mosis. Arqui Paulus nos suis verbis tantum remisit ad Scripturam Exodi, aitque se non de quolibet testamento siue pacto cum Abraham percusso, sed de illo demùm loqui, qđ scribitur esse lex facta post quadringentos triginta annos: quos annos locus Exodi, capite duodecimo, non patitur computari à promissione Abrahæ, sed à descensu Hebræorum in Aegyptum. In illis enim Pauli verbis illud (*post*) nõ refertur ad promissionem Abrahæ, sed ad legem, quæ data est post quadringẽtos annos quàm Hebræi venerant in Aegyptum. Quasi dicat Paulus: Lex, quæ post quadringentos triginta annos facta legitur Exodi capite duodecimo, Testamentum Dei prius Abrahæ factum, non potest irritum facere. Alioqui, vt hoc addam, falsum esset oraculum Dei, quod traditur Genesis decimo quinto, prædicens semen Abrahæ, quadringentis annis seruiturum (in Aegypto videlicet, nam in terra Chanaan nulli subactum fuit seruituri) deinde illa seruitute liberatum iri. Hæc Genebrardus.

Sed Genebrardo aduersantur omnes expositores eius loci ad Galatas, & omnes Chronographi omnium temporum; quin etiam verba ipsa Pauli, si inconsideratè perpendantur; & item propositum Pauli in eo loco, & vis argumentationis qua inibi vtitur, necessariò deposcunt, vt illos quadringentos triginta annos ante legem datam, non à descensu Iacob in Aegyptum, sed à promissione Abrahæ facta ordiamur. Paulus enim benedictionem & salutẽ omnium gentium, nõ à lege Mosis, sed à Christo sperandam & petendam esse, ita eo loco argumentatur. Deus Abrahæ promisit fore, vt in semine eius, hoc est, in Christo benedicerentur omnes gentes; quæ promissio, facta est triginta & quadringentis annis priusquã daretur Lex: nec Lex tanto post data infirmare atque irritam facere potuit promissionem illam Dei: ergo benedictio, & salus omnium gentium, non à Lege, sed à Christo speranda & petenda est. Videt opinor, Lector, robur huius argumentationis pendere à tempore promissionis Abrahæ, non autem à tempore habitationis Hebræorum in Aegypto; cuius nempe, nec vllam ibi significationem facit Paulus, nec ea iuuat consilium & propositum Pauli. Verùm Genebrardus ait, esse incredibile, Hebræos potuisse intra quindecim & ducentos annos vsque adeò multiplicari. *114. Confutatio Genebrardi nõ rectè interpretãtis locum illũ Pauli ad Galatas 3.*

cari.

cari. Beato tamen Augustino id nequaquam incredibile visum est, hoc modo super ea re scribenti in quæstione quadragesima septima in Exodum: His annis (ducentis quindecim) quantū multiplicari potuerint Hebræi, si fœcunditas hominis consideretur adiuuante illo, qui eos voluit valde multiplicari, reperietur non esse mirum, quod in sexcentis millibus peditum egressus est populus ex Aegypto: Excepto cætero apparatu, vbi & seruitia erant, & sexus muliebris, & imbellis ætas. Sic Augustinus. Nos etiam super caput primum Exodi, in Disputatione prima, copiosè hac de re disseruimus, & ostendimus, tantam Hebræorum multiplicationem per id temporis, & possibilem fuisse, nec humanam fidem excedere. Quemadmodum autem locus Exodi duodecimus, & locus Genesis decimus quintus; quos locos contra nos, & pro se affert Genebrardus, nec opinionem eius adiuuent, nec sententiæ nostræ officiāt, mox ostendemus.

115. Tertiò deinceps declarandum est, quo modo sententiæ nostræ quæ habet, Hebræos in Aegypto habitasse annis duntaxat ducentis quindecim, non apertè contradicat Moses in hoc capite duodecimo Exodi, scribēs filios Israel habitasse in Aegypto quadringentis triginta annis. Nos dicimus, sicut ante nos dixerunt Doctores tam Synagogæ, quàm Ecclesiæ Christi; illos quadringentos triginta annos esse intelligendos non tantùm de habitatione in Aegypto, sed etiam in terra Chanaan; nec solùm de posteris Iacob, sed etiam de illis tribus Patriarchis, Abraham, Isaac, & Iacob. Hunc porrò germanum esse ac verum Scripturæ illius intellectum, magni argumenti loco esse debet, quòd antiquissimi, & sapientissimi Doctores Synagogæ, illos dico duos, & septuaginta Interpretes diuinæ Scripturæ huncipsum intellectum & sensum verborum Mosis in sua translatione eius loci Exodi posuerunt, ita vertentes eum locum: *Habitatio qua filij Israel habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaan, tam ipsi, quàm patres eorum, anni quadringenti triginta.* Hic septuaginta Interpretū sensus & intellectus illius loci Exodi, conseruatus est in Synagoga vsque ad Christi aduentum: Iosephus quippe, qui tempore fuit Apostolorum, eodem modo illum Exodi locum intellexit, & exposuit, vt suprà ostendimus. Iam verò in Christi Ecclesia, omnes tam Græci, quàm Latini, qui ea de re disseruerunt, translationem Septuaginta secuti, consimiliter illius loci Exodi sententiam interpretati sunt.

Quomodo intelligēdū sit, Hebræos habitasse i Aegypto 430. annis.

116. Cæterùm scire fortasse cuperet Lector, si triginta illi & quadringenti anni, non solùm pertinent ad habitationem posterorum Iacob in Aegypto, verùm etiam ad habitationem siue peregrinationem Abrahæ, Isaac, & Iacob in terra Chanaan, cur eos annos Moses assignauit tantum habitationi in Aegypto posterorum Iacob, de habitatione illorum trium Patriarcharum in terra Chanaan nullum prorsus verbum faciens. Lyranus causam huius rei breuiter declarans, ita scribit, locum illum Exodi exponens: Manifestum est, non mansisse in Aegypto Hebræos quadringentis triginta annis: sed iste numerus annorum incœpit secundum Doctores Catholicos, ab eo tempore, quo Abraham ex Mesopotamia primùm venit in terram Chanaan, in qua ipse, & filij eius habitauerunt tanquam peregrini, vsque ad descensum in Aegyptū: & sic exponendum est, quod dicitur in hoc loco Exodi: Habitatio filiorum Israel qua habitauerunt in Aegypto, scilicèt simul etiam cum illo tēpore, quo manserunt in terra Chanaan & Aegypti, & Philisthinorum, tanquam peregrini, fuit quadringentorum triginta annorum. Ideo autem Moses omnem habitationē Hebræorum per illos quadringentos triginta annos denominauit solùm ab Aegypto, quia mansio eorum in Aegypto & fuit vltima, & fuit diuturnior quàm alibi; solent autem res, interdum denominari & à fine, & à maiori parte. Sic Lyranus; Idemque tradit Thostatus in quæstione quadragesima quarta super caput duodecimū Exodi. Verùm quò melius hoc intelligatur, sciat Lector, rationem Mosis de illis

Cur Moses illos 430. annos tribuit habitationi Hebræorum in Aegypto, & reuera non fuit nisi annorū 215. Lyranus.

Thostatus.

illis quadringentis triginta annis, non esse propriam locutionem, sed figuratam & synecdochicam, qua pars ponitur pro toto. Est autem in verbis illis Mosis duplex synecdoche: vna est, cum memorat tantùm posteros Iacob, cum reuera memorandi essent tam illi, quã patres eorũ, Abraham, Isaac, & Iacob. Altera est synecdoche in eo, quòd nominat tantùm habitationem in Aegypto, cum memoranda esset non solùm hæc, sed etiam habitatio trium Patriarcharum in terra Chanaan. Causa verò cur Moses tantum nominauit mansionem Hebræorum in Aegypto, fuit triplex. Primò enim totius illius habitationis quadringentorum triginta annorũ, & initium fuit in Aegypto, & finis. de fine clarum est; de principio patet item ex capite duodecimo libri Genesis, vbi narratur, statim, vt Abraham venit ex Mesopotamia in terram Chanaan, cogente fame, venisse in Aegyptum. Deinde, illius habitationis quadringentorum triginta annorum, maior pars in Aegypto cõsumpta est: siquidem in terra Chanaan, in diuersis tẽporibus, manserunt illi tres Patriarchæ centum nonaginta quinque annis: Iacob verò mãsit in Mesopotamia viginti annis. At cõtinua Hebræorum mansio in Aegypto, fuit ducentorum quindecim annorum. His accedit, quod habitatio Hebræorũ in Aegypto, tribus rebus fuit valde insignita & nobilitata. Primum enim Ioseph eo tempore, summo cum imperio vniuersam Aegyptum per octoginta annos gubernauit, & eo tempore magna in prosperitate fuerunt Hebræi. Deinde, post mortem Ioseph, perinsignis & admirãda fuit multiplicatio Hebræorum, licet laboriosissima seruitute affligerentur ab Aegyptijs. Denique, liberationem eorum, atque exitum ex Aegypto, tot & tanta tunc facta prodigia, valde memorabilem & admirabilem reddiderunt. Ob has itaque causas Moses solam Hebræorum in Aegypto mãsionem commemorare voluit.

117. *Quomodo locus Genesis ca. 15. sit intelligendus.* Sed est alter ille locus Scripturæ in capite decimo quinto libri Genesis, qui etiam videtur nostræ sententiæ dupliciter contrarius; nam facere videtur serui-tutem in Aegypto, annorum quadringentorum; cum tamen non nisi ducentis quindecim annis dictum sit mansisse eos in Aegypto. Deinde, vniuersam peregrinationem seminis Abrahæ, id est, ab ortu Isaac vsque ad exitum Hebræorum de Aegypto, determinat annis tantùm quadringentis, at secũdum nostrãm superiorem computationem, fuerunt quinque & quadringenti. Verùm priori dubitationi sic est occurrẽdum. Numerus ille quadringentorum annorum, referendus est tam ad peregrinationem seminis Abrahæ in terra non sua, quam ad eius in Aegypto seruitutem & afflictionem, non quidem disiunctè, sed coniunctè. Non enim vtrumlibet istorũ duorum durauit quadringentis annis: seruitus enim & afflictio Hebræorum vel minor fuit ducentis annis, vt quidam tradunt, vel etiam centum. Sensus itaque illorum verborum hic est: Semen tuum erit peregrinum, & seruiet, & affligetur: tẽpus uerò hæc tria comprehendens, erit quadringentorum annorum. Posteriori dubitationi, hunc in modum est respondẽdum: Si à promissione Abrahæ, qui tũc erat septuaginta quinque annorum, vsque ad legem Mosis datam in monte Sina, numerat Paulus quadringentos triginta annos, vt suprà ostendimus, cũ ab anno septuagesimo quinto Abrahæ *Genes. 18.* vsque ad centesimum, quo anno generauit Isaac, primum semen suum, præterierint viginti quinque anni: necesse profectò est, ab ortu Isaac vsque ad egressionem Hebræorum ex Aegypto, siue usq; ad legẽ latam, præterijsse annos quinque & quadringentos. Scriptura tamen, vt aliàs solet, magnum illum & integrum numerum quadringentorum annorum nominans, paruũ illum quinque annorum excessum addere non curauit. Nam & in tertio libro Regum, capite secundo ait, regem Dauid regnasse quadraginta annis; cũ ipsemet tamen in libro secundo Regũ, capite quinto dixisset, eum regnasse quadraginta annis, & sex mensibus: sed minutias istas numerorum præterire solet non modò sacra Scriptura; sed etiam externa & profana historia.

Hæc

118. *Exponitur locus Iudith. cap. 5.* Hac item ratione interpretari atque intelligere conuenit eum locum, quem suprà ex libro Iudith produximus: in quo dux Ammonitarum Achior enarrans progeniem, incrementa, variosq; casus populi Hebræi, significat, ex quo in Aegyptū, fame compulsi descenderūt, vsque ad eorum egressum, per quadringentos annos mirandum in modum esse propagatos. Sed nimirum Achior vniuersam posterorum Abrahæ in terra aliena commorationem appellauit Aegyptiacā, totum scilicèt denominans à principaliori parte. Hebræi quippe diutius in Aegypto, quā vsquā alibi commorati sunt, ibique mirabiliter breui tēpore multiplicati sunt, cūque asperrima seruitute premerētur ab Aegyptijs, multis & magnis à Deo prodigijs liberati sunt. Locus porrò ille ex *Locus Actorum cap. 7.* capite 7. Actorum Apostolicorum, suprà contra nostram sententiam prolatus, planè mendosus est: nam numerus ille (triginta) additus (quadringētis annis) planè vacat, falsoq; additus est. Plerique enim codices Latini, quos Beda, Lyranus, alijque plures secuti sunt, nō habent eo loci illud additamentum triginta annorum. Omnes præterea Græci codices cōstanter habent illic annos duntaxat quadringentos, nec aliter legerunt eum locum Græci Patres, & expositores, & Biblia Sixtina editionis vulgatæ nuper emendatæ, editæq; Romę, habent eum locū absque illo numero triginta. Et verò, cùm illic B. Stephanus memorauerit ijsdem propemodum verbis eum locum qui est in c. 15. Genesis, in eo autē loco numerentur tm̄ anni quadringenti peregrinationis & seruitutis posterorum Abrahę; totidē quoque commemorasse B. Stephanum, sine dubio putandum est. Alioqui verba illa falsam continerent sententiam. Ab ortu enim Isaac, vsque ad finem seruitutis Hebræorum in Aegypto, quinque tātū & quadringentos annos prætérijsse, ostensum à nobis suprà est: quare
119. alij viginti quinque anni, superuacuè *Sententia quorūdam Auctorum circa illos* falsoque adiecti fuissent.

Sed operæpretium fuerit in quarto atque vltimo huius Disputationis loco indicare, ac refellere nonnullas quorūdam auctorum circa cōputationem il- *430. annos refelluntur.* lorum triginta & quadringentorū an- *S. Epiphanius.* norum opiniones, nostræ sententiæ cōtrarias, nimimeq; veras. S. Epiphanius in Ancoratu orditur computationem illorum quadringentorum triginta annorum ab eo tempore, quo Deus prædixit Abrahæ peregrinum fore semen eius, & seruum quadringētis annis. At B. Paulus quadringentos triginta illos annos computat à promissione facta Abrahæ de benedictione omnium gentium in semine eius: quæ prædictio, haud paruo tempore antecessit prædictionem illam Dei de peregrinatione & seruitute seminis Abrahæ; nam inter vtriusque tempora, intercesserunt permulta, quæ narrantur in libro Genesis ab exordio capitis 12. ad finem vsq; capitis 15. Deinde annos illos triginta & quadringentos, Epiphanius terminat in eo tempore, quo terram promissionis intrarunt Hebræi: at B. Paulus finem eorum facit, cùm lex in monte Sina lata est Hebræis: & in libro Exodi, cap. 12. scriptum est, istos triginta & quadringentos annos fuisse tunc expletos, eum ex Aegypto Hebræi sunt egressi. Adhæc, Epiphanius computat quinquaginta annos ab egressu Hebræorū ex Aegypto, vsque ad ingressum eorū in terram promissionis: cum Scriptura pluribus locis non fuisse plures quadraginta, perspicuis verbis tradat; idque cōcludere liceat euidenter ex libro Deuteronomij. Postremò, Epiphanius facit Mosen triginta annorum fuisse, cum eduxit Hebræos ex Aegypto: liber verò Exodi capite 7. ait, eum fuisse id temporis, octoginta annorum.

B. Chrysostomus hom. 37. in Gene- 120. *S. Chrysostomus.* sim, bene inchoat illos quadringentos triginta annos à tēpore aduentus Abrahæ de Mesopotamia in terrā Chanaan, quo tempore data est ei à Deo promissio illa, de qua loquitur Paulus ad Galatas, cap. 3. sed in eo deficit, quod ait Hebręos mãsisse in Aegypto minus ducētis annis: sic enim nō subsisteret cōputatio illa quadringentorum triginta annorū, quam tradit B. Paulus; cū ab initio eius computationis, qd̄ facit Chrysostomus, numerentur vsq; ad ingres-

 sum

sum Iacob in Aegyptum: anni dûtaxat quindecim & ducenti, vt suprà ostendimus; quare si anni minus ducentis, trãsacti sunt in Aegypto vt putat Chrysostomus; à promissione Abrahæ vsque ad legem datam pauciores quadringentis & quindecim annis, numerare oporteret, contra sententiam Apostoli computantis triginta & quadringentos.

121. *Hebræorum opinio falsa.* Hebræorum porrò circa supradictã computationem annorum opinio, tripliciter falsa est. Primû enim illos quadringentos triginta annos numerare incipiunt à tempore prædictionis de peregrinatione & seruitute posterorum Abrahæ, quod suprà refutatum est. Deinde, ab ortu Isaac vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto computant annos præcisè tantùm quadringentos; & aiunt Hebræos mansisse in Aegypto solùm annos ducentos & decem, quod etiam placuit Lyrano, & Caietano, & quibusdam alijs: sed hæc falsa esse, paulò suprà demonstratum est. Adhæc cõputãt nihilominus triginta & quadringentos annos à tempore illius prædictionis, vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto: quod nec secundum ipsorum opinionem, nec secundum veritatem consistere potest. Nam secundum veritatem, à tempore promissionis factę Abrahæ, cum primum venit in terram Chanaan, id est, aliquot annis ante illã prædictionem, vsque ad ortum Isaac, fluxerunt tantùm viginti quinque anni, vt supra diximus: ipsi autem Hebræi ab ortu Isaac numerãt tantùm quadringentos annos vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto: ergò a tempore illius prædictionis vsque ad exitum Hebræorum, necesse est, secundum opinionem Hebræorum, pauciores quadringentis viginti quinque annis computari. *Procopius Gazæus.* Procopius Gazæus super caput 15. libri Genesis, explanans prædictionem illã Domini de futura peregrinatione, & seruiture posterorum Abrahæ per quadringentos annos, videtur illos quadringétos triginta annos inchoare ab ortu ipsius Isaac: Sic enim scribit: Nõ pugnat hic locus cum eo, quem in libro Exodi habemus, vbi dicitur, post quadringentos triginta annos populum Hebræum egressum fuisse ex Aegypto: non enim hoc loco dicitur, statim decursis expletisque quadringentis annis, Iudæos ex Aegypto egressuros, sed simpliciter traditur, eos post annos quadringentos egressuros esse; quibus verbis reliqui etiam triginta anni comprehendi possunt. Hoc Procopius: qui si vult, vt eius verba præ se ferunt, initium illorum quadringentorum triginta annorum esse ducendum ab ortu Isaac, perspicuè fallitur; illud enim temporis spatium, non amplius quadringentos & quinq; annos continet, vt suprà probatum est.

VIGESIMA DISPVTATIO.

De tempore egressus Hebræorum ex Aegypto, secundum externam & profanam Ethnicorum Chronologiam.

ETSI nonnulla eorũ, quę attingunt hanc disputationem, tractata sint à nobis in tertia disputatione super caput secundum Exodi: hic tamen locus proprium huius rei tractatum silentio præteriri minimè patitur; quin etiam distinctioré ac dilucidiorem explicatum deposcit. 122. Principiò, sciat Lector, varia fuisse apud Ethnicos maximè insignia, & celeberrima tépora, à quibus illi suas Chronologias ordiri solebant; sed antiquissimum omniũ Chronologiæ tépus fuit, quod inchoabatur a téporibus Nini & Semiramidis, qui primam in orbe terrarum Monarchiam, Assyriorum appellatam, condiderunt: horum autem principatu vixit sanctus Patriarcha Abraham. *Quinque celeberrima Chronologiarum apud Ethnicos quasi capita, & principia.* Alterum genus Chronologiæ ducebatur à tempore diluuij Ogygis, & Inachi, ac Phoronei Regum; quod tépus incurrit in ętatem beati Iacob Patriarchæ. Tertio generi Chronologiæ principium dedit bellum siue excidiũ Troiæ; quod euenit iuxta tempora Sãsonis Iudicis, & Heli Põtificis Hebręorum. Quarti generis Chronologiæ principium fuit, idem atque principiũ Olympiadum; quod planè competit in

octauum

octauum annum regni Achaz regis Iudæ. Quintum & postremû genus Chronologiæ, à Romanis scriptoribus præcipuè obseruatum atque celebratum, sumit initiû ab origine vrbis Romæ, quæ condita est in primo anno septimæ Olympiadis: Is porrò annus concurrit, secundum sacram Chronologiam, cum decimo sexto anno regni Ezechiæ regis Iudæ. Hæc nunc sine probatione, pro veris & certis posuimus; tum quod probationem eorum, qualem esse oporter, hic locus non caperet; tum quod ea iam pridem à nobis, in alijs scriptis nostris in lucem editis, benè demonstrata & constituta fuerint.

123\. Hæc nos pauca nunc præfari, varias de tempore egressus Hebræorû ex Aegypto sententias Ethnicorum breuiter exponem⁹ ac refellemus, sunt enim omnes falsæ; quibusdam multò minorem, pluribus autem longè maiorem vero, eius temporis antiquitatem prædicantibus. Ac primo loco memoranda est opinio Apionis cognomento Grãmatici, acerrimi Iudæorum, Iudaicarumq; rerum insectatoris, & calumniatoris; aduersus quem duos libros scripsit Iosephus. In horum posteriore volumine refert, Apionem in suis scriptis prodidisse, à Mose populû Hebræum ex Aegypto fuisse eductum in tempore septimæ Olympiadis; quo etiam tempore, à Tyrijs in Africa Carthaginem esse cõditam. Sed hoc, non euidenter modò, sed etiam ridiculè falsum est. Iosephus enim in priori eorum librorum, ex vetustissimis Phœnicum Annalibus probat, templum Salomonis ædificatum esse centum quadraginta tribus annis ante Carthaginem. Templi autem Salomonis ædificationem præcessit egressus Hebræorum ex Aegypto, quadringentis octoginta annis, vt scriptum est in lib. 3. Reg. cap. 6. Clemens tamen Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & Eusebius lib. 10. de præparat. Euangel. cap. vltimo, multo secus Apionem de antiquitate Mosis prodidisse referunt.

Prima opinio Apionis.

Clemens Alexãdrinus. *Eusebius.*

124\. Altera fuit opinio Porphyrij, qui in libro quarto eorum librorum, quos aduersus Christianos, mendaciorum, & conuiciorû plenos euomuit, fuisse Mosen tradidit, paulò ante tempora Semiramidis, quæ post maritum Ninum Monarchiæ Assyriorû fundatorem, regnû & Monarchiam Assyriorum obtinuit. Verùm insigni admodum Chronologiæ inscitia, turpiter in hoc lapsus est Porphyrius. Explorata, quippe certáq; ratione temporum constat, natum esse Abraham in extremo Nini principatu, & dum imperauit Semiramis, in Chaldæa eum fuisse. Ortus porrò Abrahæ, quingentis quinque annis præcessit egressum Hebræorum ex Aegypto, & quadringentis viginti quinque natiuitatem Mosis. Siquidem ab ortu Abrahæ vsque ad ortum Isaac numerantur centum anni Genes. 21. hinc vsque ad ortum Iacob, anni sexaginta Genes. 25. Iacob verò centum triginta annos natus intrauit Aegyptû, Genes. 47. ex quo tempore vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto fluxerunt anni ducẽti quindecim; vsque ad ortum autem Mosis cẽtum triginta quinque. Ab ista etiam opinione Porphyrij propè abest sententia Lactantij qui lib 4. Diuinar. institu. cap. 5. Mosen nongẽtis annis bello Troiano priorem fuisse tradit: atqui cõstat Mosen trecentis tantùm annis, & paulò amplius quinquaginta, excidio Troiæ fuisse antiquiorem.

Secunda opinio Porphyrij.

Tertia opinio Lactantij.

125\. Quarta opinio fuit Manethonis rerum Aegyptiacarum scriptoris, & antiqui, satisque probati, & clarũ quo, vt refert Iosephus in priori libro aduersus Apionem, proditum est, Hebræos, Imperatore Mose, ex Aegypto profectos esse in Palæstinam, annis trecentis nonaginta tribus, priusquam Danaus Argos peteret, id autem est, mille circiter annis ante bellum Troianû. Sed hoc etiã falsum est: bellum enim Troianum, iudicio meliorû auctorum, præcessit Olympiades annis circiter quadringẽtis, & septem: & quia plurium & nobiliû concessu Chronographorum, Cyrus, Monarchiæ Persarum conditor, regnare cœpit initio quinquagesimæ quintæ Olympiadis, hoc est, ducentis & sex decim annis post exordium Olympiadum exactis: necessariò efficitur, esse gestum bellum Troianum sexcẽtis & viginti quatuor annis ante Cyri Monarchiam.

Quarta opinio Manethonis. *Iosephus.*

chiâ, Ex ipsa porrò sacræ historiæ Chronologia, ab egressu Hebræorum ex Aegypto vsque ad regnum Cyri, colligũtur anni duntaxat nongenti octoginta; verbi gratia, ab egressu Hebræorum vsque ad ędificationem templi Salomonis numerantur in lib. 3. Reg. cap. 6. anni quadringenti octoginta, hinc vsque ad finem regni Ezechiæ regis Iuda, & Babylonicam Iudæorum captiuitatem, ex tertio & quarto libro Regum colliguntur anni quadringenti triginta: proximè consecuti sunt septuaginta anni eius captiuitatis vsque ad regnum Cyri, vt proditum est in fine posterioris libri Paralipomenon, & apud Hieremiam cap. 25. & in principio libri prioris Esdræ. Ex his concluditur, egressum Hebræorum ex Aegypto, priorem esse non potuisse Troiano excidio mille annis, vt ex Manethonis sententia suprà deducebatur; cùm prior fuerit annis dũtaxat trecentis quinquaginta sex.

126. *Quinta opinio Iustini Martyris. Tatiani. Clementis Alexandrini. Iulij Africani.* Est quinta opinio cõplurium & antiquorum, atque in primis Doctorum inter Christianos scriptorum, Mosen eo tempore Hebræos ex Aegypto eduxisse, quo tempore regnabat Inachus & Phoroneus, & celeberrimum illud euenit diluuium appellatum Ogygis: ita tradiderunt Iustinus Martyr in Exhortatorio sermone ad Gentes, & Tatianus de antiquitate Mosis, & Clemẽs Alexandrinus in primo libro Stromatum, & Iulianus Africanus in tertio libro Annalium: idque confirmant isti auctoritate Polemonis, & Ptolomæi Mendesij, atque Apionis Grammatici. Sedenim, hoc vero consentaneũ haudquaquam est: siquidem ipsemet Iulius Africanus, probat testimonio Philochori, Hellanici, Castoris, Thali, & Diodori Siculi, à diluuio Ogygis vsque ad primam Olympiadem, mille ac viginti annos prætérijsse: ab egressu autem Hebræorum ex Aegypto, vsque ad primã Olympiadem, cuius initium competit in octauum annum regni Achaz regis Iuda, colliguntur ex ipsa Scriptura anni septingenti, & paulò amplius sexaginta. Hinc apparet, Mosen annis plus ducentis quinquaginta, Inacho & Phoroneo, & item Ogygis diluuio fuisse posteriorem: cuius tamen octogesimo ætatis anno, factus est Hebræorum ex Aegypto exitus.

Si igitur propiorem uero ac probabiliorem annorum descriptionem atque rationem sequi volumus, ita statuendũ est de tempore illius egressionis Hebræorum ex Aegypto, fuisse eam trecẽtis & quinquaginta sex annis ante bellum Troianum: & septingentis sexaginta quatuor ante Olympiades; & septingentis octoginta octo ante Romam cõditam: nongentis decem ante Babylonicam Iudæorum captiuitatem: & nongentis octoginta ante Imperium Cyri, & solutionem Babylonicæ captiuitatis Hebræorum: & item mille ducentis ante Imperium Alexandri Magni, & mille quadringentis nonaginta sex, antequam primus alienigenarum Herodes, decreto Romanorum, regnum Iudæorum inuaderet atque obtineret; quo regnante, natus est Christus Dominus; eoque tempore completum est illud vaticinium Iacob: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Atque omnes fermè illæ superiores annorum computationes, ab vno illo maximè pendent fundamento, initium Olympiadum cõcurrisse atque conuenisse cum octauo anno regni Achaz regis Iuda, quod aliàs probatum à nobis est. 127. *Sexta opinio Auctoris.* *Genes. 49.*

128. Iam verò, secundum sacrã Chronologiã, exitus Hebræorũ ex Aegypto factus est post mundũ cõditum, annis bis mille quadringentis quinquaginta tribus: post diluuiũ autẽ Noeticũ, septingentis nonaginta septẽ: post ortũ Abrahæ, quingentis quinque: post descẽsum Iacob in Aegyptũ, ducẽtis quindecim: post mortẽ Patriarchæ Ioseph, centum quadraginta quatuor: ante ædificationem templi Salomonis, annis quadringentis octoginta: ac demũ ante ortum Christi Domini nostri in quarto anno centesimę nonagesimæ quartæ Olympiadis, annis mille quingentis triginta sex. Omnis autẽ hæc temporũ ratio, ex varijs Scripturę locis apertè demonstrari potest, & à nobis alibi demonstrata & confirmata est.

BENE-

BENEDICTI PERERII IN CAPVT DECIMVMTERTIVM EXODI, DISPVTATIONES OCTO.

Dei præcepta de sanctificatione Primogenitorum: per quam viam Deus ex Aegypto duxerit Hebræos in terram promissionis: De columna nubis, quæ præcedebat Hebræos, tanquam index & dux itineris.

CAPVT DECIMVM TERTIVM EXODI.

LOCVTVSQVE est Dominus ad Mo- Vers. 1.
sen, dicens: * Sanctifica mihi omne pri- 2.
mogenitum quod aperit vuluam in filijs
Israel, tam de hominibus, quàm de iu-
mentis: mea sunt enim omnia. * Et ait 3.
Moses ad populum: Mementote diei
huius, in qua egressi estis de Aegypto, &
de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Do-
minus de loco isto: vt non comedatis fermentatum panem.* 4.
Hodie egredimini mense nouarum frugum. * Cumque in- 5.
troduxerit te Dominus in terram Chananæi, & Hethæi, &
Amorrhæi, & Heuæi, & Iebusæi, quam iurauit patribus tuis,
vt daret tibi, terram fluentem lacte, & melle, celebrabis hũc
morem sacrorum mense isto. * Septem diebus vesceris azy- 6.
mis, & in die septimo erit solennitas Domini. * Azyma co- 7.
medetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermẽ
tatum, nec in cunctis finibus tuis. * Narrabisque filio tuo in 8.
die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus quando
egressus sum de Aegypto.* Et erit quasi signum in manu tua, 9.
& quasi monimentum ante oculos tuos: & vt lex Domini

semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus
10. de Aegypto. * Custodies huiuscemodi cultum statuto tempo
11. re à diebus in dies. * Cumq; introduxerit te Dominus in ter-
ram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit
12. tibi eam, * separabis omne quod aperit vuluam Domino, &
quod primitiuum est in pecoribus tuis: quidquid habueris
13. masculini sexus, consecrabis Domino. * Primogenitum asi-
ni mutabis oue: quod si non redemeris, interficies. Omne
14. autem primogenitum hominis de filijs tuis, pretio redimes. *
Cumque interrogauerit te filius tuus: Quid est hoc? respon-
debis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegy-
15. pti, de domo seruitutis. * Nam cùm induratus esset Pharao,
& nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogeni-
tum in terra Aegypti, à primogenito hominis, vsque ad pri-
mogenitum iumentorum: idcirco immolo Domino omne
quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogeni-
16. ta filiorum meorum redimo. * Erit igitur quasi signum in ma
nu tua, & quasi appensum quid, ob recordationem, ante o-
culos tuos: eo' quod in manu forti eduxit nos Dominus de
17. Aegypto. * Igitur cùm emisisset Pharao populum: non eos
duxit Dominus per viam terræ Philisthijm quæ vicina est: re-
putans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bel-
18. la consurgere, & reuerteretur in Aegyptum. * Sed circum-
duxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum: & arma
19. ti descenderunt filij Israel de terra Aegypti. * Tulit quoque
Moses ossa Ioseph secum: eo quod adiurasset filios Israel, di-
20. cens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc uobiscum. *
Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham in extre-
21. mis finibus solitudinis. * Dominus autem præcedebat eos
ad ostendendam uiam per diem in columna nubis, & per
noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tem-
pore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec co-
lumna ignis per noctem, coram populo.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Per quam viam duxerit Hebræos Deus in terram promissionis.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 17. Non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthijm, quæ vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere: & reuerteretur in Aegyptum; sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.

1. Quomodo via ex Aegypto in terram Chanaã per Philisthinorũ regionem esset breuior & facilior. SVPER his verbis Scripturæ duæ res explicandę sunt. Primò enim declarãdum est, quo modo via ex Aegypto in terrã Chanaan per Philisthinorum regionem, esset breuior & facilior. Terra Philisthinorum erat pars terræ Chanaan, meridiana, & extrema versus Aegyptum; nam in capite decimo libri Genesis describũtur termini siue fines terræ Chanaan, in quibus nominantur, Gerara, & Gaza, & Sodoma, & Gomorrha, & Seboim, & Adama, & Luza. Constat autem Geraram, & Gazam fuisse vrbes Philisthinorum, & homines Geraræ appellantur Philisthæi, & Isaac habitans Geraræ, dicitur habitasse in terra Philisthinorum. De Gaza verò idem perspicuum fit ex capite sexto primi libri Regum, vbi nominantur quinque principes Philisthæorum vrbes, Azotus, Gaza, Geth, Ascalon & Accaronis; & in libro Iosue capite 13. terra Chanaan diuiditur in quinq; regulos Philisthijm, à supradictis quinque vrbibus nominatos; Et Isaac commoranti Geraræ, in terra Philisthijm apparens Deus, promisit, daturum se ei terras illas, in quibus morabatur, sicut Abrahæ patri eius fuerat pollicitus. Promissa verò fuerat Abrahæ à Deo terra Chanaan. Ex his apparet, terram Geraram, & terram Philisthijm, fuisse partem terræ Chanaan. Gerara porrò satis propinqua & vicina erat Aegypto, quippe cum sita esset inter Cades & Sur, vt traditur Genesis 20. Sur autẽ proximum erat Aegypto, statim enim vt Hebræi transierunt mare rubrum, dicuntur (vt scriptum est c. 15. Exodi) intrasse desertum Sur. Quocirca Isaac in animo habens, propter ortam in Palæstina famem, proficisci in Aegyptũ, iuit Geraram, quòd illuc via breuior & directior esset in Aegyptũ. Annotauit Aben Esra, compendiariam viam ex Aegypto in terram Chanaan, esse per Philisthijm regionem; idq; iter decem circiter diebus cõfici posse. Sed Philo de vita Mosis, ait, fines terræ Chanaan disterminari ab Aegypto trium duntaxat dierum itinere. Contra verò, per quam Deus Hebręos duxit, via fuit multò longior, multoq; laboriosior atque asperior: duxit enim eos per solitudinem Sur, & Sina, & Pharan, solitudines vtique vastas atque horribiles; sicut dicitur in libro Deuteronomij c. 8. duxitque eos per longissimos viarum circuitus, vt traditur in libro Deuteronomij capite 2. *Rabbi Abẽ Esra.* *Philo.*

2. Cur Deus non duxerit Hebræos in terram promissionis per viã breuem, id est, per terram Philisthinorum. Secundo loco explicandum est, cur noluerit Deus Hebræos ducere per viã Philisthijm, breuiorem nempe, ac faciliorem. Sed reddere licet eius rei complures satis idoneas & probabiles rationes Primò id fecit, ne Hebræi pœnitẽtes egressionis ex Aegypto. ob quamcumque occasionem vellent eo regredi, præsertim cùm via illa, nec longa esset, nec difficilis. Nam si ducti per alteram viam, magnis terrarũ interuallis, vastisque interiectis solitudinibus distantem ab Aegypto, tentarunt tamen reuerti in Aegyptũ, & ducem eligere sibi voluerunt, qui eos illuc reduceret, vt narratur in libro Nume. c. 14. quanto magis id fecissent, si per viã Philisthinorum ducti essent, in qua talia incõmoda non occurrissent, quæ eos à regressũ tantoperè deterrerẽt. Deinde, cũ per eã viã ducti, transituri essent mediã Phili-

sthinorum regionem, proculdubio illi, scilicèt admodum feroces ac bellicosi homines, armati obuiam processissent, quorum formidine, Hebræi vltra progredi noluissent; præsertim autem, cum inde regressus in Aegyptum breuis esset, nec difficilis. Nimirum, Hebræi non fuerant assueti bellis, sed nati educatiq; in seruitute, animos gerebant seruiles, ignauos, & formidolosos videlicèt; & haud dubiè fecissent similiter, vt fecerunt iuxta Cades Barne, vbi cum ab exploratoribus terræ Chanaan audissent, habitatores eius terræ procerissimos esse atque bellicosissimos, tanto sunt pauore, ac terrore perculsi, consternatiq; animis, vt progredi vltrà ad obtinendam terram promissionis nulla ratione vellent. Et hanc præcipuè rationē enarrauit Moses in cap. 13. Exodi, illis uerbis: *Reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptū.* Sed quid est illud, *Reputans ne fortè pæniteret eum?* Sed cur dubitanter loquitur Moses de Dei sciētia futurorum, quæ Theologi vocant contingentia conditionalia, quam sciētiam certissimam esse, & vt vocant, infallibilem, plerisque Theologis, & meritò, visum est. Sciebat vtique Deus certissimè, si Hebræi ducti fuissent per viā Philisthinorum, futurum fuisse, vt pœnitentes exitus de Aegypto, illuc reuerti vellent: sed Moses dixit: *Reputans ne fortè*, humano more de Deo loquens, vt sæpè aliàs solet Scriptura; in similitudinem videlicèt hominis prudenter prospicientis futura, & de his quæ possent euenire, prouide deliberantis. Simulq; ita loqui voluit, vt nulla cuiquam moueretur suspicio necessitatis & coactionis liberi arbitrij, sed libertas eius minimè pugnans cum diuina omnium rerū præscientia, ostenderetur. Sic hunc locum interpretatus est Thostatus. *Thostatus.*

3. Verùm cōtra ea quæ diximus posset nobis obijci: Etiam per solitudinis viā ductis Hebræis fuisse statim pugnandū cum Amalechitis ancipiti aliquandiu certamine, dubioq; euentu, vt traditur in cap. 17. Exodi. Sed enim longè diuersa fuit ratio: cum Amalech enim non pugnarunt Hebræi statim post exitum ex Aegypto, sed transactis iam quadraginta circiter diebus; quod ex cap. 16. Exodi, licet colligere, ea quippe dimicatio facta est in Raphidin, vnde venerūt proximè in montem Sina, vnam tantū mansionem facientes, vt patet ex libro Numerorum cap. 33. ad montem autem Sina peruenerunt die quadragesima septima post egressum ex Aegypto, & triduo post, die scilicèt, vt creditur, quinquagesimo, Legem acceperūt. At si Hebræi iuissent per viam Philisthijm, statim fuisset eis dimicandum cum Philisthæis. Adhæc, quo tempore pugnarūt cum Amalechitis, iam fuerant in diuini adiutorij fiducia, alijs victorijs ac miraculis confirmati: viderant enim cædem Aegyptiorum in mari rubro, vnde didicerant non formidare hostes: viderant aquas amarissimas, coniectu tactuque ligni, factas dulces atq; potabiles: acceperant cœlitus manna, & percussa petra, largissimus aquæ potabilis fons extiterat. Quid, quod etiamsi tunc in Aegyptum reuerti voluissent, haudquaquam potuissent; pertransēūdum enim necessariò eis fuisset mare rubrum, nec alia regrediendi dabatur via; ad transeundum verò mare, nulla eis suppetebāt nauigia. Postremò, etiam in illa pugna cum Amalechitis cernere est, quales fuerint Hebræi: non enim comparata est victoria, eorū fortitudine, sed oratione Mosis, Deo, sublatis in cœlū brachijs, pro victoria supplicantis; miraculo itaque victoria illa est assignāda. Philisthæi autē multò potentiores & bellicosiores erant Amalechitis, & per mediam eorū regionem procedēdum fuisset Hebræis, in terram promissionis.

4. Cæterùm, quispiam fortasse ita secum reputaret: sicut Deus pro Hebræis pugnauit contra Aegyptios, nonne similiter pro eis pugnare in Philisthæos, atque eos debellare poterat? Poterat sanè: sed exemplo suo docere nos voluit Deus, licet ipsius auxilio potissimum nos confidere ac niti conueniat, nihilominus tamen humano consilio, & prudentia, & industria, atque diligentia, omnique contentione animi faciendum nobis esse, quidquid fieri potest ad declinanda mala & pericula immi-

Sicut Deus pro Hebræis pugnauit in Aegypto, cur non idē fecit cōtra Philisthæos.

imminentia, & ad res arduas atque difficiles superandas: nec enim expectanda sunt Dei miracula, vbi suppetit humana ratio & facultas euadendi ex periculis: alioqui id esset tentare Deum. Hebræi non poterant Aegyptiaca serui tute liberari, nisi, vt inquit Scriptura, in forti manu, excelsoq; Dei brachio, multis videlicèt, magnisq; editis prodigijs, & miraculis: at in terram promissionis sine miraculo duci poterãt alia via, nec regionem Philisthinorum pertransire necesse erat. Non itaq; Thrasonicũ est, sed prudẽs dictum illud Thrasonis Terentiani: Sapientis esse, omnia consilio potius experiri, quàm armis. Verissima
S. August. item est B. Augustini hunc locum Exodi tractantis, in quæstione quadragesimanona in Exodũ, illa sententia: Hinc ostenditur, omnia fieri debere, quæ consilio rectè fieri possunt, ad euitanda quę aduersa sunt, etiam cum Deus apertissi-
Rupertus. mè adiutor est. Deinde, vt ait Rupertus, nolebat De⁹ tũc debellare Philisthæos, sed aliquandiu conseruare eos, tanquã flagellum, quo Hebræos, cum à cultu Dei, & obseruantia legis eius discederent, iustè castigaret atq; puniret: quod fecisse eum sæpius legitur in libris Iu-
Rupertus. dicum, & in libris Regum. Verba Ruperti in libro secundo Commentariorũ in Exodum, cap. 26. huiusmodi sunt: Nunquid Deus contra Pharaonem & Aegyptios pro Israel pugnare poterat, & contra Philisthæos non poterat? Planè, & contra istos poterat: sed in hoc sim liter, vt in cæteris factis, quæ superficies historica cõtinet spirituale instrumentum rationabiliter prouidebat. Spiritualiter namque hoc agit in omnibus electis suis in Aegypti exitu, id est, in principio conuersionis, vel dum nouitius est conuersi animus, nec totus adhuc exiuit de pristinis erroribus, vt pacatam à vitijs paret viam: quatenus qui vocati sunt, tranquillè & delectabiliter egrediantur, nec subitis tentationibus pulsati, à sancto proposito vix incœpto deterreantur. Præterea, & illa gens Philisthæorum erat, quam Dñs Israeli reseruare decreuerat vtiliter, vt per illã exerceretur, & quasi proximo flagello castigaretur, quoties legẽ Dei sui relinqueret, quod sæpius futurum erat. Ergo Deus non quasi timidus, vt simplex sermo sonare uidetur; sed ut benè prouidus, non duxit Hebræos per uiam terræ Philisthiim, sed per uiam deserti circun duxit, & circunducendo erudiuit, sicut hic ipse Moses dixit in Cantico Deute- Deute. 32
ronomij: *Circũduxit eũ, & docuit, & custodiuit quasi pupillã oculi sui.* Sic Rupertus.

5. Sed præcipua causa, cur Deus per tã longam & asperam uiam Hebræos uoluit ducere in terram Promissionis, ea uidetur fuisse, quę in libro Deuteronomij capite octauo exponitur illis uerbis: *Recordaberis cuncti itineris, per quod duxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atq; tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrum custodires mandata illius an non: afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu, & patres* Exodi 16.
tui: vt ostenderet tibi quod non in solo pane Matth. 4.
viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini: vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum. In cantico Deuteronomij Moses ait, Deum similiter fecisse cum populo Hebræo, atque solet facere aquila cũ pullis suis: aiunt enim aquilam, non statim è nido pullos suos expellere ad uolandum & prædandũ: sed primum fouere aliquãdiu eos in nido: tum eductos inde, paulatim assuefacere uolatui, ac demum satis iam exercitos emittere ad prædandum. Cõsimili quadam ratione Deus noluit Hebræos statim obijcere dimicationibus Philisthinorum: sed prius eos paulatim condocefecit res arduas & laboriosas perferre, & leuioribus prælijs exerceri. Sic mox natus infans, non pascitur solido cibo, sed lacte; nec addicitur labori, sed molliter ac delicatè nutritur. Et futurus miles, primũ exercet se in ludicris pugnis, & quasi simulachris præliorũ, ut paratior ad militiã accedat. Verba Mosis in Cãtico Deuteronomij hęc sũt: *Pars Dñi* Deute. 32.
populus ei⁹: Iacob funiculus hæreditatis ei⁹,

Ioue-

Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis. Circunduxit eum & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.

6. Super eo quòd dictum est, noluisse Deum Hebręos ducere per terram Philisthiim, ne insurgentibus aduersus ipsos bellis, incœpti pœnitentes itineris, reuerti vellent in Aegyptum; B. Gregorius pulcherrimam facit disputationem moralem: in qua docet; Sicut Deus nō obiecit statim Hebræos prælijs Philisthinorum, ne perterriti, desistentes ab incœpto itinere, regrederentur in Aegyptum: ita quoque facere eum solere cum ijs qui nuper ad ipsum conuersi sunt, & derelicta seculari atque improba viuendi ratione, sobriè, ac iustè, pieque ipsi seruire primum aggressi sunt. Arcet enim Deus ab istiusmodi hominibus prægraues tentationes Diaboli, Carnis, & Mundi, ne talibus tentamentis atque oppugnationibus, initio statim occurrentibus, perterrefacti, ab inchoato Dei seruitio deterreantur atque reuocentur; & ad pristina mundi studia & mores, & vitia reuertantur. Verba Gregorij ex cap. 13. libro 24. Moralium huc transposita, sunt huiusmodi: Tres modi sunt hominum conuersorum ad Deum, inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione inueniunt illi blandimenta dulcedinis: in medio tempore, certamina tentationis, ad extremū verò perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia suscipiunt, quæ consolentur: postmodum, amara, quæ exerceant, & demum suauia atque sublimia quæ confirment. Nam & sponsam suā vir quisque prius dulcibus blandimentis fouet; quam tamen iam coniunctam, asperis increpationibus probat; probatam verò, securis cogitationibus possidet. Vnde & plebs Israelitica cum dispōdente se Deo ad sacras mentis nuptias ex Aegypto vocaretur, quasi arrharum vice, prius accipit blandimenta signorum: coniuncta autem, probationibus exercetur in eremo: probata verò, in repromissionis terra, virtutis plenitudine confirmatur. Ante igitur in miraculis degustauit, quod appeteret; postmodum in labore tentata est, si custodire nollet quod gustasset: ad extremū quoque plenius accipere meruit, quod laboribus probata custodiuit. Ita quoque vitam vniuscuiusque conuersi, & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, et plena post perfectio roborat. Nam sæpè conuersi quique, in ipso adhuc aditū inchoationis suæ, vel trāquillitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiæ, vel prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationum accipiunt: post hæc autem, duris tentationum probationibus fatigantur, à quibus, cum inciperēt, valde liberos se esse crediderunt. Quod diuinæ gratiæ dispensatione agitur, ne in sua inchoatione, tentationum asperitate frangantur: quia si eorum initia amaritudo tentationum exciperet, tam facile ad ea quæ reliquerant, redirent, quàm nec longius discesserant; nam cō temptis prius vitijs, quasi iuxta positis, replicarentur. Vnde scriptum est: *Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum.* Ex Aegypto itaque exeuntibus, è vicino bella subtrahuntur, quia derelinquentibus seculū, quędam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa suæ inchoationis teneritudine turbati, ad hoc territi redeant, quod euaserunt. Prius ergo suauitatem securitatis sentiunt: prius pacis quiete nu triuntur: post cognitam verò dulcedinem, tanto iam tolerabilius tentationū certamina sustinent, quanto altius in Deo cognouere quod ament. Vnde & Petrus prius in montem ducitur, & claritatem transfigurationis dominicæ cō templatur; & post, ab ancilla tentari permittitur: vt per tentationem factus sibi ex infirmitate conscius, ad illud flendo & amando recurreret quod vidisset; & cum eum timoris vnda in peccati pelagus raperet, esset prioris dulcedinis anchora, quæ ipsum retineret. Ac sæpè quidem tam diutina sunt tentationum certamina, quàm longa inchoationum

B. Gregorij disputatio moralis, q̄ variè tractet Do' seruitutes sibi.

Exodi 13.

Matth. 17.

Infra 26.

Matth. 14.

fuerant

fuerant blandimenta, sæpè verò plus datur in inchoatione dulcedinis, minus autem in labore probationis. Contra autem, sæpè, minus in inchoatione dulcedinis, & plus in labore probationis. Nunquam tamen laborem tentationis, dispar sequitur pfectio firmitatis: quia iuxta summam certaminis, remuneratur quisque plenitudine perfectionis: Plerumque autem in eo quisque conuersus labitur, quod cum quibusdam donis gratiæ dulcedine ĩchoationis excipitur, cõfirmationem accepisse se perfectionis arbitratur, & plenitudinis cõsummationem æstimat, quæ adhuc blãdimenta esse inchoationis ignorat; vnde fit, vt dum subita tentationis procella tangitur, despectum se à Deo, & perditum suspicetur. Qui si inchoationis suæ dulcedini non passim crederet, adhuc in prosperis positus, mentem ad aduersa referret: & vitijs venientibus, postmodum tanto firmius resisteret, quanto ea sagacius præuidisset, quæ qui dem tranquillius, si præuidet, tolerat. Hæc B. Gregorius.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Versu 19. Et armati ascenderunt filij Israel de terra Aegypti.

7. OMNIS quæ tractanda est in hac disputatione difficultas, in varia lectione huius loci vertitur. Nam Aquila & Symmach⁹ verterunt, *καθωπλισμένοι*, idest, armati, sicut etiam vertit Latinus interpres. Theodocio vertit, *πεμπταίζοντες*, quasi dicas, quintati, vel quini & quini, alij transtulerunt *accincti*, vt Sanctes Pagninus, sed LXX. Interpretes, mira lectionis diuersitate, locũ hũc ex Hebræo sic expresserunt, (*πέμπτη δὲ γενεὰ* &cæt. (idest: *quinta autem progenie, siue generatione, ascenderunt filij Israel ex terra Aegypti.* Aben Esra interpretatur, Hebręos processisse aceinctos per singulos quinque, siue quinos. Rabbi Salomon nihil aliud significari hoc loco ait, nisi quod Hebræi ascenderunt ex Aegypto armati: idemque habet Paraphrasis Chaldaica.

Caietanus hũc locum Exodi, in suis Commentarijs explicãs, ita scribit: Pro eo quòd Latinus Interpres vertit; *Et armati ascenderunt.* iuxta Hebræum habetur: *Et quini ascenderunt.* Ordo describitur, istis verbis, ascendentiũ Hebræorum ex Aegypto; quòd non tumatim, more fugientium, sed ordinatè, more exercitus ascenderunt quini & quini. Quod intelligo de idoneis ad bellandũ, hoc est, à vigesimo anno vsque ad quinquagesimũ. Et quoniam non omnibus placet hæc interpretatio, & dictio Hebraica quinarium sonans numerum, inuenitur in libris Regum, significans locum quinque costarum in corpore hominis; ideo etiam in hac litera, à loco quinque costarum in corpore humano describi intelligitur, quod filij Israel armati ascenderunt. Et quia sub septem integris costis ex quolibet latere, vnusquisque habet quinque costas mancas (quas mendosas seu nothas appellant) stomachum hinc & inde terminantes, & super huiusmodi quinque costarum locum in latere sinistro consueuimus gestare enses & pugiones; ideo à loco quinque costarum denominati sunt, ficto vocabulo, quintati, hoc est, armati, siue accincti armis, in loco quinque costarum. Hæc Caietanus. Qui docens vocabulo Hebreo significari (quinque) duas tamen esse posse ait interpretationes huius loci; vt vel significetur, Hebræos ordinatè, hoc est, quinos & quinos prodijsse ex Aegypto; vel eos armis accinctos exiuisse. 8. *Caietanus.*

Hieronymus porrò ab Oleastro, priorem tantum expositionem Caietani approbat, super eodem loco Exodi hunc in modum scribens: Verbum Hebræũ (Chamas) significat propriè quintam partem accipere, seu potius quintare, si Latinè ita loqui liceret. Et meo iudicio, vertendum hic erat: *Et quini ascenderũt filij Israel*, idest, quinque & quinque. Nam in fine præcedentis capitis dictum erat, Hebræos à Domino eductos esse de Aegypto per exercitus suos: Ex quo con- 9. *Oleaster.*

constat, eos exisse ordinatos, saltem viros, per modum exercitus: solent autem homines in exercitu incedere quinque & quinque, aut quattuor,& quattuor,& postea sequi alij similiter quinque,& ita deinceps:& illo modo exisse Iudæos de Aegypto arbitror: neque enim via permittit plures incedere, aliàs agros calcarent & vineas: armatos verò exisse Hebræos, propterea non facile credo, quia non video vnde Iudæi, ad sexcenta millia hominum, habere tot arma potuissent, cum essent serui Aegyptiorum, qui nullo modo arma habere eos finerent, quorum vel solam multitudinem formidabant: neque verò Aegyptij sua illis arma commodassent, cum postea armati insecuti sint eos. Illud autem in secundo libro Samuelis, c.2. quod nostri vertunt; *Percussit eũ Abner, cuspide lãcea super achomes*, idest, quitam costam, posset etiam verti: *Super quinquies, vel ad quinquies*. Sic Oleaster. Sed quod negat Oleaster, Hebræos i discessu ex Aegypto habuisse arma, subsequẽs historia huius libri falsum arguit; cum nõ multo post acriter præliati sint cum Amalechitis.' Ac licet cum essent in Aegypto non haberent arma, attamen in discessu, sicut aurum & argentum,& vestes pretiosas petierunt,& acceperunt ab Aegyptijs; ita quoque arma, quibus bona illa, seque ipsos tuerentur ac defenderent à prædonibus & hostibus, in solitudine sibi occurrentibus postulasse atque impetrasse, rectè Lyranus & Thostatus existimant. *Exodi.*

10. Cæterum, ante omnes, difficultatem hanc B. Hieronymus accuratè, exactèq; in epistola 125. quam scripsit ad Damasum Papam, in responsione ad secundã eius quæstionem, explicauit: *S. Hieronymus.* Nam cum declarasset veritatẽ lectionis LXX. Interpretum, qui in hoc loco Exodi verterunt: *Quinta autem generatione ascenderunt filij Israel de terra Aegypti*. Subdit hæc: Puto problema esse dissolutum: quod si displicet, ad compendium veniam, & dicam in Hebræo non esse diuersum. Aquila namque, qui non contentiosius, vt quidam putant; sed studiosius verbum interpretatur ad verbum, in eo loco Exodi ita transtulit, *ἐνοπλισαμένοι ἀνέβησαν*, id autem Latinè sonat; *Et armati ascenderunt filij Israel*, licet pro eo quod nos *armati* diximus, secundum Græci sermonis ambiguitatẽ, instructi siue muniti, propter supellectilem, qua Aegyptios spoliauerunt, possit intelligi. existimanti curiositatem esse finitam, maior quærẽdi ardor exoritur: volumen Hebræum replico, quod Paulus *φελόνην* iuxta quosdam vocat, *2. ad Tim. 4.* & ipsos characteres solicitius attẽdo: & quidem in reliqua parte, interpretationes Aquilæ ac Septuaginta non discordãt: omnis pugna est de vocabulo Hebræo *Chamisin*, quod his literis scribitur (het, mem, sin, iod, mem,) vtrum nam quinque, an munitos, siue armatos sonet. Et quidem *quinque*, hoc sermone dici, negare non possumus: verum *quinq*, plurali numero, non *quinta* singulari numero, vt Septuaginta interpretati sunt. Sed nec vox *generatio* inuenitur adiuncta, quam ipsi de suo addiderunt, & Hebraicè dicitur (*Dor*.) Nam si esset *quinta generatione*, legeretur Hebraicè *dorhamisi*: nunc autem legitur *hamisin*, idest, quinque, immo *quinta* tãtum scriptum est, vt sit quasi sensus: Quinta autem ascenderunt filij Israel de terra Aegypti: quod quia minus videbatur intelligi, adiuncta est vox *generatio*. Aquilam verò, vt in cæteris, & in hoc maximè loco propriè transtulisse, omnis Iudæa conclamat; & Synagogarum consonant vniuersa subsellia, quod videlicet idem sermo, & eisdem literis scriptus diuersas apud eos, & voces & intelligentias habeat. Vnum ponam exemplum, vt hoc perspicuum fiat, *Pastores* & *Amatores*, eisdem literis hebraicè scribuntur, (res, ain, iod, mem; sed *Pastores* leguntur roim) *Amatores* (reim.) Vnde euenit, vt vbi Ierusalem cum amatoribus fornicationis scelere arguitur, ibi in nostris codicibus pro amatoribus, pastorum nomen sit immutatum. Hactenus ex Hieronymo. Ex cuius verbis & disputatione satis apparet, licet LXX. Interpretes in hoc loco Exodi vertentes *quinta generatione*, occasionem sic vertendi habuerint ex ipsa vocabuli Hebræi varia significatione; talisque eorum translatio veram contineat sententiam, vt

mox

mox ostendemus: probabiliorem tamen esse lectionem Latinam, quæ habet *armati ascenderunt*, quam & Aquila & Symmachus ante Latinum Interpretem tradiderunt, & habet Paraphrasis Chaldaica, & plerique omnes Hebræi olim, hodieque præcipuè approbant, & sequuntur.

11. *An Hebræi exierit quinta generatione, an quarta.* Sed quia duplici nodo implicatus erat hic locus Exodi, & alterum iam te- soluimus; sequitur vt alterum quoque dissoluamus. Quæritur enim quomodo L X X. Interpretes verterint in hoc loco Exodi, Hebræos quinta generatione ascendisse ex Aegypto in terram Chanaan, cum in libro Genesis, cap. 15. scriptum sit, Deum prædixisse Abrahæ, posteros eius, post quadringentorum annorum peregrinationem, & seruitutem, & afflictionem, liberatum iri; & quarta demum generatione reuersuros in terram Chanaan. *S. Hieron.* S. Hieronymus etiam hunc nodum in eadem illa, quam supradixi, epistola sic exoluit: Etsi videtur, inquit, Scriptura inter sese esse contraria, vtrumque tamen verum est, cum diuersum sit. Egressi sunt Hebræi de terra Aegypti quarta generatione, si generationes istas per tribum Leui replices. Nam Leui genuit Caath: Caath genuit Amram: Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar. Caath cum patre suo Leui ingressus est Aegyptum, Genes. 46. Eleazar egressus est Aegypto, Exodi 6. & intrauit terram promissionis, vt traditur in libro Iosue. Hic habes quattuor generationes Caath, Amram, & Aaron, Eleazar. Si verò recenseas generationes per tribum Iuda, quinque comperies. Nam Iuda genuit Phares, Phares genuit Esrom, Esrom genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Animadab genuit Naason, Phares cum patre suo Iuda ingressus est Aegyptum, Genes. 46. Naason verò princeps tribus Iuda, in deserto describitur Numerorum 7. cuius filius Salmon terram promissionis intrauit. Hic habes quinque generationes, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, & Naason. Hæc ex B. Hieronymo.

12. *S. August.* S. Augustinus in quæstione quadragesimanona, in Exodum, duas huius nodi solutiones paucissimis verbis ponit; vnam, hic accipi nomen generationis, quæ Græcè dicitur γενεά pro seculo, id est, spatio centum annorum. Et quia Hebræi exierunt de Aegypto expletis iam quattuor centenarijs annorum, & inchoato iam quinto centenario, ideirco vtrumque verè dictum est, ipsos exisse de Aegypto, & quarta generatione, scilicèt iam exacta; & quinta generatione, videlicèt iam inchoata. Altera solutio est, accipiendo nomen generationis pro personis sibi inuicem secundum generationem succedentibus, ab ingressu Hebræorum in Aegyptum, vsque ad exitum eorum, tales quinque personas reperiri, Iacob scilicèt, & Leui, & Caath, & Amram, & Mosen. Verba B. Augustini sic habent: Vtrum progeniem in centum annis vult computari? Et ideo quinta progenie dixit Hebræos ascendisse de Aegypto, quia post quadringentos & triginta annos inde ascenderunt? An per hominum generationes hoc potius intelligendum est? Ab ipso quippe Iacob, qui intrauit Aegyptum vsque ad Mosen, qui Hebræos inde eduxit, quinque numerantur, Iacob, Leui, Caaht, Amram, Moses. Has autem dixit progenies Latinus Interpres, quas γενεάς Græci vocant, quæ in Euangelio generationes appellantur, nec numerantur per numerum annorum, sed per successiones hominum. Sic Augustinus. Plura dici hoc loco super hac quæstione possent, sed nos diligenter ea de re disputauimus in tertio tomo nostrorum Commentariorum in Genesim super caput decimum quintum, ad numerum marginalem 81. & sequentes. *Matth. 1.*

TRA-

TRACTATVS

De columna nubis & ignis, quæ præcedebat Hebræos in deserto. ad idem caput 13. Exodi pertinens.

PRAEFATIO.

Quas res de columna Nubis doceat nos varijs in locis Scriptura.

SVPER ILLIS VERBIS.

Exodi 13. Versu 21. Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, & columna ignis per noctem coram populo.

13. *Quas res tradat Scriptura de columna nubis, et ignis.* QVONIAM dum populus Hebræus in solitudine per quadraginta annos versatus est, De⁹ ei viam qua ingrederetur, præmõstrabat; die quidem, per columnam nubis, quæ præibat castra; noctu autem, per columnam ignis: de huiusmodi columnis tractanda à nobis sunt, quæ præcipuam habent difficultatem, & memoratu, cognituque digna videntur. Sed ante alia exponere cõuenit, quas res de istiusmodi columnis diuina Scriptura, varijs in locis tradiderit. Ac præter verba eius, quæ sunt in cap. 13. Exodi, & posita sunt in titulo huius Disputationis, in cap. 14. eiusdem libri sic est: *Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, & stetit inter castra Aegyptiorũ, & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem; ita vt ad inuicem, toto noctis tempore accedere non valerent. Iamq́ adueneret vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum, per columnam nubis & ignis interfecit exercitum eorum.* In quadragesimo capite libri Exodi hæc sunt verba: *Operuit nubes Tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes Tabernaculum deserebat, proficiscebantur filij Israel per turmas suas; nubes quippe Domini incubabat per diem, Tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.* In libro Numerorũ capite nono ita scriptum est: *In die qua erectum est Tabernaculum, operuit illud nubes: à vespere autem super tentorium erat quasi species ignis, vsque mane. Sic fiebat iugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis; cumq́ ablata fuisset nubes, quæ Tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel: & vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur: secundum ergo motum, vel quietem nubis, filij Israel aut mouebant castra, aut ea sistebãt.* In eodem libro Numerorum ca. 14. hęc sunt verba Mosis: *Audierunt habitatores huius terræ, quod tu Domine in populo isto sis, & videaris facie ad faciem: & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedat eos per diem, & in columna ignis per noctem.* In capite primo Deuteronomij: *Dominus Deus vester (Moses inquit) præcessit vos in via, & metatus est vobis locũ, in quo tentoria figere deberetis; nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis.* In secundo libro Esdræ cap. 9. hæc legimus: *Tu Domine, in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via, per quam ingrederentur.* Eodem quoque spectant illa Dauidis in Psalmo 77. *Eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Et in Psalmo 104. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem.* Et in Psalmo 98. *Inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.* Ad hoc etiam nonnulli referunt illud Psalmi 102. *Ecce non dormitabit, neq́ dormiet qui custodit Israel. Dominus protectio*

tua:

tua: per diem sol non vret te, neque luna per noctem. In libro Sapientiæ cap. 10. super eadem re ita scriptum est: *Deduxit eos in via mirabili, & fuit illis in velamen to diei, & in luce stellarum per noctem.* In capite item 18. eiusdem libri sic est proditum: *Propter quod, ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignota via, & solem sine læsura boni hospitij.* Et in capite sequenti: *Nubes*, inquit, *castra eorum obumbrabat.*

14. *Octo proprietates illarum columnarum.* Atque hæc fermè sunt de illis columnis nubis & ignis in Scriptura multifariam tradita: ex quibus licet colligere octo proprietates illarum columnarum. Prima proprietas, Columnas illas nunquam defuisse populo Hebræo, ex quo tempore profectus ex Aegypto est, & quoad attigit fines terræ promissionis. Secunda, datas esse columnas illas, vt Hebræis præmonstrarent viam, quam Deus ingredi eos ac tenere volebat; ne populus videlicet vagaretur ac deerraret per loca solitudinis inuię, eiq; prorsus incomperta. Tertia, aliquando columnas illas moueri, & aliquãdo quiescere solitas, vt ex earum quiete ac motu, populus Hebræus cognosceret, quãdo sibi faciendum iter esset, & quando sistendum atque quiescendum. Quarta, cum mouebatur columna, ea semper antegrediebatur castra Hebræorum; cũ autem quiescebat; manebat quasi suspẽsa super Tabernaculum Domini tanquam incubans ipsi. Quinta, columnę illæ erant ingentis altitudinis, & longè lateq; spectabiles; omnes enim Hebręi ex suis Tabernaculis et mansionibus videbant illas. Sexta, sicut est perpetua vicissitudo diei atque noctis; ita, per illos quadraginta annos peregrinationis in deserto, perpetua fuit earum columnarum vicissitudo: per diem quippe semper apparebat colũna nubis: adueniente autem nocte, recedebat illa, atque in eius locum succedebat columna ignis. Septima, motum & quietem illarum columnarũ efficiebat & regebat ac moderabatur Deus per Angelum. Octaua, sæpenumero Deus in illis columnis apparebat Mosi, edebatq; oracula; aut consultus responsa reddebat, suamque magnificentiam & gloriam, manifestè spectantibus Hebræis, declarabat. His addunt quidam nonam hanc proprietatem, Columnam illam nubis protexisse & inumbrasse vniuersa Hebręorũ castra, & quasi velamentum quoddam, defendisse ab Hebræis æstum, ardoremque solis: sed verum id, an falsum sit, infrà, propria super ea re disputatione adhibita, disquiretur.

15. *Ruperti disputatio allegorica.* Disputans Rupertus super allegorica intelligentia illius columnæ nubis & ignis, docet, eam fuisse perillustrem figuram Christi Domini. Is enim verè dici potest columna, propter rectitudinem, & stabilitatem; & quia ipse sustentat Ecclesiam, & fulcit infirmitates nostras: in quem vtique competit aptissimè, quod de illa columna scriptum est Numerorum 12. *Descendit Dominus in columna*, & in Psalmo 98. *In columna nubis loquebatur eis.* Nec solum columna est, sed etiam facit Ecclesiam suam columnam Dei viui, sicut scripsit Paulus 1. ad Timoth. 3. Et de sanctis viris scriptum est Apocal. 3. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei.* Christus item comparatur nubi, qua homo est, igni autem, qua Deus est: ipse viam monstrat exeuntibus ex Aegypto, & in terram promissionis euntibus, idest, discedentibus à seruitute Diaboli, & Peccati, & Mundi, & ad seruitutem Dei, & rerum cœlestium comparationem pergentibus. Verba Ruperti ex libri secundi Commentariorum in Exodum capite 28. & 29. sunt huiusmodi: Vbique in hoc sanctæ Scripturæ cœlo lucida occurrunt sydera, omnia in fontem sui luminis, scilicèt in verum solem Christum respiciẽtia; & nullus locus vacuus est. Ecce, columna nubis per diem, & columna ignis per noctem, fuit dux itineris vtroque tempore in cõspectu Hebræorum; videlicèt iuxta oculorum naturam, qui vt sequi valeant, & sub sole nubem, & in nocte, facilè dignoscunt ignem. Quisnam est hic dux itineris, nisi qui & dux, & via nobis est, Iesus Christus Filius Dei? Ipse nimirum columna ignis, quã verus Deus; ipse idem columna nubis, qua verus homo est. Cum adhuc esset nox veteris Testamenti, & Legis, erat ignis; vbi autem dies

gratiæ,

gratiæ, & tempus miserationis aduenit, nubes factus est, qui erat ignis, idest, carnem nostram induit, factus homo, qui erat Deus. Plus est sol igneus, & sol iustitiæ in die, quàm ignis splẽdidus verbi prophetici in nocte. Sol vt tolerari posset, venit in nube, idest, Deus, vt cum hominibus versaretur, venit in carne. Hic iam opportunè propheticum illud arripimus: *Ecce ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum.* Cũ

Locus Isaiæ 19.

præsenti hac historia Exodi, illa conferatur, prophetia Isaiæ. Etenim quæ hic factis, eadem illic mysteria signata sunt dictis: siquidem Aegyptus hũc mundũ, filij autem Israel, electum significãt populum Christi. Fuit porrò in veteri Testamento, nondum reuelata luce gratiæ, columna ignis, exiguè, idest, perpaucis, in prophetalem gratiam lucens; Exiguè, inquam, videlicèt comparatione diei præsentis, quando totus fons ignis, verus sol & fons luminis, totus cum nube suæ carnis venit. Nam quamuis sit sol in nube, clarius tamen lucet, quàm prius lucebat ignis in nocte. Sed ad quid huiusmodi columna nos præcessit? videlicèt vt ostenderet nobis viã fugiendi à Pharaone rege Aegypti, idest, à Diabolo principe huius mundi: & vt aperiret nobis viam maris rubri, idest, gratiam Baptismi, sanguine suo rubentis; vt ingressi cum Pharaone Aegyptij post nos in mare, idest, baptizatos nos in morte Christi, persequentes idololatræ gentes perirent de memoria nostra cum Dijs, imò cum Dæmonijs suis. Vnde post ea verba quæ memorauim*, proximè adiunxit Isaias: *Et mouebuntur simulachra Aegypti à facie eius.* Hæc Rupertus.

TERTIA DISPVTATIO.

Cur appellata sit Columna nubis.

16. ITA est nominata, & quia erat similis colũnæ quantum ad rectitudinem & figuram; & erat similis nubi quantum ad colorẽ, quia erat candida, & lucida; & quantum ad qualitatem materiæ, talis enim videbatur esse materiæ, qualem habet nubes. Plurifariam tamen differebat à nube naturali. Primo erat purior, & lucidior. Secundò, erat densior, & solidior, atque consistens, nec in modum nubis diffundebatur, ac dissipabatur. Tertio, quantum ad crassitiem erat angusta, basis enim eius tantum tegebat & obumbrabat Tabernaculum Domini. Secundum autem altitudinem versus cœlum, erat admodum excelsa & sublimiter porrecta. Quartò, nubes nõ eandem perpetuò figuram seruant, sed subinde, pro varietate vẽtorum quibus aguntur, vel accessione vaporum è terra variè figurantur: at illa eandem omni tempore figuram columnæ tenebat. Quinto, nubes, cum sint corpus inanimatum, à se non mouentur, sed extrinsecus impulsæ à ventis, illuc agitantur, quo uentorum eas vis propellit: quocirca, non eundem semper motum tenent, sed pro uentorum uarietate, in diuersas partes dispelluntur. Sexto, nubes nunc maiores, aliàs minores, crassiores, uel tenuiores, puriores uel impuriores existunt; nempè secundum uariam affectionem uaporum, quos aqua, uel terra exhalant, quiq; ui caloris sursum per aera subuehuntur: illa uerò columna nubis, eodem sempermodo se habuit quantum ad molem, figuram, densitatem, lucem, siue claritatem. Septimo, aliæ nubes, sunt res naturales, ex causis naturalibus, naturali modo effectæ: illa uerò nubes erat à Deo præter naturalẽ rerum ordinem & cursum facta, nec naturali modo conseruabatur, & mouebatur. Octauo, aliarum nubium, quia naturalis finis est, terram fusis deorsum imbribus irrigare atq; humectare: ideo illæ sunt humore aqueo quasi fœtæ ac grauidæ: quem humorem per condensationem expressum, effundunt, & quasi pariunt pluuias. Illa autem nubes, nõ erat instituta ad gignendam pluuiam, sed facta erat ad præmonstrandum iter, regendumque motum Hebræi populi in deserto. Nono, illa columna nubis, postquam extructum est Tabernaculum Domini, cum mouebatur, antecedebat castra Hebræorum: quoniam uerò

ueto cum mouebantur castra, atque iter faciebat populus, Tribus Iuda, cum uexillo suo primum tenebat locum, cæteras Tribus antegrediens, ut patet ex capite decimo libri Numerorum, idcirco columna nubis tunc discedens à Tabernaculo, super quod quiescentibus castris manebat, collocabat se super vexillum Tribus Iuda, *Thostatus.* vt putat Thostatus, vel, vt placet alijs, paulò ante ipsum: & versus eum locum, in quem tendebat columna nubis, vniuersa castra iter suum dirigebant. Cum autem erat quiescendum, recedebat à vexillo Tribus Iuda, & ab anteriore castrorum parte; & referebat se in medium locum castrorum, manens supra Tabernaculum: quod tam cum quiescebat, quàm cum mouebatur, medium semper locum castrorum tenebat: Vt in capite secundo libri Numerorum scriptum est. Decimò, columna nubis varios habebat motus, & interdum etiam contrarios: mouebatur enim antrorsum, cum moueri debebant & locum mutare castra: mouebatur etiā retrorsum, cū quiescere debebant castra, referendo se ad locum medium castrorum, vbi erat Tabernaculum. Quoniam verò iter quòd Hebræi faciebant per illas solitudines, non erat semper directum, sed erat sępe obliquum ac flexuosum, nonnunquam accliuè, vel decliuè; aliquando ad dexteram, vel ad sinistram; necesse profectò erat, columnam illam moueri secūdum omnes differentias loci. Ex quo liquet, eam non fuisse motam à natura quapiā inanimata, quippe, quę determinata est ad vnum motum vnumq́; locum, sed à natura quadam intelligente, quæ multiplicem eius motum efficere, & variè, prout ex vsu erat, moderari posset. Vndecimò, necesse est, columnam illā nubis fuisse maiorem in modū excelsam, & in sublime porrectam, vt posset vndequaque, etiam è longinquo, ab omnibus cerni; videbant enim illam omnes Hebræi ex omnibus suis Tabernaculis & mansionibus. Castra porrò illa, cum continerent propè tricies centena millia hominum, vt supra ostensum est, amplissimum vtique locum occupabant, non minorem certè quàm decem vel duodecim milliarium. Duodecimò, erat, in similitudinem columnæ nubes illa figurata: tum quod ea figura esset aptissima ad id quod Deus per eam intendebat. Voluit enim Deus eam à cunctis aspici, sed ita, vt non impediretur aspectus aeris & cœli. Ad id verò accommodatissima erat figura illa columnaris, quæ est, quantum ad crassitiem angusta, & quantum ad altitudinem, excelsa, & ideo commodè aspectabilis. Decimotertio, motus illius columnæ erat omnino accommodatus ad vires Hebræorum iter facientium, vt eam scilicet, & omnes facilè videre, & commodè subsequi possent. Si enim nimis celeriter columna nubis fuisset mota, non potuissent Hebræi motum eius consequi, atque ita ex oculis eorum euanescens, non eis monstrasset iter: sin autē fuisset eius motus nimis lentus, id quoque magno Hebræis fuisset tædio: erat igitur motus eius conuenienter illorum hominum viribus moderatus. Decimoquarto, aliarum nubium breuis est duratio, facilè enim dissipantur & dissoluuntur, nec die potius existunt quàm nocte. At nubes illius columnæ, durauit per quadraginta annos, quibus Hebræi peregrinati sunt in deserto: neque vnquam apparuit nocte, sed semper interdiu.

QVARTA DISPVTATIO.

Quando primum illa columna & cęperit & desierit apparere Hebræis.

SED quæritur, quando 17.
primum apparere Hebræis cęperit, & quando primum apparere desierit. Putant quidam, statim vt profecti sunt Hebræi de Ramesse in Socoth, apparuisse eis columnam nubis: quia non videtur ratio ulla, cur nō statim in principio discessus appareret,

sed paulò pòst. Verùm sententia est B. Hieronymi, in epistola quam scripsit ad Fabiolã, de quadraginta duabus mansionibus Hebræorum in deserto, cùm exponit tertiam mansionem, in tertia mansione primùm apparuisse colũnam nubis & ignis: id enim videtur indicare Scriptura sub fine huius capitis decimi tertij Exodi, illis verbis: *Profectiq́; de Socoth castrametati sunt in Ethã, in extremis finibus solitudinis: Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Non esse tamen hanc probationẽ satis firmam, infra ostendemus. Sed qñ primũ Hebræis apparere desijt? Tradunt Hebræi, columnã nubis & ignis primũ defecisse post mortem Aaron, q mortuus est in quinto mense anni quadragesimi post exitum ex Aegypto. Nimirum Maria soror Aaron & Mosis, mortua est in primo mense illius anni quadragesimi in loco qui vocatur Cades, vt legitur in libro Numerorum, ca. 20. Aaron autem mortuus est quinto mense eiusdẽ anni quadragesimi in mõte Hor, vt traditur in libro Numerorũ, cap. 20. & 33. Moses verò è viuis excessit in fine illius anni quadragesimi, id est, secundum Hebræos, in vltimo die illius mẽsis eius anni. Mortuo igitur Aaron, defecit columna nubis & ignis, & per septem mẽses sequentes, Hebræi ea caruerunt. In eam porrò sententiam ducti sunt leuissimo argumento Hebræi: nam quia (inquiunt) post mortẽ Aaron nulla fit amplius in Scriptura mentio illius columnæ, propterea existimare cõuenit, eam tunc primùm defecisse, quasi verò non etiam multo ante mortem Aaron, silentium de ea columna fiat in sacra Scriptura. Certè opinionem eorũ falsam esse, satis demonstrant verba illa Scripturæ extrema ca. 13. *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* Deinde columnã illã dedit Hebræis Deus, vt iter eis ignotũ per illas solitudines præmonstraret, & quãdo quiescendum ipsis foret, aut iter faciẽdũ, motu & quiete sua indicaret: sed à monte Hor, vbi Aaron obijt, vsque ad campestria Moab, id est, vsque ad fines terræ promissionis, ambulauerunt Hebræi per loca inexplorata atque ignota ipsis, feceruntque octo mãsiones, vt cognoscere licet ex trigesimo tertio capite libri Numerorum: ergò tunc columna nubis iter ipsis monstrante non minus indigebant, quàm antea indiguerant.

S. Hieronymi. Hebræi.

18. Nec illud sanè in præteritis relinquẽdum hoc loco est, cum instar miraculi meritò haberi possit, in illo egressu Hebræorum ex Aegypto, cùm tanta hominum multitudo esset non modo bellatorum, sed etiam puerorum & senum & mulierum, neminem esse tamen inuentum, qui aut propter morbum, remanere cogeretur in Aegypto; aut propter debilitatem, iter vnã cum alijs persequi non posset: sed omnes fuisse sanos, ac valentes ad iter alacriter & constanter peragendum. Nimirum Deus omnibus illis robur & alacritatem suggerebat, ac subinde redintegrabat; ne laborem itineris grauatè ac molestè ferrent. Hoc nempè mirabundus Dauid cecinit: *Et eduxit eos cũ argento, & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Pro voce illa *infirmus*, Hebraicè est *coshel*, id autem Latinè est, corruens & labẽs, & propè nutans, hoc est debilis, sicut Isaias dixit cap. 35. *Genua debilia roborate.* Quasi diceret Dauid: Inter eos nullꝰ erat nõ modo æger, sed ne debilis quidem, aut imbecillis. Erant enim omnes alacres & expediti. Illud quoque ingentis fuit miraculi, q per totos quadraginta annos quibus peregrinati sunt in deserto, vestimenta eorum nec cõsumpta, nec attrita fuerint: hoc enim apertis verbis testatur Scriptura in cap. 8. Deuteronomij illis verbis: *Vestimẽtum tuum, quo operiebaris, nequaquã vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus: en quadragesimus annus est.* Et in vigesimo nono capite eiusdem libri: *Adduxit* inquit, *vos Dominus quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorũ vetustate consumpta sunt.* Sed alia duo illa fuere insigniora miracula, & quidẽ perpetua in illo quadraginta annorũ spatio: Vnũ eorũ fuit, hæc, de qua nunc disputauimus, columna nubis & ignis; Alterũ fuit manna cœlitus pluẽs quotidie, præter Sabbatum; nec solum

Quatuor insignia Dei miracula 1 vtilitatem Hebræorum facta.

Locus Psal mi 104.

Exodi 16.

tot

tot hominum cibatui sufficiens, sed et, *Sapient. 16.* vt ait Scriptura: *Omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem.*

QVINTA DISPVTATIO.

An illa columna nubis non solùm premonstraret iter Hebręis, verum etiam inumbraret eos atq; protegeret aduersus solis ardores.

19. SVPER hac re duas inuenio auctorum sententias. Quidam putant, Hebręos nube illa quasi vmbraculo, fuisse per diem in tempore æstiuo protectos & defensos ab ęstu solis. Nam cum Hebræi iter facerẽt per terram Aegypti & Arabiæ, aliaque loca immoderatis caloribus solis præferuida, æstuantiaque, & per depressas valles atq; excelsos montes transirent, quibus in locis, ob multam radiorum solis reflexionem, acrior atque molestior est Solis calor: conueniens profectò erat, vt Deus tantam eiusmodi molestiam à populo suo defenderet ac propulsaret. *Glossa interlinearis.* Glossa interlinearis hanc opinionẽ Hebræis assignat: hæc enim sunt eius verba: Tradunt Hebræi, quod per quagraginta annos colũna nubis protecti fuerint, ne Solis ardore vrerẽtur. Hebræos *Lyranus.* secutus est Lyranus super caput decimumtertium Exodi, & ibidem Hugo *Hugo S. Victoris.* S. Victoris: idemq; tradit Ambrosius *Ambrosius.* super Psalmo 118. & Iustinus Martyr *Iustinus Martyr.* in Dialogo quem habuit cum Tryphone Iudæo, ita scribens: Nubes contra æstum oppãsa est pro vmbraculo, simul & à frigore protegens in itinere. Eiusdem sententiæ probator est Genebrardus, *Genebrard.* qui explanans Psalmum centesimumquartum, triplicem fuisse dicit vsum illius columnæ nubis: nam iter p̃monstrabat; in illis enim desertis nulla viarũ extant vestigia ob arenas leui vẽtorum flatu mobiles. Quamobrem viatores, vt nautæ in mari, sic etiam illic, vti coguntur instrumentis quibusdam, quasi nauticis quadrantibus, ad indicãdas mundi plagas & dirigendum iter. Deinde vsui erat contra feras & hostes: Sic enim nubem interposuit Deus inter Hebręos & Aegyptios, ne hi propiquarent illis tota nocte. Adhæc, erat in vmbraculum, & tegumentum aduersus Solis æstum; deserta enim illa Saracenorum & Arabiæ, solis ardore torrẽtur. Idem porrò traditur in libro octauo Apostolicarũ Constitutionum Clementis; scriptũ enim ibi est, columnam ignis fuisse ad illuminationem noctis, & columnam nubis per diẽ, in vmbraculum contra æstum.

Habuisse autem Hebræos in deserto nubem, cuius obiectu, solis ardor ab illis arceretur, pluribus locis satis apertè indicare videtur diuina Scriptura. Etenim in libro Numerorum ca. 14. sic est: 20. *Nubes gloria tua protegit eos, & in columna nubis praecedis eos.* Et in Psal. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem.* *Locus Psal. 104.* Et in Psal. 120. *Dominus custodit te, Dominus protectio tua: Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.* Et in libro Sapientiæ, cap. 10. *Deduxit eos in via mirabili: fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.* Et in eiusdem libri capite 19. *Castra obumbrabat nubes.* Et in cap. 18. *Solem sine læsura boni hospitij præstitisti eis.* idest. Fecisti ne Sol eos læderet; & ut obũbrato per nubem Sole, haberent loca illa solitudinis, quasi pro bono hospitio, innoxiè uidelicèt atque inoffensè per ea loca iter facientes. Atque huius opinionis & firmamenta, & propugnatores sunt, quos diximus.

21. Altera est sententia, illius columnæ nubis non alium fuisse usum, nisi præ- *Locus Sapient. 18.* monstrare iter Hebræis, & quando am- *Altera sententia Caietani et Thostati.* bulandum ipsis, & quando quiescendũ foret, indicare, sicut apertè traditur in libro Exodi, cap. 13. & 40. & in libro Numerorum, cap. 9. Hoc sentit Caietanus exponens ultima uerba capitis 13. Exodi; idemq; multis rationibus argumẽtatur Thostatus in q. 13. super caput 13. Exodi. Aut enim nubes protegens Hebræos aduersus æstum Solis, erat eadem atq; columna nubis, aut diuersa: nõ fuisse eandẽ, uidetur his argumẽtis

 cui-

euidenter concludi. Principiò, colũna nubis tantum integebat & inumbrabat tabernaculũ Domini, quod erat in medio castrorũ, vt legitur Exodi 40.& Numerorum 9. non igitur poterat illa obũbrare omnia castra, & ab omnibus Hebræis defendere Solis æstum. Deinde, columna nubis præcedebat castra cùm mouebantur: Si autem obumbrasset omnia castra, totumq; exercitum operuisset, non potuisset præcedere. Præterea, cum Pharao insequebatur Hebræos, colũna nubis à parte anteriori exercitus, ubi erat, transtulit se ad partem posteriorem: id autẽ fieri non potuisset, si columna nubis operuisset omnẽ locũ castrorum. Adhæc, dupliciter imaginari licet, columnã nubis protexisse Hebræos ab ardore Solis, vel omnẽ locum castrorum, totumque exercitum obtegendo, quasi quoddam operimẽtum: at id fuisset Hebræis iniucũdũ, quin etiam permolestũ, adempto scilicet illis aspectu aeris, & cœli, & luminis cœlestis, qđ iucundissimum est hominibus: Scriptũ enim est in capite 11. libri Ecclesiastæ: ***Dulce est lumen, & delectabile est oculis videre Solem.*** Vel imaginari possumus, nubem illam non operuisse castra, sed in sublimi aere obtentam atque oppansam fuisse soli, ex ea parte qua sol radijs suis feriebat castra Hebræorum. Sed enim, hac ratione, nubes illa non præcessisset castra, præmonstrans iter faciẽdum Hebræis, sed mota fuisset secundum motũ Solis, vel ante vel retro, vel ad latera; ob idque non præiuisset castra, tãquam index & dux itineris. Hoc ipsum etiam arguit nomẽ columnæ, quæ secundum crassitudinem erat gracilis & angusta, secundum altitudinem autem versus cœlum, ingentis erat proceritatis. Quapropter nõ fuisset idonea & accommodata ad obumbrandum & obtegendũ omnem locum castrorum; ad id enim aptior & cõmodior fuisset nubes quoquo vers⁹ amplissimè diffusa, & expãsa.

22. Sed quispiam fortasse diceret, fuisse duas nubes: quarum vna in similitudinem columnæ figurata, quotidie apparebat præmonstrans iter, cùm erat exercitui proficiscendum: fixis autẽ castris, manens super tabernaculũ Domini. Altera verò Soli opposita & obtenta, inumbrabat castra, defendens ea à calore Solis: ea verò nõ omni tẽpore diei apparebat, sed eo duntaxat tempore, quo Solis ardor Hebræos offendere ac lædere poterat, circa meridiẽ videlicet, & in tẽpore æstatis. Verùm hanc opinionẽ tribus argumentis refellit Thostatus. Scriptura, inquit ille, nusquam fecit mentionẽ nisi vnius nubis, quam, plurimùm, nominat columnam nubis, nonnũquã etiam præcisè, nubem, vt ex locis suprà citatis perspicere licet. Deinde, posita ista nube, videtur illa colũna nubis fuisse supervacanea, cũ illa sola posset vtrũque munus præstare; tum ostendendi ac dirigendi iter Hebræorum; tum faciendi illis vmbraculum, & vehementum contra Solem. Præterea, vt nubes illa bene tegeret castra contra solis ardorem, necesse fuisset eam valde crassam & densam esse, vt impenetrabilis radijs Solis, æstum eius penitus arceret: at si talis fuisset, ademisset Hebræis aspectũ columnæ nubis quæ præcedebat eos. Sic Thostatus; Sed quia is non poterat inficiari, Hebræos fuisse per nubẽ quasi per umbraculum quoddam ab æstu Solis protectos, id enim (vt ex suprà dictis patet) nec vno loco, nec obscurè docet Scriptura: idcirco ipse arbitratur, talem protectionem, & defensionem contra calorem Solis, nõ esse factam, (propriè loquendo) à nube, sed à Deo: is enim mirabili modo, aerem omnem castris Hebræorum circumfusum, ita temperabat & afficiebat, ut radij Solis per illũ ad castra Hebræorum transmissi, naturalem illam suam ardoris exuberãtiam amitterent, & ut Hebræi cum uoluptate Solem uiderent, nec vllam ex eius aspectu & lumine molestiam caperent. Et quia Deus in illa columna præcipuè suam præsentiam multifariam declarans, id efficiebat, idcirco talis protectio & defensio contra Solis æstum, attribuitur illi columnæ.

Thostatus.

23. *Auctoris sententia, probabiliter credi posse, fuisse alteram nubẽ, qua inũbraret Hebraos.*

Mihi uidetur non improbabilis esse prior sentẽtia, & probabiliter credi posse duas fuisse nubes, tales uidelicet, quales paulò suprà descripsimus. Et quamuis nullibi Scriptura apertè nominet duas nubes: attamẽ ex ijs q̃ docet, non

obscurè

obſcurè id ſignificat, talia enim dicit, vt ea omnia in columnam nubis conuenire nequaquam poſſint: cuiuſmodi ſunt illa, quod nubes obumbrabat caſtra, & protegebat Hebræos, & præſtabat illis Solem innoxium minimeq; moleſtum. Nam quod obijcit Thoſtatus, ſi ea nubes obumbraſſet caſtra, futurum fuiſſe vt adimeret Hebræis aſpectum columnæ nubis, facile diluitur. Non enim cogitandum eſt, eam nubem obumbraſſe caſtra operiendo ea, quaſi velamentum quoddam omnium caſtrorum supernè oppanſum; ſed cogitare oportet, eam nubem in ſubliniori parte aeris fuiſſe ſoli è regione oppoſitam, eique, quocũque mouebatur, obtentam, ita vt eius obtentu, ſolis ardor & radij in ea refracti & repreſſi, penetrare ad locum caſtrorum vbi erant Hebræi, non poſſent. Infrà verò iſtam nubem, erat columna nubis ſemper antecedens caſtra, cum ea mouebantur, nec ſequẽs motum Solis, vt altera illa nubes. Ex quo apparet, non fuiſſe ſuperuacuam columnam nubis, vt putat Thoſtatus. Nam neque columna nubis poterat Hebræis præſtare illam obumbrationem & protectionem aduerſus Solem: nec altera illa nubes, poterat ſemper antecedere Hebræorum caſtra, monſtrans & dirigens iter eorũ; aut fixis caſtris operire tabernaculum Domini ſupra ipſum manens, vt ex prædictis patet. Nec ſanè Thoſtatus inficiari auſus eſt, opinionem hanc eſſe probabilem.

SEXTA DISPVTATIO.

An vna eademq; numero re ipſa fuerit columna nubis, atque columna ignis, diuerſo tamen modo ſe habens.

24. DIGNA planè quæſtio eſt hoc loco tractari, An re ipſa fuerit vna & eadem colũna nubis & ignis, de die lucens tanquam nubes, & diurnum iter Hebræis mõſtrans & dirigens; eademq; per noctem ſplendens ceu ignis, nocturnas tenebras diſcutiens, atq; illuminans Hebræos. An verò duæ fuerint columnæ, ſicut vſu atque effectu, ita re differentes inter ſe, vt nunquã illæ ſimul fuerint, ſed vna, die tantum apparens; altera tãtum per noctem. Lyranus exponens vltima verba decimi tertij capitis libri Exodi, ſtrictim attingit tres ſuper hac quæſtione ſentẽtias: vnam, fuiſſe eandem columnam, diuerſo modo ſe habentem; alteram, fuiſſe duas numero, reque diſtinctas; tertiam, ex ipſa Scriptura, neutrum eſſe compertum, & vtrumque fieri potuiſſe, & probabiliter credi poſſe. Sic enim ille ſcribit: Dicunt aliqui, quod eadem fuerit columna, quæ obumbrabat per diem, & illuminabat per noctem, vocatur tamen duplici nomine, propter duplex officium; Hebræi autem dicunt, q̃d fuit duplex: vna per diem quæ in veſpera recedebat peracto officio: & tunc columna ignis ſubintrabat illuminãs per noctem. Quid autem verius ſit, non bene apparet ex ipſo Scripturæ textu: certum eſt tamen, quod vtroque modo potuit eſſe, quia totum illud fiebat diuino miraculo. Ita Lyranus. Hugo de S. Victore ſuper hoc ipſo loco Exodi, affirmatè ſcribit, fuiſſe vnam atq; eandem. Vna, inquit, & eadẽ colũna erat, contra calorẽ obumbrans, & contra tenebras illuminãs, vt dux eſſet vtriuſq; tẽporis.

Lyranus.
Tres opiniones.
Hugo S. Victoris.

25. Thoſtatus arbitratur, omnino fuiſſe vnã atq; eandem, diuerſè tñ affectã, & diuerſo munere atq; uſu præditam: q̃d ẽt mihi uidetur ſimilius uero. Id enim non obſcurè ſignificatur in libro Numerorũ, capite 9. illis uerbis: *Si fuiſſet nubes à veſpera vſque mane; & ſtatim diluculo Tabernaculũ reliquiſſet, proficiſcebantur: & ſi poſt diem & noctem receſſiſſet, diſſipabant tentoria; ſi autem biduo aut vno menſe vel longiori tempore fuiſſet ſuper Tabernaculũ, manebant filij Iſrael,* &c. Hic apertè dicitur, nubem ſiue columnã nubis, non ſolum die, ſed ẽt nocte manere ſolitam ſupra Tabernaculum Domini: atqui columna ignis erat, quæ per noctem apparebat Hebræis, & caſtra eorũ illuminabat. Idemque ipſum colligi poteſt ex alijs uerbis Scripturæ, quæ ſunt in capite decimo quarto libri Exodi: nar-

Thoſtatus in q̃. 114. ſuper c. 13. Exodi.
Auctoris ſẽtentia, fuiſſe eandẽ re ipſa columnã nubis atque ignis.

narrat enim Moses, cum Hebræi iuxta mare rubrum, premerentur retro & coarctarentur ab exercitu Aegyptiorum, Deū respexisse castra Aegyptiorum per columnam nubis & ignis. Erat igitur vna columna, quæ interdiu apparens vt nubes, vocabatur columna nubis; noctū uerò lucens vt ignis, appellabatur columna ignis: neq; enim dici potest, fuisse tunc duas columnas: tum quia, qui duas faciunt columnas, nolūt fuisse illas simul vnquam, sed vnam fuisse tantum die, alteram nocte: tum etiam quia nulla erat ratio, cur diceretur Deus per vtramque columnam (siquidem diuersæ numero fuissent) respexisse castra Aegyptiorum. Verba Scripturæ eo loci sunt hæc: *Iamq́, aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam nubis et ignis, interfecit exercitum eorum.* quæ verba explanans Caietanus, ait hinc apertè concludi, fuisse vnam reipsa columnā nubis & ignis. Et paulò ante hæc verba inibi traditur, nubem illam fuisse partim tenebrosam, nimirum versus castra Aegyptiorum, ita vt adimeret eis aspectum Hebræorum: partim autem fuisse lucentem atque illuminantem noctis tenebras, sed versus eam tantum partem videlicèt, vbi erant castra Hebræorum, vt illi versus mare rubrū, quo tendebant, pergere possent. Sicut igitur tunc secundum partem anteriorem erat ignis illuminans Hebræos, secūdum autem partem posteriorem erat nubes obumbrans & obscurans castra Aegyptiorum. Ita per singulos dies eadem erat columna nubis atque ignis, diuerso affecta modo, diuersumque præstās vsum. Ponam hic verba Scripturę. *Tollens se Angelus Domini qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priorem dimittens post tergum, stetit inter castra Aegyptiorum & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem: ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.*

Caietanus.

26. At enim dicet fortasse aliquis: Quomodo tunc columna illa subsequebatur castra Hebręorum, quam Scriptura tradit, præire ea solitam, & quomodo subsequens castra Hebræorum, poterat iter eorum dirigere versus partem anteriorem? Respondeo, necessariam tunc ob causam esse factum, vt columna nubis subsequeretur castra Hebræorum, nimirum, vt inter castra Hebræorum atque Aegyptiorum interposita, obstaret, ne Aegyptij, cum Hebræos cernere non possent, eos insequerentur. Licet autem esset post exercitum Hebræorū, non modo tamen antrorsum illuminabat omnia castra, sed etiam vltra primū vexillum, quod in anteriore parte exercitus ferebat Tribus Iuda, per aliquod spatium porrigebatur eius lumen, & radij tanquam in modum cuiusdam semitæ coangustati, efficiebant inter medias noctis tenebras angustam quandam viā luminosam: quam viam sequebatur Tribus Iuda, huius autem motum cęteræ tribus sectabantur. Ac licet columna ignis data esset vt nocte illuminaret castra Hebræorum, ac si quando opus esset, inter obscurissimas etiam tenebras clarissimè illis iter ostenderet; nusquam tamen memini legere in Scriptura, Hebræos iter fecisse noctu, vel mouisse castra in deserto, nisi semel tantum; cum Pharao eos insectabatur, & quoad transierunt mare rubrum: hoc autem periculo defuncti, nulla deinceps necessitate coacti sunt de nocte castra mouere. Iter nempe nocturnum est homini admodum laboriosum & molestum: tum respectu ipsius noctis, quæ videtur in quietem concessa mortalibus, ad reficiendas & recreandas vires, vt diurnis relaxati curis atque laboribus, placidè iucundèque conquiescant: tum ob alia incommoda, pluresque molestias, quas nocturnum tempus, præsertim iter facientibus per solitudines, afferre solet. Verum de hoc iterum infra dicturi sumus.

SEPTI-

SEPTIMA DISPVTATIO.

An columna ignis fuerit verus & naturalis ignis: & de causa mouente columnam nubis & ignis.

27. ILLVD quoque non indignam explicatu quæstionem habet, An illa columna ignis, esset verus & naturalis ignis, an verò speciem tantum habens & similitudinem ignis: ex ijs enim quæ de illa columna tradit Scriptura, vtrumq; videtur existimari posse. Nam præter quã quod multis in locis appellat illam columnam ignis; in libro Exodi capite quadragesimo, vocat eam præcisè ignem: *Nubes*, inquit, *incubabat per diẽ tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas*. Et in Psalmo centesimo quarto: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*. Et in libro Sapientiæ cap. 18. loquens de hac columna ignis, quam Hebræi habuerũt in deserto, sic ait: *Ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignota viæ: & solem sine læsura boni hospitij præstitisti*. Ex aduerso autem in libro Numerorum capite nono, columna illa ignis, bis appellatur (quasi species) ignis, tanquam nõ esset verus. Scripturæ verba sunt hæc: *Igitur die qua erectum est Tabernaculum, operuit illud nubes; vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsq; mane. Sic fiebat iugiter, per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis*. Si rationem præterea spectes, &, vt ita loquar, possibilitatem facti, vtrumlibet, factum esse credi posset: vtrumuis enim factum fuerit, sine miraculo fieri non potuit; & Dei omnipotentię vtrumque fuit æquè facile factu: atque vt sapienter dixit Augustinus, In ijs quæ supra naturam sunt, tota ratio facti, est omnipotentia facientis.

S. August.

Auctoris sententia, columnã ignis nõ fuisse ignẽ nostrati similem.

28. Equidem, licet putẽ vtrumlibet probabiliter credi ac defendi posse, propensior tamen sum ad credendum, nõ fuisse eum verum ignem, talem nẽpe, qualis est noster ignis, siue elementaris. Ac me quidem haud leuiter mouet sententia illa Scripturæ, suprà ex capite nono libri Numerorum prolata: vbi vocatur ea columna, *quasi species ignis*. quod nõ dixisset Scriptura, si fuisset ille verus ignis: nam quod est verus ignis, nec propriè, nec verè dici potest habere speciẽ ignis. Adhæc, sententia est vera sanè Philosophorum, Frustrà fieri per plura, quod æquè benè fieri potest per pauciora: nec absque necessitate esse multiplicanda entia. Est quoque Theologorum consensu probatum, eam sententiam esse probabiliorem, quæ idem præstat, paucioribus positis miraculis. At si fuisset ille verus ignis, præter miracula ei communia cum columna nubis, plura essent alia, propria eius, necessariò ponẽda miracula. Primum enim, ignis ille, qui spontè natura sua capessere debebat supera loca, mansisset in illa semper columna, extra locum suum naturalem, nullo extrinsecus obstante impedimento. Et, qui naturaliter in figuram Pyramidis formari debebat, sursum tendens, æquabilem perpetuò columnæ figuram retinebat. Naturale item est, nostratem ignem pabulo aliquo contineri ali & sustentari: ille verò ignis, sine vllo alimento, tot annos, sine defectu aliquo perdurauit. Et, quod caput est, atque in magno ponendum miraculo, si verus ille fuisset ignis, naturalem vim suam calefaciendi atque vrendi, cum tamen esset agens ex necessitate naturæ, vt vocant Philosophi, tanto tempore, ab actu secundo, id est, ab vriendo & calefaciendo cohibuisset. Nam cum ingentis esset molis, & in medio castrorũ resideret supra Tabernaculum Domini, proculdubio, nisi magno fuisset miraculo impeditus ac repressus, exuperanti calore suo, sanè quam molestus ac noxius fuisset Hebræis. Quinetiam, per totam noctem incubaret Tabernaculo Domini, & ligna, & cortinas, & cætera quæ illic erant, adussisset. Fuissetq; perinsigne miraculum, tantæ molis ignem, tam naturali, propriaq; sibi actione calefaciendi & vrendi, per totos quadraginta annos, fuisse omnino priuatum.

29. *Plato. Aristoteles.* Nos itaque sic existimamus; tres esse Ignis species vel potius modos, vt Plato in Timæo, & Aristoteles in libris Topicorum tradiderunt. Est enim ignis vt carbo, & ferrum, aliudue quodpiam densum corpus ignitum, quod multum quidem vrit, sed parum lucet. Est item alius ignis tanquam flamma, non minus vrens, quàm lucens. Est demùm ignis, quasi lux Solis & stellarum, nihil per se vrēs, plurimumq; lucens, nam & sydera vocare ignes cœlestes, frequens est apud Ecclesiasticos & profanos scriptores. Cùm igitur sint tres huiusmodi species ignis, columna illa ignis, ad tertiam speciem pertinebat: erat enim ignis ille nihil vrens, sed maiorem in modū lucens. Vsqueadeo autem columna illa ignis splendebat, & longè latéque illuminabat, vt cuncta Hebræorum castra vsquequaque collustraret, nec indigerent Hebræi lumine lucernarum, sed clarè omnia viderent, similiter vt in die. Id porrò columna illa præstabat, tum ob ingentem copiam lucis, sibi diuinitus impressæ: tum ob excellentem illius lucis qualitatem, & virtutem, præstantemq; claritatem. Qua igitur facilitate Deus, in mundi creatione, inæstimabilem lucis abundantiam & præstantiā impressit globo Solis, qua possit is vniuerso mundo collucere; eadem facilitate, talē tantamq; columnæ illi lucem indidit, vt per eam omnibus castris Hebræorū clarè illuminandis sufficeret.

30. *Motum illius colūnæ nō fuisse naturalē, nec à causa naturali.* Non est omittendus in hoc loco breuis tractatus illius quæstionis, An columna illa naturaliter moueretur ab aliqua causa naturali. Verum non magni fuerit negotij eam quæstionem expedire. Non enim motus nec quies illius columnæ poterat esse naturalis, neque à causa naturali factus. Ignis quippe, motu naturali, directò fertur sursū: nubes autem vel trahitur etiam sursum, cum vapor, ex quo nubes constat, vi radiorum Solis subuehitur in sublime, vel in quamcunq; partem fertur, quacunque nimirum tendit ventus nubem propellens. Ex eo quoq; patet, non fuisse motum illius columnæ naturalem, quòd non potuisset nubes motu naturali ostendere iter quod faciendum erat Hebræis, cum id esset admodum variū & multiforme. Supra naturam etiā nubis erat, vt cum mouenda essent castra, semper ipsa partem anteriorem exercitus præcederet; cum autem quiescendum esset & castrametandum; eadem referret se in medium locum castrorum, & maneret supra Tabernaculum Domini. Motus item columnę illius, non qualiscunq; erat, nec quomodocunq; factus, sed modificatus, & accommodatus ad motum, quem facere poterat multitudo illa Hebræorum, habita nempe ratione tot mulierum, & paruulorum, & senum, & imbecillium animalium, vti sunt oues, & agni, & hoc genus alia, quę lento motu procedunt. Idem quoq; indicabat figura illius nubis in formam columnæ factæ: talis enim figura in nube, non est naturæ artificium, sed diuinum opificium. Sed quid ego in ea re probanda, longiorem orationem pono, cum id perspicuè, explicatéq; doceat diuina Scriptura? Etenim in cap. 14. Exodi traditur, cum Pharao insequeretur Hebræos, iam propinquantes mari rubro, Angelum, qui mouebat videlicèt columnam illam, ab anteriore parte exercitus, transtulisse eam ad partem posteriorem: quo indubiè significatur, Angelum fuisse, qui motum illius columnæ faciebat, regebat, ac moderabatur. In libro etiam Numerorum cap. 9. scriptum est, Hebræos nunquam castra mouisse, vel fixisse, vel quieuisse, nisi ad imperium Domini, hoc autem est, ad motum, & quietem illius columnæ. Columna igitur, Dei potentia, & imperio mouebatur & quiescebat. Atq; ob hanc ipsam causam Scriptura compluribus locis quæ supra commemorata sunt, ait, Deum in deserto præcessisse Hebræos iter illis ostendendo per colūnam nubis & ignis; quod ideo verū est, quia columna illa non ab aliqua causa naturali, sed Dei voluntate ac potestate atq; imperio per Angelum mouebatur. Hoc ipsum sensit & scripsit Philo, lib. 1. de vita Mosis, his verbis: Fertur, illo tempore accidisse ingens naturæ miraculum, quale nunquam auditum fuerat post hominū memoriā. Præcedebat populū nubes in magnę colūnæ speciē; *Philo.*

Sola-

Solari splendore lucens interdiu, noctu autem flammeo; vt eius ductu absque periculo erroris incederent. Credi tamen potest, aliquem è summi Regis præfectis Angelum nube inuolutum, eos duxisse, quem nefas sit aspici mortalibus oculis.

OCTAVA DISPVTATIO.

De motu & quiete illius columnæ.

Columnā ignis semel tantum esse motā legimus.

31. QVAEDAM in hac disputatione carptim sunt tractanda, nec indigna, opinor, explicatu, & ad noscendā motus ac quietis illius columnæ rationem satis accōmodata. Principio, nusquam memini legere, columnam ignis fuisse motam, nisi semel, eo scilicèt tempore, quo Aegyptij insequebantur Hebræos iuxta mare rubrum: tunc enim recedens in partem castrorum posteriorem, interposuit se inter castra Aegyptiorum atque Hebræorum, illis tenebrosam speciem præstans, his autem clarissimam lucem præbens: post id temporis, nusquam legi (quantulum mihi quidem memoriæ est) columnam ignis fuisse aliquando motam. Vnde probabilis fit, meo iudicio, coniectura, præcipuum columnæ ignis vsum fuisse, vt nocte monstraret loca, in quibus manendum esset Hebræis, atque, in remedium tenebrarum noctis, eorum castra illuminaret, sicut cecinit Dauid: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem.* Enimuerò, nocturnum tempus minimè idoneum, immò valde incommodum est faciendo itineri, præsertim autem per solitudines, & tantę multitudini hominum atque animalium, quāta erat in illo exercitu Hebræorum. Cumque necessaria Hebræis quotidie esset quies, non enim continenter die ac nocte iter continuare poterant: tempus maximè idoneum quieti, proculdubio est nocturnum. Cùm itaque columna ignis, non nisi noctu appareret, satis liquet, apparitionem eius non ad capessendum motum, sed ad capiendam, fruendamque quietem pertinuisse.

Locus Psalmi 104.

Columna nubis quotidie quiescebat.

32. Deinde sciendum est, columnam nubis, quotidie semel, vel etiam bis quieuisse. Non enim poterant Hebræi, totū diem, continenter facere iter sine perceptione cibi: ergo necessarium erat, saltem in die semel, columnam quiescere, vt Hebræi aliquandiu quiescentes, cibo se reficerent: nam inter faciendum iter cibum capere, valde iniucūdum & molestum fuisset, nec id fieri potuisset in ouibus, & agnis, alijsque animalibus, quæ pascuntur carpendo herbas, vel sugendo lac maternum, quod sine quiete fieri non potest. Et cùm haberent secū multa genera animalium ad esum idonea, ea coquebant & parabant in cibū, ad quod erat opus quiete. Sed enim obijciet quispiam, Hebræos nō esse vsos coctis cibis in deserto, sed comedisse Manna, quod eis Deus quotidie pluebat. Verùm non ita est: nam præter Māna, etiam vescebantur alijs cibis coctis. Moses enim, vt scriptum est in libro Exodi cap. 16. præmonuit Hebræos, etiā postquam Manna dati eis cœptum est, vt in die Sabbati nullum opus facerēt, sed pridie coquerent & pararent quæ in cibum coquenda & paranda erant in diem Sabbati. Immò verò ipsum etiā Manna, non comedebant illi crudum atque incoctum: nam etiamsi crudum, idoneum esset ad esum, & suaue gustatui, habebat enim saporem similæ mixtæ cum melle, vt scriptum est Exodi 16. ipsum tamen nihilominus Hebræi coquebant, & coctum manducabant. Sic enim de eo proditum est in libro Numerorum, capite vndecimo: *Erat Man quasi semen coriandri coloris bdellij. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.*

Hebræi præter Māna, etiam cibis coctis in deserto vescebantur.

Locus libri Numerorū cap. 11.

Quomodo coquerent Manna.

33. Sciendum porrò est duplicem fuisse quietem columnæ nubis: vna erat temporaria, id est, breui tempore durans, quæ fiebat vt daretur Hebræis tempus idoneum ad comedendum & quiescendum: & hæc quies columnæ bis quotidie, aut saltem semel fiebat. Altera erat quies columnæ diuturnior, quæ significabat, aliquandiu esse in eo loco, positis castris,

Duplex ratio quieti colūnæ nubis.

castris, fixisque tentorijs quiescendum. Talis autem quies vocatur in Scriptura mansio, à manendo: nec per totos illos quadraginta annos, quibus in deserto fuerunt Hebræi, plures habuere huiusmodi quietes & mãsiones, quàm duas & quadraginta. Etenim Moses in libro Numerorum, cap. 33. recensens mansiones Hebræorum in deserto, quæ designabantur per quietem columnæ, duas tantùm & quadraginta commemorat: quod verè dici non posset de priori genere quotidianæ quietis colũnæ. Hoc autem liquidò patet ex ijs quæ prodita sunt in capite decimo quinto Exodi: vbi legitur, Hebræos, cum egressi sunt ex mari rubro, tribus diebus ambulasse per desertum Sur, quo ad venerunt in locum appellatum Marà vbi etiam mãsionem fecerunt. Ergò à mari rubro vsque ad Marà, vna tantùm facta est Hebræorum mansio, idque traditur etiam Numerorum 33. Cum tamen à mari rubro, vsque ad Marà, dicantur Hebræi ambulasse tribus diebus; non vtique sine quotidiana quiete, cibo & somno capiẽdo necessaria: sed quia in illo triduo non sunt castrametati, nec vspiam fixis tentorijs quieuerunt. Mãsio itaque Hebræorum pendebat quidem à quiete columnæ, non tamen à priori genere quietis eius, sed à posteriori.

Cum dicuntur fuisse 42. mansiones Hebræorum in deserto, quid nomine mãsionis intelligere oporteat.

Sed vnde (nam & hoc Lector scire cupiet) certò scire poterant Hebræi, quãdo quies columnæ significaret ipsis esse breui quiescendum, aut esse aliquandiu manendum fixis tentorijs, positisque castris? Respondeo, id fuisse eis hac ratione notum. Quando columna, circa meridiem quiescebat, tunc Hebræi etiam quiescebant ad cibum sumendũ: si autem post meridiem nihilominus tamen manebat columna; habebant id pro signo, sibi esse aliquandiu ibi manendum, & tunc figebant tentoria, & metabantur castra. Similiter vesperi quiescebat columna, vt nocturnam Hebræis daret quietem; vnde tunc non figebant tentoria, neque castrametabantur. Si autem mane etiam quiescebat columna, id erat indicium, Hebræis esse fixis tentorijs eo loco manendum.

Quomodo Hebræi ex quiete colũnæ cognoscebant esse sibi quiescendũ fixis castris, aut non.

34 Quoties porrò columna mouebatur, antecedens exercitum, Sacerdotes & Leuitæ eleuabant arcam Domini, & illam portabant; Moses autem inuocabat Deum, hos versus præcinens: *Surge Domine, & dissipentur inimici nostri, & fugiant qui oderunt te, à facie tua.* Cum verò rursus columna quiescebat, tunc deponebatur arca Domini; & Moses, quasi Dominum inuitans ad inibi manendum, sic eum orabat: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israël* Hæc ipsa reperiet Lector scripta in libro Numerorum, cap. 10. Ad hunc morem & ritum spectasse videtur Dauid ijs verbis, quibus exorsus est Psalmum 67. dicens. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum, a facie eius.*

Locus Psal. 67.

Columnam illam primùm apparuisse Hebræis in tertia eorum mansione, quę facta est in Etham, docet sanctus Hieronymus in epistola quam scripsit ad Fabiolam, de quadraginta duabus mansionibus; non alio videlicèt argumẽto ductus, nisi quia tunc primum eius columnæ mentionem fecit Scriptura, vt patet Exodi 13. sed ea ratio non est admodũ firma. Nam tunc etiam ait Scriptura, Mosen tulisse ossa Ioseph secum: quod tamen in primo discessu ex Aegypto fecisse eum, minimè dubitandum est. Nimirum, frequens est in Scriptura, posteriori loco narrare per recapitulationẽ, ea quæ prius gesta priori fuerant loco narranda. Quocirca placet alijs, columnam nubis & ignis, statim vt è terra Gessen, siue in Ramesses profecti sunt Hebræi, apparuisse eis. Quod autem nugantur Hebræi, defecisse columnam nubis & ignis, statim post mortẽ Aaron, quæ accidit in quinto mense anni quadragesimi, falsum esse, suprà, ad numerum marginalem 26. demõstratum est. Et argumentis ibi allatis illud addi potest, quod euidenter istam opinionem falsitatis conuincit; septẽ mensibus post mortem Aaron, & cùm iam proximus morti esset Moses, Scripturam facere mentionem columnæ nubis. Nam in libro Deuteronomij, cap. 31. ita scriptum est: *Abierunt itaque Moses & Iosue, & steterunt in tabernaculo testimonij: apparuitq; Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.*

An columna nubis primum apparuerit Hebræis in tertia eorum mãsione, vt placet Sancto Hieronymo.

Non defecisse columnã nubis statĩ post mortẽ Aaron, vt tradũt Hebræi.

Locus Deuteronomij cap. 31.

Beatus

35. Beatus Gregorius in Homil. 21. in Euangelia, tractans verba illa Matthæi cap. 28. de Angelo, qui apparuit mulieribus in die Resurrectionis Domini: *Erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix*, docet, Deum viris iustis & sanctis exhibere se blandum & amabilem ac benignum; peccatoribus autem seuerum & terribilem: idque signatum esse ait per blandimentũ niuei candoris vestium Angeli, & per terrorem fulgurantis aspectus eius: idémque putat fuisse olim præsignatum in populo Hebræo per columnã nubis q̃ apparebat die, & per columnam ignis, quæ videbatur nocte. Ponam hic verba ipsa Gregorij: In fulgure, inquit, terror timoris est, in niue autem blandimentum candoris. Nam quia Deus & terribilis peccatoribus, & blãdus est iustis: rectè Angelus testis resurrectionis eius & in fulgure vultus, & in candore habitus demonstratur, vt de ipsa sua specie, & terreret reprobos, & mulceret pios. Vnde populum Hebræum per deserta gradientem, columna ignis in nocte, & columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube, visionis lene blandimentum: dies autem, vita iusti, & nox accipitur vita peccatoris. Vnde conuersis peccatoribus dixit Paulus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. In die igitur columna nubis monstrata est, & in nocte columna ignis: quia Deus in iudicio veniens, per lenitatis mansuetudinem blãdè iustos demulcebit: peccatores autem, per iustitiæ districtionem terrebit. Sic Gregorius.

B. Gregorij expositio mystica.

Ephes. 5.

BENE-

BENEDICTI PERERII
IN CAPVT DECIMVMQVARTVM EXODI,
DISPVTATIONES OCTO.

Narratur Hebræorum admirandus per mare rubrum transitus, atque eos insequentium Aegyptiorum in eodem mari demersorum interitus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM EXODI.

Versu 1. LOCVTVS est autem Dominus ad
2. Mosen, dicens: * Loquere filijs Israel:
Reuersi castrametentur è regione Phi-
hahiroth quæ est inter Magdalum &
mare contra Beelsephon: in conspectu
3. eius castra ponetis super mare. * Dictu-
rusq; est Pharao super filijs Israel, coar-
4. ctati sunt in terra, conclusit eos desertum. * Et indurabo cor
eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in
omni exercitu eius. Scientque Aegyptij quia ego sum Domi
5. nus. Feceruntque ita. * Et nunciatum est regi Aegyptiorum
quod fugisset populus: immutatumq; est cor Pharaonis &
seruorum eius super populo, & dixerunt: Quid voluimus fa-
6. cere ut dimitteremus Israel, ne seruiret nobis? * Iunxit ergò
7. currum, & omnem populum suum assumpsit secum. * Tulitq;
sexcẽtos currus electos, & quidquid in Aegypto currũ fuit,
8. & duces totius exercitus. * Indurauitq; Dominus cor Pharao
nis regis Aegypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi
9. erant in manu excelsa. * Cumq; persequerentur Aegyptij ve-
stigia persequẽtium, repererunt eos in castris super mare: om-

nis

nis equitatus,& currus Pharaonis,& vniuersus exercitus erãt
in Phihahiroth contra Beelsephon.*Cumq; appropinquasset 10.
Pharao,leuantes filij Israel oculos,viderũt Aegyptios post se,
& timuerunt valde: clamaueruntq; ad Dominum.* Et dixe- 11.
runt ad Mosen:Forsitan nõ erant sepulchra in Aegypto:ideo
tulisti nos,vt moreremur in solitudine:quid hoc facere volui-
sti,vt educeres nos ex Aegypto? *Nonne iste est sermo,quem 12.
loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis, vt
seruiamus Aegyptijs? multò enim melius erat seruire eis,quã
mori in solitudine.*Et ait Moses ad populum:Nolite timere: 13.
state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie:
Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra vide-
bitis vsque in sempiternum.* Dominus pugnabit pro vobis, 14.
& uos tacebitis.* Dixitque Dominus ad Mosen; Quid cla- 15.
mas ad me? loquere filijs Israel vt proficiscantur.* Tu autem 16.
eleua uirgam tuam, & extende manum tuam super mare, &
diuide illud, ut gradiantur filij Israel in medio mari per sic-
cum.* Ego autem indurabo cor Aegyptiorũ ut persequatur 17.
uos:glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in
curribus & in equitibus illius:* & scient Aegyptij quia ego 18.
Dominus,cùm glorificatus fuero in Pharaone,& in curribus
atque equitibus eius.*Tollensque se Angelus Dei,qui præce- 19.
debat castra Israel, abijt post eos: & cum eo pariter columna
nubis,priora dimittens, post tergum*stetit, inter castra Aegy- 20.
ptiorum, & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illumi-
nans noctem, ita ut ad se inuicem toto noctis tempore acce-
dere non ualerent.* Cumque extendisset Moses manum su- 21.
per mare, abstulit illud Dominus flante uento uehementi
& urente tota nocte, & uertit in siccum:diuisaque est aqua.* 22.
Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim
aqua quasi murus à dextra eorum & læua.* Persequentesque 23.
Aegyptij, ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharao-
nis,currus eius,& equites per mediũ maris.*Iamq; aduenerat 24.
uigilia matutina,& ecce respiciens Dominus super castra Ae-
gyptiorũ per columnam nubis & ignis, interfecit exercitũ eo
rum:*Et subuertit rotas curruũ, ferebanturq; in profundum. 25.

Dixeruntq;

Dixeruntq; Aegyptij:Fugiamus Israel: Dñs enim pugnat pro
26. eis contra nos.* Et ait Dñs ad Mosen:Extende manũ tuam su
per mare, ut reuertantur aquæ ad Aegyptios super currus &
27. equites eorum.* Cumq; extendisset Moses manum cõtra ma-
re,reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugienti-
busq; Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus
28. in medijs fluctibus. *Reuersæq; sunt aquæ & operuerunt cur
rus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes in-
29. gressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis.* Filij
autem Israel perrexerunt per medium sicci maris:& aquæ eis
30. erant quasi murus à dextris & à sinistris.* Liberauitq; Domi-
31. nus in die illa Israel de manu Aegyptiorum.* Et uiderunt
Aegyptios mortuos super littus maris, & manum magnam
quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus
Dominum,& crediderunt Domino, & Mosi seruo eius.

PRAEFATIO.

1. HISTORIAM tãti huius miraculi,& toties in diuina Scriptura,merito que celebrati, quẽadmodum narret Iosephus in extremo libro secundo Antiquitatum, visum est hic adscribere:habet enim paraphrasticam eius rei expositionem, sanè quàm illustrem atque concinnam,simulq; periucundam.

Iosephi per illustris enarratio historia Mosis, qua de trãsitu Hebræorum per mare rubrum scripta est Exo. 14.

Verba Iosephi hanc historiam commemorantis, huiusmodi sunt: Aegyptios mox pœnituit, quod Hebręos dimisissent:cumq; Rex prę cæteris id ægrè ferret,præstigijs Mosis imputans,quod factum erat,decretum est, vt quamprimũ correptis armis, omniq; bellico apparatu eos insequerentur,retracturi si possent assequi:(sperabant autem fore, vt facilè in potestatem suam redigerent homines inermes, & de via lassos.Itaque obuium quemque rogantes qua tenderent,raptim insequebantur,tametsi per viam difficilem non solùm exercitibus, sed expeditis quoque viatoribus.Moses namque per huiusmodi viam Hebræos deduxerat, vt si Aegyptij,mutata sententia, sequi eos vellent, pœnas malitiæ, violatique pacti persoluerent: nève Palæstini, qui ob veterem simultatem infensi erant Hebræis, de profectione ipsorum certiores fieri possent; est enim regio illorum Aegypto cõtermina. Sed vbi ad rubrum mare peruentum est,ecce Aegyptiorum multitudo circumfusa,in arctum Hebræos compellebat. Aderant enim septingenti currus,cũ equitũ quinquaginta millibus, & præterea scutatorum peditũ ducenta millia. Hi vias omnes obsederant, quibus effugiũ Hebræis patere poterat inter rupes & mare conclusis: quo loco mons etiam præruptis rupibus inuius,ad littus vsq; procurrebat: atque ita ne fugæ quidem spe relicta,Hebræos mare inter & montem obsidione premebant;oppositis armatis; qua exitus in campos aperiebat. In hac locorum iniquitate conclusi Hebræi, cùm nec obsidionem præ inopia diu tolerare,nec exitum & fugam inuenire possent,nec armis admodũ instructi essent, etiamsi maximè pugnare cuperent, nihil superesse videbant,nisi vt turpi deditione saluti cõsulerent. Quo factũ est, vt Mosen grauissimis verbis accusarẽt,obliti prodigiorũ,quibus libertatẽ eis Deus promiserat,minimumq; aberat, quin Propheta lapidato,spretisque

que

que per incredulitatem diuinis promissis, oblata Aegyptijs deditione in pristinam eorū seruitutem redirent: nam & lamentis mulierū & puerorum exasperabantur. Moses autē efferata licet contra se turba, nulli succumbens difficultati, non cessabat eis prospicere, Deo fretus, quem post tot libertatis præsagia, probabile nō erat, permissurum, vt aut delerentur, aut in potestatem inimicorum redigerentur.

Oratio Mosis ad Hebræos. Cùm itaque Moses medius in cōcione constitisset, tali ad Hebræos oratione vsus est: si homo quispiam res vestras benè ac prudēter hactenus administrasset, oportebat & in posterum similem eius curam & diligentiā expectare: nūc autem cum Deus ipse gubernādos vos, tuendosq; susceperit, quantæ fuerit insaniæ non sperare opem eius, qui per me vltro vobis præstitit quicquid ad vestrā salutem ac libertatem conferre videbatur? Immo verò hæc ipsa difficultas & angustia, magis vos ad sperandū accendere debuerat: Deus enim vos in arctū hunc locum concludi voluit, vt ex tanta necessitate, præter vestram, & omniū opinionē, seruaret; atque ita declararet non solùm potentiam suam, sed fauorē etiam, quo vos perpetuò prosequitur. Non enim in paruis rebus, Deus propitius, tātùm ferre auxiliū solet; sed in arduis maximè, & tunc potissimū, quādo spei superest minimū. Ergo huius ope freti, qui potest ex paruis magna facere & hostium potentiā infringere, ne terreamini Aegyptiorum apparatu, neq;, propter fugam mari & montibus impeditam, animū despondete: potest enim Deus & mōtes in planitiem, & mare in terram vertere. Moses hęc effatus, ad mare Hebræos, Aegyptijs spectantibus, ducebat. Habētes enim illi eos sub oculos, quod essent in sequendo defatigati, pugnā in sequentem diem differre consultius putabāt. Vbi verò ad extremū littus maris ventum est, tunc Moses, sumpta virga, Deum in auxilium supplex inuocat

Oratio Mosis ad Deū. dicens: Tu Domine scis, quod nec viribus, nec artibus humanis vllum nobis hinc patet effugium: superest vt ipse salutē huic populo expedias, qui relicta Aegypto huc est delatus, tuā voluntatem, tuamq; fidē secutus. Ad te solum, omni alia spe, omniq; consilio destituti, confugimus: ad tuam tantū prouidētiā respicimus, quæ sola nos iratis Aegyptijs eripere potest. Succurre nobis propetè, & populū tuū, iam desperantē salutē, ad fiduciā & spē tui auxilij excita: in difficultatibus constituti sumus, sed nostris, non tuis. Tuū est Dn̄e, hoc mare, tuus est & hic mōs, qui nos claudit: si vis, & hic potest, iubente te, aperiri, & illud in terram verti: possumus & per aerem sublimes effugere, si ita seruare nos, tibi placeat. Hæc Moses precat⁹, mare virga percutit, quo ictu repentè scissum, & retrorsum se recipiēs, nudū solum Hebræis ad fugā capessendā relinquit. Vidēs porrò Moses adesse Deū, & mare de suo loco cessisse, primus progreditur, hortaturq; Hebræos vt alacriter sequantur per viā diuinitus datā; & læti peracto periculo gratias agant, ob tā incredibilē salutis rationē tam subitò exortā. Illis verò impigrè subsequentibus, nimirum diuina ope fretis, Aegyptij primū insanire eos putabant, in manifestam perniciem ruētes; sed postquā viderunt eos longè processisse, & impunè atque expeditè iter facere, impetu facto insequi eos cœperunt, quasi & ipsi tutū p mare iter habituri: & præmissis equitibus, à littore in mare descenderunt. Iamq; in aduersum littus euaserāt Hebræi, hostibus à tergo relictis, quos armis graues, ipsa etiam miraculi nouitas nonnihil est remorata: sed cùm incolumes illos terram tenere viderēt, eundem sibi quoque pollicebantur euentum. Verùm eos talis fefellit opinio, nescientes non quorumlibet talem esse viam, sed Hebræorum tantum; & fugientibus eam solùm patere ad salutem, non hostibus qui eos perdendi animo insectabantur. Ergo cùm iam uniuersus exercitus introgressus esset mare, refunditur iterum, & Aegyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam eodem impellentibus: accesserunt & imbres de cœlo, & aspera tonitrua fulguribus simul intermicantibus, fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo, hominibus ad perniciem immitti

immitti solent. Etenim nox caliginosa nimis ac tenebrosa hostes comprehendit, atque ita totus ille deletus est exercitus, vt ne nuncius quidem cladis domum reuerteretur.

2. Hebræi autem uix sui compotes erant præ gaudio ex tam inopinata salute concepto: accedebat huc etiam spectabilis hostium interitus, nemine superstite qui eos in seruitutem vindicare cuperet, & Deo ipsis ex professo auxilium submittente. Quapropter, tum sua salute, tum inimicorum supplicio læti, magis quàm vlli antea homines in hymnis atque hilaritate totam noctem exegerunt: & Moses carmen laudes Dei, &, ob præsentem fauorem, gratiarum actiones continens, hexametro versu composuit.

Hæc ego ut in sacris Codicibus inueni, ita sigillatim conscripsi. Nemo autem mirari debet tanquam incredibile, si priscis hominibus, & ad malitiam etiam tunc rudibus, de salute periclitantibus, uia per mare patuit, siue Dei uoluntate, siue naturæ sponte. *Memorabilis historia.* Etenim heri & nudius tertius, Alexandri Magni ductu, Macedonibus Pamphylium mare cessit, ac aliam uiam non habentibus, per seipsum iter aperuit; cum Deus eius opera ad destruendum Persarum Imperium vti decreuisset: id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt. Verùm de his, ut cuique libet, ita sentiat. Hactenus fuere Iosephi verba, quæ hic commemorata sunt. Horum autem similia scribit etiam Philo & in libro *Philo.* primo & in tertio de vita Mosis, vbi mirabilitatem huius transitus per mare rubrum describit: sed mihi narratio & descriptio Iosephi, copiosior, & luculentior visa est.

PRIMA DISPVTATIO.

An diuisio illa maris rubri à Deo per ventum facta sit: & quo tempore ea maris diuisio contigerit.

SVPER ILLIS VERBIS Scripturæ, Exodi 14.

Cùm extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus flante uento uehemẽti, & urente tota nocte, & uertit in siccum. *Versu 21.*

3. *Ventus non diuisit aquas maris rubri.* NON est putandum, diuisionem illam maris esse à Deo factam virtute alicuius venti, tanquam instrumento diuinæ potentiæ. Dupliciter enim cogitare licet ventum fuisse causam eius diuisionis: vel per vim propulsiuam, qua uentus magno impetu aquas extruserit ex loco suo. Sed hoc existimare non conuenit: tum quia uentus propellit superiores tantum partes aquæ; non potest autem facere talem expulsionem & diuisionẽ aquarum, vsque ad profundum: tum etiam, quia ventus non sic diuisisset aquas, ut diuisæ sunt, faciendo scilicet uiam mediam nudatam aquis; sed protrusisset aquam maris extra alueum suũ in alium locum, nec tenuisset aquas vtrimque in morem parietum consistentes. Aut cogitare licet, uentum diuisisse aquas, non per motum localem expellendo, sed naturali qualitate sua, virtuteq́ue vrendi, siccando & absumendo aquas. At enim, non est facilè creditu, potuisse uento impertiri tãtam uim siccandi, ut tanta breuitate temporis, quanta diuisio illa maris facta est, tantam aquarum molem siccaret, & absumeret. Deinde, vt demus potuisse id à Deo concedi uento, attamen statim ut uentus cessasset, aquæ refluxissent in suum pristinum & naturalem locũ: oportuit autem tunc uentum cessasse;

cum

cum Hebræi intrarunt mare; alioqui cum ventus ille è regione ipsorum flaret, proculdubio magno illis incommodo & molestiæ fuisset, simulque magno impedimento ad transeundum mare.

4. Ergo diuisio aquarum illius maris, earumque consistentia instar muri ex vtraque parte, relicta in medio via ad transeũdum, à Deo facta est ministerio Angelorum: ventus porrò adhibitus est ad siccandum fundum maris, quod, diuisis & amotis utrinque aquis, relictum fuerat humidum & limosum ac lutulentum. Idem sensit Caietanus super hoc loco Exodi ita scribens: Pro eo quòd Latina translatio habet: *Et abstulit illud Dominus:* iuxta Hebræum habetur: *Et duxit Iehouah mare*. quibus uerbis non consumptio aquarum, sed ductio significatur: vt intelligamus, quemadmodum stante Iordanis flumine, têpore Iosue, tumuerunt aquæ in parte superiori; ita in hoc Hebræorum transitu, aquas maris ad dexteram & ad sinistrã ductas esse, tumescentes in altitudine hinc & inde. Et attribuitur hoc miraculum Iehouah: vt summi Dei operatio etiam in mari, contra naturam aquarũ, manifestetur. Causa verò secunda ad exsiccandam terram quæ fuerat sub mari, adhibita narratur fuisse orientalis ventus fortis, non tamen ad diuidendum mare. Nam separatio aquarum in tanta latitudine, vt vniuersam multitudinem Hebræorum turmatim proficiscentem caperet, subitò facta est: exiccatio autẽ fundi maris per ventum successiuè facta est. Sic Caietanus.

Caietanus.

Iosue 2.

5. *Quis uentus fuerit quo siccatũ est maris fundum.* Sed quis aut qualis fuit ventus ille adeo potens atque efficax, vt breuissimo tempore, fundum maris exiccando, cômodum illac Hebræis iter & transitum præbuerit? Quidam putarunt, fuisse eũ ventum Borealem & Aquilonarem, quippe qui magnam habet vim exiccandi quæ humida sunt. Sed hoc minimè verum est. A parte enim septentrionali maris rubri, erant maximæ rupes, celsissimique scopuli solitudinis Ethan: qui sicut impedimento fuerunt Hebræis, ne illac per terram iter facerent, quod alioquin eis commodissimum fuisset: ita vel impedissent flatũ Boreæ, vel certè impetum eius ualde fregissent ac repressissent, ne ab eo talis effectus prouenire, & mari accidere posset. LXX. Interpretes eum ventum appellant Notum, id est, Austrum: quos Philo secutus ventum flantem in diuisione maris rubri, appellat itidem Austrum; eum verò, quo aquæ rursus in suum pristinum locum repulsæ ac reductæ sunt, nominat Aquilonem. Sic enim scribit in libro primo de vita Mosis: Post solis occasum, exortus est Auster vehementissimus: qui mare tunc solitum cum æstu decedere, protrusit etiam vlterius nudatis littoribus, sicut fit in torrentũ eluuie. Et paulò post: Hostes, inquit, undis marinis rursus in vnum coeuntibus, mergebantur cum suis equis & curribus; æstum refluum voluentibus etiam Aquilonis flatibus, vt ne signifer quidem superstes relinqueretur nuntiaturus acceptam cladem Aegyptijs. Hæc Philo. Sed enim eum ventum fuisse orientalem, satis argumenti est, quod Scriptura hebraica sic eum appellat: ita enim habet hoc loco ad uerbum Latinè reddita: *Et duxit Dominus mare in uento orientali forti.* Eodem quoque modo vocat Paraphrasis Chaldaica. Quod etiam per se satis credibile est: Hebræi namque tunc iter faciebant contra oriẽtem, & contra mare rubrum, quod est Aegypto orientale.

Philo.

6. *Quando facta sit diuisio maris.* Sed quo tempore diuisio illa maris rubri facta est? Nocte videlicet: id enim apertè docet Scriptura illis uerbis: *Abstulit illud Dominus flante uento uehementi, & urente tota nocte*. Veteres porrò noctem quatuor in partes diuidebant, ternas cuique parti horas assignando, easque partes nocabulis ex militari disciplina ductis appellabant vigilias, noctemque quatuor in vigilias distribuebant. Hebræi accesserunt ad mare rubrum initio noctis & primæ uigiliæ; quo tempore, Mose virga percutiente aquas, diuisum est mare rubrum, patente uia per eius profundum. Sed quia vadum, & profundum maris, admodum erat humidum & limosum, nec benè pedib. meabile, substiterunt Hebræi in littore:

tunc Deus immisit ventum vrentem vehementissimum, cuius perpetuo flatu, ab initio noctis vsque ad mediam noctem, & vltra, siccatum est solum maris. Tunc autem, cessante vento, Hebræi, in tertia vigilia ingressi sunt per viam illam maris, & circa initium quartæ vigiliæ, euaserunt omnes ad littus incolumes. Aegyptij porrò, circa finem tertiæ vigiliæ, ausi sunt etiam ipsi viam ingredi factam in mari, cæco impetu ac furore insequendo Hebræos: sed circa initium quartæ vigiliæ, quam Scriptura hic vocat matutinam, quòd ea terminetur in Aurora. cùm verò iam propè esset diluculum & mane, Hebræique iam egressi essent ex mari, vniuersúsq; Aegyptiorum exercitus in medio esset maris: tunc, iussu Dei, & Mose virga percutiente aquas, reuersæ iterum sunt maris aquæ in priorem locum suum, opprimentes atque operientes omnem exercitum Aegyptiorum. Itaque, tota ferè nox in effectione huius miraculi consumpta est: nam quod Scriptura ait in hoc decimo quarto capite Exodi, ventum illum flauisse tota nocte, propterea sic dictum esse putandum est, quia flauit maxima noctis parte, cœpit enim flare initio noctis, & perdurauit vltra mediam noctem.

SECVNDA DISPVTATIO.

An per vnam tantùm uiam uniuersus Hebræorum exercitus transierit mare rubrum, an verò per duodecim vias.

SVPER ILLIS VERBIS,

Versu 22. Diuisa est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua, quasi murus à dextra eorum & læua.

7. PErantiquā fuisse traditionē tum Hebræorū, tū etiā Christianorū, diuisū esse tūc mare rubrū in duodecim vias, pro numero videlicet duodecim tribuū populi Hebræi, vt suā quæq; tribus viā ingrederetur ad trāseūdū mare, à multis est proditū. Origenes certè in Homilia super hūc locū Exodi, eiusmodi traditionē tāquā à maioribus acceptā cōmemorat his verbis: Mira Dei potētia. Cogitur fluctus in cumulū, & vnda in semetipsā repressa curuatur: soliditatē recipit liquor, & solū maris arescit in puluerē, vt sicca plāta populus Dei transiret. Bonitatē Dei creatoris intellige: si voluntati eius obtemperes, si legē eius sequaris, ipse tibi elementa, etiā contra naturam suā, seruire compellet. Audiui à maioribus traditum, quod in ista diuisione maris, singulis quibusq; tribubus Hebræorum, singulæ aquarum diuisiones factæ sunt, & propria vnicuiq; tribui in mari aperta est via. Idq; ostēdi aiunt ex eo, quod in Psalmo 135. scriptū est: *Qui diuisit mare rubrū in diuisiones.* Per quod multæ diuisiones docētur factæ, & non vna tantùm. Ideq; ostēdi per illud: *Beniamin iunior in stupore: Principes Iuda duces eorum. principes Zabulon, & principes Nephthalim.* Significatur enim, proprium vnicuique tribui datum esse ingressum in mare. Hæc à maiorib. obseruata in Scripturis diuinis, religiosum credidi non tacere. Sic Origenes. Hanc traditionem sequens Thostatus, arbitratur, factas esse in mari rubro duodecim vias, vt proprius cuiq; tribui per mare trāsitus pateret: nec alio firmat argumento quàm testimonio Dauidis ex Psal. 135. proximè allato. Eiusdem quoque traditionis & opinionis probator & adstipulator est Genebrardus, verba illa: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* sic explanans: Diuisum est mare rubrū in multas partes & sectiones, tanquam in muros multos, coagulatis & condēsatis aquis: in duodecim nēpe sectiones, pro numero tribuū, vt quæq; suū haberet iter, & celerius traijceret. Hebræi hoc habēt in suis traditionib. vt narrat Aben Esra super hoc decimū quartū caput Exodi, & Epiphanius cōtra Origenē in Hæresi sexagesima quarta. Ita Genebrardus.

Origenes.

Psal. 67.

Thostatus.

Genebrardus.

Abē Esra.

Epiphani⁹.

8. At enim Theodoretus in quæstione 25. in Exodum, licet istam traditionem dicat nec fidei, nec pietati Christianæ aduer-

Theodoret⁹.

aduersari; congruentius tamen diuinæ Scripturæ, ac probabilius esse censet, vnam tantùm in mari rubro factã esse viam in trãsitu Hebræorum amplissimè patentem. Verba Theodoreti hæc sunt. Quidam ferunt diuisum esse mare rubrum duodecim sectionibus, & vnamquamque tribum seorsim transiuisse; idque putant indicasse Dauid verbis illis: *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* Ego autem existimo, bifariam tantùm fuisse mare diuisum, hoc indicante Scriptura, cùm air: *Aqua erat tanquam murus à dextris & à sinistris.* Latamque viam fuisse, & numero trafeuntium conueniẽrem, sicut dixit Scriptura in Psal. 105. *Deduxit eos in abysso sicut in deserto.* quod videtur indicare facilitatem viæ patentis. Non tamen prior ille intellectus, verbo pietatis aduersatur: vtrumque enim est opus diuinum & admirandum; sequi tamen debemus indubitatæ Scripturæ veritatem. Tradidit porrò iustissimus iudex exitio aquarum Pharaonem cũ toto exercitu, quia per aquas interemerat infantes Hebræorum. Hæc ibi Theodoretus. Idem verò explanans verba illa Psalmi 135. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones*. istiusmodi diuisiones vocat fabulam Iudæorum, hunc in modum scribens; Nonnulli, Iudæorum fabulas secuti, dixerũt, diuisiones maris rubri, æqualis numeri duodecim tribubus Hebræorum esse factas: quoniam Dauid non diuisionem sed diuisiones dixit. Verũ scire istos oportuit, mari bifariã secto, duo pro vno facta esse maria: nam aqua ipsis murus erat à dextris & à sinistris: quapropter diuisionem in duo maria, diuisiones appellauit. Sic Theodoretus. Idemque scribit Euthymius eundẽ Psalmum exponens.

Euthymi⁹.

9. *Lyranus.* Cum Theodoreto consentiens Lyranus censet, vnam tantùm in mari rubro factam esse viam capacem totius exercitus Hebræorũ. Quod autem Dauid appellauit diuisiones maris rubri, id dupliciter interpretatur; vel enim vsurpasse eum pluralem numerum pro singulari, quod frequẽter in Scriptura fieri solet: vel, quod vnica illa diuisio maris, cùm propter amplitudinem instar esset plurium, ad hoc significandũ, appellata sue rit plurali numero diuisiones. Addit præterea veterem quandam huiusmodi traditionem Hebræorum: cum Hebræi vidissent mare diuisum, attonitos obstupuisse, nec se illi viæ cõmittere ausos esse: sed Aminadab principem tribus Iuda, ante omnes, magno animo esse ingressum mare; cuius exemplo animatos cæteros omnes sequi non dubitasse. Atque eo facto dicunt tribum Iuda promeruisse principatum & primatum in populo Hebræo, iã ante promissum & prædictum ei à Iacob, Genes. 49. Huc etiam spectare putant illa verba quæ sunt in Canticis Canticorum: *Anima mea conturbauit me, propter quadrigas Aminadab.* Ita Lyranus. S. Hieronymus traditionẽ istam vocat fabulam. Nam exponens illa verba Oseæ cap. 11. *Iuda autem testis descendit cum Deo, & cum Sanctis fidelis*, hoc modo scribit: Tradunt Hebræi huiuscemodi fabulam: In exitu Israel ex Aegypto, quãdo ex vna parte mons, ex alia rubrum mare, & ex alia Pharaonis cingebat exercitus, & inclusus populus tenebatur; cæteris tribubus desperantibus salutem, & aut reuerti in Aegyptũ, aut bellare cupientibus, solus Iuda fideliter ingressus est mare, vnde & regnũ meruit accipere. Et hoc esse quod nunc dicitur: *Iuda testis sermonum Dei, & adstipulator ac vindex, descẽdit cum Deo in mare, & inter Sanctos fuit fidelissimus, vt verbis iubentis crederet Dei.* Hoc illi dicunt. Sic Hieronymus. Iosephus tamen in extremo libri secundi Antiquitatũ apertè scribit, diuiso mari rubro, primũ omnium esse ingressum Mosen, vt præeundo, animũ faceret omnib⁹ ad trãseũdũ. *Cantic. 6.*

10. *Auctoris sententia, vnam tantum esse factam in mari rubro viam.* Ego vnam tantùm in mari viam esse factam censeo: idque tribus hisce argumentis mihi ipse persuadeo. Si non vna via, sed duodecim essent factæ, id profectò miraculum fuisset multo insignius & memorabilius, & illustrius diuinæ potestatis, & prouidentiæ testimoniũ: non igitur id tacuisset diuina Scriptura, vt quod magis declararet atque illustraret Dei potestatem, & singularem erga Hebræos beneuolentiam eius atque curam. Diuina porrò Scriptura non solùm id tacuit, sed vnam potius viam esse in mari factam non obscurè signifi-

cauit dicens Exodi 14. *Diuisa est aqua, & ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læua*. Et alibi cùm de hoc miraculo loquitur, singulari numero diuisionem maris, & viam in eo factã nominat; præter locum illum Psal. 135. de quo mox dicemus. Deinde, sentétia est Theologorum firmata consensu: Nõ esse sine necessitate multiplicanda miracula: sed ad transitum Hebræorum per mare, satis erat vnam fieri viam ita paté tem, vt commodè vniuersus populus vadum maris permeare posset; nec opus erat tanta multiplicatione & distinctione viarum in mari. Adhæc, illa distinctio duodecim viarum, non solum non fuisset duodecim tribubus ad transeundum mare commoda & grata, sed etiã fuisset incõmodissima & molestissima, & ingentis causa confusionis & perturbationis. Erant enim tunc, propter angustias locorum, & trepidationem, metumque Aegyptiorum, Hebræi omnes, confusis tribubus inuicem permixti: nõ itaque tam facile, nec tam expeditè, nec tam citò, quàm opus tunc erat, potuissent omnes tribus inuicem segregari, & suam vnaquæque viam maris ingredi. Quin etiam, cùm Moses non nisi per vnam viam ire potuisset, quam teneret videlicet aut tribus Iuda, aut potius tribus Leui, cuius ipse erat, acerbissimum profectò cæteris omnibus fuisset, tali antesignano & duce priuari, cum omnium spes & fiducia, in eo vno maxime inclinatè recumberet: absentia itaque eius, cæterorum omnium alacritatem, & fiduciam transeundi mare, vehementer debilitasset.

11. Locus Psal. 135. Sed opponunt nobis verba illa Dauidis Psalmi 135. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* Verùm id haudquaquã officit sententiæ nostræ: dicit enim numero multitudinis *diuisiones*, vel vsurpando plurale pro singulari, vt fit sæpè in sacris literis: vel, sicut interpretatus est Theodoretus, quia facta vna via per medium mare, bifariam diuisum est mare, & duo maria inter se diuisa extiterunt. Audiat Lector quemadmodum locum istum Dauidis, ita vt nos diximus,

Caietanus. exposuerit Caietanus. Is pro, *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones*, sic legit iuxta hebraicam veritatem: *Incidenti mare rubrum incisionibus*. Quam lectionem exponens, ita scribit: Hic textus materiã præbet opinandi, quod filij Israel per mare rubrum multis vijs transierint, & vt aiunt, duodecim vijs, iuxta numerum duodecim tribuum: quia hic dicitur mare rubrum incisum incisionibus: ex eo enim quod plurali numero memorantur incisiones, argumentum sumptũ est, quod in pluribus locis mare diuisum fuerit. Sed hoc argumentum non cogit, quoniam vna incisio, plures facit incisiones. Incidendo enim panem in duas partes, relinquuntur ex vno incidendi actu, duæ incisiones vna in vna parte, & altera in reliqua. Et explicauit hoc Propheta ad significandum, quod Deus sic incidit mare rubrum, vt incisiones remanserint hinc & inde in partibus seorsim. Quod Scriptura sub alijs verbis dixit Exodi 14. quod Deus ita diuisit mare, vt aquæ essent pro muro, à dextris & à sinistris. Vnde ex isto textu Dauidis, non habetur pluralitas diuisionum: sed vna diuisio remanens in duabus incisionibus à dextris, & à sinistris. Ita Caietanus.

TERTIA DISPVTATIO.

An Hebræi totam maris rubri latitudinem transmeauerint, vsque ad littus oppositum peruenientes.

SATIS litigosa inter huius historiæ tractatores disceptatio est, an Hebræi transeuntes mare rubrũ, ex uno littore ad alterum vsque littus aduersum euaserint: an potius parte aliqua latitudinis maris directò traiecta, reflexo postea itinere, reuersi fuerint ad idem littus, per quod ingressi mare fuerant, non tamen ad eundem littoris locum. Hebræorum opinio est, filios Israel aliquanta maris parte directò transmissa, postea retrocedentes, redijsse ad idem littus, vnde ingressi fuerant mare: quã senten- 12 Hebræorũ opinio.

sententiam & cupidè sequitur, & pugnaciter defendit, multisque argumentis firmare conatur Thostatus in quæstione nona super caput 14. Exodi. Principio, inquit, directum iter Hebræis in terram promissionis, futurum erat per terram, quæ erat à parte Septentrionali maris rubri: sed quia impeditum erat, atque inuium illud iter propter ingentes, præruptasque rupes, celsosque scopulos solitudinis Ethan, imminentes mari rubro, & impedientes illac transitum; idcirco Hebræi, dirigente Deo, emensi aliquantam maris partem, reflexo gradu redierunt ad idem littus, vltra illas scilicet rupes & scopulos, vt inde per terram iter facerent. Hinc satis apparet, fuisse superuacaneum futurū, si totam illi maris latitudinem transgressi fuissent. Deinde, insequentes Aegyptij Hebræos, & ingressi mare, obruti sunt aquis, & eorum cadauera, eiecta sunt in littus, haud dubiè propinquius; solet enim mare cadauera submersorū hominum quasi euomendo, in propinquius eijcere littus: sed Aegyptijs propinquius erat littus per quod ingressi sunt in mare & ipsi, & Hebræi quos insequebantur; in illud igitur littus cadauera eorum delata sunt. Ea porrò cadauera non potuissent ab Hebræis ex mari iam egressis videri & spectari, sicut vidisse eos & spectasse narrat Scriptura Exodi 14. nisi & ipsi ad idem littus fuissent regressi.

Thostatus.

31. Præterea, Hebræi vix quatuor, vel ad summū, quinque horis morati sunt intra mare, quod ex narratione ipsius Scripturæ ita potest colligi: Vltra mediam noctem flauit ventus vrens & desiccans fundum maris: postea ingressi sunt Hebræi mare, quippe qui per medium sicci maris, vt tradit Scriptura, iter fecerunt: Egressis porrò ipsis ex mari, occisi sunt Aegyptij, ante finem videlicet vigiliæ matutinæ, hoc est, propè ipsum diluculū: spatio autem quinque horarum, non potuisset tota maris rubri latitudo, quæ satis magna est, trāsmitti. Adhæc, in capite 13. Exodi scriptum est, Hebræos castrametatos esse in extremitate solitudinis Ethan, & inde venisse ad mare rubrum. Mari autem traiecto, rursus intrasse Hebræos eandem solitudinem Ethan, & per eam tribus diebus iter fecisse, quoad venerunt ad locum dictum Marà, perspicuè in libro Numerorum, cap. 33. proditum est his verbis: *De Soccoth venerunt in Ethan, quæ est in extremis finibus solitudinis, & transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Ethan, castrametati sunt in Marà.* Intrarunt igitur per Ethan in mare; & ex mari egressi rursus iter fecerunt per Ethan: ergò redierunt ad eundem locum, ex quo mare intrauerant. Ex compositione autem & collatione eorum quæ dicuntur in capite 15. Exodi cum ijs quæ narrantur in libro Numerorum, cap. 33. intelligere licet, eundem locum fuisse desertum Sur, & solitudinem Ethan. Nam Exodi 15. scriptum est, Hebræos è mari egressos primùm venisse in desertum Sur, & per id, confecto trium dierum itinere, venisse in locum nominatum Marà: hoc autem idem triduanum iter fecisse Hebræos per solitudinem Ethan, narratur in dicto libro Numerorum, cap. 33. vt hinc manifestum sit, eandem solitudinem Exodi 15. appellari Sur, & in libro Numerorum, cap. 33. vocari Ethan. Deceptus igitur est Lyranus, istas solitudines ratus diuersas esse: & inde argumentans, Hebræos mari egressos, non rediisse ad eundem locum, quoniam intrauerant mare per solitudinem Ethan, & egressi mare, venerūt in solitudinem Sur, ut traditur Exodi decimo quinto.

His adde, quod si Hebræi transissent ad oppositum littus maris rubri, necesse fuisset eos bis idem mare transire: & 32.
tunc oportuisset iterum fieri diuisionem maris rubri, nam loca circumiacentia opposita littori, non erant habitata, vt possent ibi nauigia inueniri, quibus tota illa multitudo transnauigaret mare, nec ea transnauigatio, breui tempore fieri potuisset. At sacra Scriptura non tacuisset, si vel iterum mare fuisset diuisum, uel si populus Hebræus ipsum nauigijs transmisisset. Sed cur necessum erat, dicet quispiam, iterum Hebræos regredi

per mare rubrum? Quia mare rubrum non transit per terram promissam, sed eam terminat: nam Exodi 23. termini terræ Chanaan statuuntur à mari rubro vsque ad mare Palæstinorum. Nec mare rubrum determinat terram promissionis versus Occidentem, sed uersus Orientem: nam Paulus Orosius in Procemio suæ historiæ, agens de diuisione Asiæ; mare rubrum, inquit, uenit à partibus Indiæ, & fluit iuxta latus meridionale montis Caucasi apud Aracusiam, Persidem, Mediam, & alias gentes: deinde descendit in Arabiam, & postea in Aegyptum. Sed caput Arabiæ, per quod intrat mare rubrum, magis est Orientale, quàm terra Chanaan. Si igitur Hebræi transissent mare ad oppositum littus, oportuisset iterum eos transire idem mare, vt uenirent in terram Chanaan. Ergo cum paruo itineris circumflexu per mare rubrum facto, possent pertransire scopulos solitudinis Ethan, directum iter eorum impedientes; quid attinebat semel atque iterum totam mari rubri latitudinem pertransire? Fuit itaque Hebræorum iter per mare rubrum in modum & figuram semicirculi; cuius una extremitas erat in littore, ex quo Hebræi intrauerant mare: altera extremitas erat in eodem littore, sed in diuerso, & remotiori loco, hoc est, ultra supradictum montem & scopulos; unde nimirum absque impedimento iter suum in terram Chanaan tenere poterant. Atque hæc fermè est disputatio Thostati, pro ea quam suprà exposuimus, Hebræorum opinione acriter propugnantis. Eandemque sententiam probat & sequitur Paulus Burgensis, cuius uerba paulò infrà commemorabuntur. Etiam B. Thomas uidetur idem sensisse in Commentario capitis decimi prioris epistolæ ad Corinthios.

At uerò Lyranus istam Hebræorum opinionem refellit, arbitratus Hebræos ex uno littore in alterum oppositum transisse mare rubrum. Exponens enim illa uerba Exodi decimo quarto: *Viderunt Aegyptios mortuos super littus maris*. hunc in modum scribit: Hinc dixerunt aliqui Doctores, Hebræos non transisse mare rubrum uenientes ad littus oppositum, sed ad idem littus, per quod intrauerant redijsse. Ita ut mare fuerit eis diuisum, quousque transierunt montem asperum, cuius magna pars intrabat mare, & tunc diuisio maris, in modum semicirculi, redijt ad idem littus, ultra tamen illum montem. Cuius rationem assignant, quòd sit natura maris eijcere mortuos in propinquius littus. Aegyptij uerò fuerunt submersi propè littus per quod intrauerant mare, quia non longè recesserant ab eo littore. Vnde concludunt Hebræos redijsse ad idem littus, quia ibi uiderunt mortuorum Aegyptiorum cadauera. Ad hoc etiam confirmandum adferunt id quod scriptum est in libro Numerorum, capite trigesimo tertio, Hebræos post transitum maris rubri uenisse in desertum Ethã, in quo tamen deserto fuerant prius cùm intrauerunt mare, ut traditur Exodi 13. Sic isti. At uerò Iosephus dicit expresè contrarium, scribens, Hebræos transisse mare ad littus vsque oppositum: & hoc videtur magis probabile, quia non est verisimile Deum voluisse reducere Hebræos ad terram hostium suorum. Quod autem dicitur de mortuis in littus propinquius eiectis, non valet, quia non potest colligi ex Scriptura, Aegyptios fuisse tunc propinquiores vni littori quàm alteri. Adde quod, vt Iosephus ait, Dei ordinatione factum est, vt Aegyptij eijcerentur in littus oppositum, ad consolationem nempe & securitatem Hebræorum, ne amplius timerent Aegyptios, & vt haberent eorum arma, quibus aduersus insurgentes postea hostes vti possent. Ad illud verò quod ex libro Numerorum allatum est, respondetur, non esse idem desertum Ethan, ex quo Hebræi intrarunt mare rubrum, & in quod transito mari, venisse dicuntur, sed diuersum, eiusdem tamen nominis; frequens enim est in Scriptura, diuersas ciuitates & loca, eodem nomine appellari. Desertum autem in quod Hebræi, transito mari venerunt, proprio nomine appellatum esse deser

tum

tum Sur, apertè traditur infrà Exodi decimo quinto, illis verbis: *Tulit Moses Israel de mari rubro, & ingressi sunt in desertum Sur, ambulaueruntq; tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam.* Hæc Lyranus.

16. *Paul° Burgensis.* Ad hanc autem Lyrani Postillam Paulus Burgensis additionem quandā fecit, in qua supradictam eius sententiam confutat, ad hunc modum scribens: Opinio Iosephi in hoc loco non videtur tenenda, nam secundum eam oporteret dicere, Desertum Ethan esse duplex, vnum citra mare rubrum, & alterum vltra: cùm tamen Scriptura potius sonet esse vnum atque idem desertum Ethan, in quo fuerunt ante ingressum in mare rubrum, & in quod venerunt statim post egressum ex mari rubro. Quod autem Postillator, sequendo opinionem Iosephi, argumentatur, Hebræos non redijsse ad idem littus maris, ex eo quod non sit verisimile, voluisse Deum reducere Hebræos ad terram suorum hostium, concedendū est: sed ex eo non concludit ipse quod intendit. Etenim mare rubrum erat aliqua ex parte propinquum terræ Aegypti, quippe cùm triduo ad id peruenerint Hebræi, licet fessi & onusti: idemque mare extendebatur vsque ad terrā promissionis, terminando eam secundum plagam orientalem, vt traditur Exodi 23. Et ideo filij Israel transeuntes per littus eius maris, secundum longitudinem, longiùs recesserunt ab Aegypto. Itaque intelligere oportet, desertum Ethan fuisse idem & totum existēs propè mare rubrum: & fuisse magnum desertum, cuius vna pars erat propinqua Aegypto, per quam scilicet Hebræi sunt ingressi mare: & altera pars erat remotior ab Aegypto, in quam deuenerunt Hebræi post egressum è mari rubro, & in ea parte continebatur desertum Sur, tanquam particula in toto: ex quo patet quod dicitur Exodi decimo quinto, Hebræos, mari egressos, venisse in desertū Sur: & quod dicitur Numerorū trigesimo tertio, Hebræos statim post mare rubrum venisse in desertum Ethan, esse vtrumque verum; nam Sur est pars quædam ipsius Ethan, quod lōgius distat ab Aegypto. Hęc Burgensis.

17. *Caietanus in cap. 14. Exodi.* At verò Caietanus, Lyrani sententiæ accedens, breuiter docet, Hebræos transisse mare rubrum vsque in littus oppositum; & duabus præcipuis Thostati rationibus, vni de cadaueribus Aegyptiorum in propinquius littus abiectis, & ibi visis à populo Hebræo; alteri de solitudine Ethan, in qua fuisse dicūtur Hebræi, & ante ingressum in mare, & post egressum ex ipso mari expeditè appositeque respondet, ad hunc modū scribens: Magna tractatur quæstio à nōnullis, de situ littoris maris rubri, in qđ Hebræi transito mari peruenerunt, tum occasione cadauerum eiectorum à mari, tum identitate nominis deserti Ethā. Nonnulli enim argumentantur, eandē fuisse ripam maris ad quam appulerūt Hebræi, & ex qua ingressi sunt mare: quia mare eijcit mortuos ad littus propinquius submersioni: perspicuum est autem, Aegyptios velociter fugiētes, à vigilia matutina vsque ad mare, propinquiores fuisse littori ex quo ingressi fuerant, vbi tamen eos viderūt Hebręi iam transito mari. Idem quoq; testificatur nomen deserti Ethan, nam & per hoc dicuntur Exodi 13. venisse in mare rubrum, & in idem venisse Hebræos post transitum maris, scriptum est in libro Numerorum capite 33. Verùm si perspicacius considerata fuerit littera Scripturæ, facilè apparebit contrarium esse verum, videlicet, quod Hebræi transeuntes mare rubrum, in oppositam vsque ripam deuenerunt. Nam ex hoc qđ Aegyptij, fugiendo Hebræos, ruerūt obuiam aquis, quibus obruti sunt, manifestatur, quod Aegyptij redibāt ad ripā, vnde egressi fuerant, & filij Israel proprium persequebantur iter ad alteram ripam: si enim ad eandem ripam, redeūdo præcessissent Aegyptios, non dicerētur Aegyptij fugientes Israelem, sed potius sequentes eum. Nec obstat, submersionem Aegyptiorum propinquiorem fuisse littori vnde ingressi fuerant mare tum quia diuino operi attribuendum est, quod Hebræi uiderunt Aegyptios mortuos in littore in quo morabantur, quod miraculum oportet fateri in quocumque littore visa sint ea cadauera se-

quenti die, quia naturaliter homo suffocatus in aquis non natat vsq; ad tot dies: sed oportuit, in testimonium diuinæ vindictę, & ad perfectam securitatẽ Hebręorum, vt viderent ipsi Aegyptios mortuos eiectos ad littus in quo morabantur ipsi. Ad huius diuini miraculi opus concurrit causa secunda, mare videlicet, ex littore vnde ingressi fuerant Aegyptij, fluens versus ipsos fugientes. Talis enim impetus maris propellebat Aegyptios, quos suffocabat, versus alterum littus, in quod iam peruenerãt Hebræi. Nec verò identitas deserti Ethan officit huic sententiæ: quoniam expressè dicitur Exodi decimo tertio, Hebræos per Ethan venisse ad illam ripam maris rubri, ex qua ingressi sunt mare: & ibidem etiam dicitur, Ethan fuisse locum in extremo illius deserti. Ex his enim duobus colligitur, quod desertũ cognominatum Ethan, extendebatur ab vna ripa vsque ad alteram ripam maris, ad quam per medium maris venerunt filij Israel. Quod etiam confirmatur ex eo, quod tam vastum erat desertũ Ethan, vt Hebræi, post egressum ex mari, tribus diebus per ipsum ambulauerint vsque ad locum Marà, vt dicitur Numeror. 33. Hæc Caietanus.

18. *Auctoris sententia.* *Gregorius Nyssenus.* Cui ego assentior potius quàm Thostato: & habeo eiusdem sententiæ probatorem Gregorium Nyssenum in Opere quod scripsit de vita Mosis, vbi sic ait: Deuenerunt Hebræi, ducem suum Mosen secuti, vsque ad littus: quos Aegyptij persecuti, vndique ita conclusérũt, vt fuga nulla humano consilio posset excogitari. Tum Moses, diuinitus motus, descendit ad littus, mareque rubrum virga percussit, & subita velut in vitro facta scissura, facilè ex altera parte in alteram peruenit. Sic ictu Mosaicæ virgæ, in oppositam vsque ripam, hinc atque hinc cedentibus aquis, scissura peruenit. *Iosephus.* Idem quoque Iosephus apertè tradit propè finem libri secundi Antiquitatum. Iam, inquit, in aduersum littus euaserant Hebræi, hostibus à tergo relictis, &c. *Philo.* Idemque reliquit scriptum Philo in libro tertio de vita Mosis, his verbis: Tempestas procellosa in littus aduersum eiecit enectorũ Aegyptiorum cumulos; quò magis seruati Hebræi, suam à Deo salutem agnoscerent, non solùm euadendo pericula, verùm etiam spectando hostes deletos ope diuina sine humanis viribus. Et notandum est, tam Iosephum, quàm Philonem supradictis in locis docere, cadauera Aegyptiorum fuisse proiecta in littus aduersum, in quod iam venerant Hebræi validissimo impetu & vi ventorum, & procellosarum tempestatum illuc versus ruentium protrusione.

QVARTA DISPVTATIO.

An diuisio illa maris rubri, fuerit super naturæ ordinem, effectus diuinæ omnipotentiæ: An sine miraculo contigerit, tanquam vel naturæ, uel humanæ prouidentiæ atque industriæ opus.

ARTAPANVS scriptor peruetus, duas fuisse apud Aegyptios de ratione & modo illius diuisionis maris rubri sententias prodidit. 19. *Artapan*. Memphitas enim ait dicere, cùm magnam eorum locorum Moses haberet peritiam refluxum maris rubri obseruasse; & ita populum Hebræum per eum locum maris traduxisse: at uerò Heliopolitas tradere, propter gazam quam Iudæi mutuo acceptam ab Aegyptijs, abstulerant, Regem Aegypti, magna manu, persecutum esse Iudæos: Mosen autem baculo percussum mare diuisisse, factaque via per mare, incolumem cum populo suo transisse. Hæc ipsa quæ hic dixi, Artapani verba, refert Eusebius *Eusebius.* in libro nono de præparatione Euangelica, capite vltimo. Iosephus extremo libro secundo Antiquitatum videtur ponere in dubio, an illa diuisio maris, facta sit singulari quadam Dei voluntate ac potentia, an sponte naturæ: quin etiam dicit, simile quippiam eius

quod

quod Hebræis contigit in mari rubro, accidisse Macedonibus ductu Alexan- *Iosephus.* dri Magni, in mari Pamphilico. Iosephi verba sunt huiusmodi: Nemo mirari debet tanquam incredibile, si priscis hominibus, & ad malitiam etiam tunc rudibus, de salute periclitantibus, via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue naturæ sponte. Etenim heri ac nudius ter- *Memorabilis historia de transitu Alexandri Magni per mare Pamphilicum.* tius, Alexandri ductu, Macedonibus Pamphilium mare cessit, & aliam viam non habentibus, illac iter aperuit; cùm Deus eius opera ad destruendum Imperium Persarum vti decreuisset: id quod omnes testantur, qui res gestas illius regis scripto prodiderunt. Sic Iosephus.

20. *Petrus Crinitus.* Sed Petrus Crinitus in libro decimo septimo de honesta disciplina, capite decimo tertio, nec verū esse credit, quod de mari Pamphilico narrat Iosephus; & negat, à quoquam veterum scriptorum esse traditu n memoriæ. Verùm nimis profectò temerè Crinitus sententiam in Iosephum pronunciauit. Cui enim credibile fiet, Iosephum, grauem nempe, doctumque scriptorem, tantæ fuisse, vel insipientiæ, vel impudentiæ, vt rem adeò insignem & admirabilem, ab omnibus rerum Alexandri scriptoribus testatam esse, mentiri vellet? Cogitare item oportuit Crinitum, multorū qui de rebus Alexandri prodiderant, intercidisse scripta, quæ Iosephi tempore extabant. Equidem memini legere, nescio quid simile eius quod ait Iose- *Q. Curti⁹.* phus apud Q. Curtium, cuius in libro quinto (nisi me fallit memoria) de rege Alexandro hæc sunt verba: Inuictus ante eam diem fuerat; nihil frustra ausus. impunè Ciliciæ fauces intrauerat; mari quoque nouum iter in Pamphiliam aperuerat, &c. Veram tamen eius rei hi- *Strabo.* storiam exposuit Strabo in libro decimo quarto; nam de mari Pamphilico loquens, sic ait: Est mōs nomine Climax, Pamphilico mari adiacens: is transitum perangustum in littore relinquit, qui, mari tranquillo, aquis ita nudatur, vt iter facientibus sit peruius: pelago autē affluente, vndis totus contegitur, transitus porrò per montem tum arduus est, tum etiam prolixus: quare tranquillo mari, via quæ in littore est, capitur ab omnibus. Alexander verò in hyemem incidens, & maximam partem rerum suarum fortunæ permittens, priusquā fluctus redirent, mouit: sed oppressus à fluctibus contigit, vt tota die iter faceret in aqua, vmbilico tenus. Hæc Strabo. Igitur casum siue euentum, quò esset admirabilior, scriptores rerum Alexandri, plus nimio exaggerantes, tanquam miraculum quoddam, vndis marinis fortunæ Alexandri cedentibus, atque fauentibus prædicarunt.

Cęterum sententiam illam Memphitarum ab Artapano memoratam, diuisionem illam maris rubri ad refluxum 21. eius maris referentium, etiam Diodorus Tarsensis præceptor S. Chrysostomi, commemorat atque confutat. Ponam hic eius verba, vt citantur à Lippomano in Catena super hoc caput decimum quartum Exodi. Propterea quod (inquit Diodorus) vestigia miraculi illius in mari rubro facti, adhuc ostenduntur, mari sese reciprocante, ac littora destituente; idcirco nonnulli Gentilium id naturæ maris illius, non diuino miraculo adscribendum esse affirmant. Quod quidem illis dandum & concedendum esset, si per reciprocationem maris fieri posset, vt in medio mari latissima via & transitus, velut Israelitis accidit, efficeretur. Itemque, si mare diuisum, à dextris & à sinistris natū aptumque est, vt solidus murus, consistere. Nam etiamsi concedatur, mare rubrum alicubi extra littus vndas effundere, & reciprocando intra littora resilire: at cùm Hebræi transirent, mare illud reciprocando locum eis transeundi dedisse nulla ratione intelligi potest. Qui enim fieri potest, vt mare, reciprocando, in muri modum, solidi, hinc atque hinc transeuntem populum circumsteterit? Hæc Diodorus. *Diodorus Tarsensis.*

Sed diuisionē illam maris fuisse mi- 22. raculum diuinæ omnipotentiæ quinque rationibus probari potest. Miraculum enim fuit, percussu virgæ Mosis, bifariā diuiso mari, factam esse in medio maris viam amplissimam, qua vniuersus Hebræus populus in aduersum vsque littus transiret incolumis, refluxus enim maris nudat solū aquis littora, vel littoribus *Diuisionē illam maris rubri fuisse miraculum diuinæ omnipotentiæ.*

pro-

propinqua loca; medium verò mare nudare aquis, nec refluxus, nec vlla potest causa naturalis: Miraculum fuit, diuiso mari, aquas ex vtraque parte ad dextram & ad sinistram instar muri marmorei constitisse immobiles. Miraculum fuit, statim vt diuisum est mare, exortum esse ventum tantæ virtutis, vt tam longum & amplum maris fundũ, valde limosum & lutulentum, breuissimo tempore ita siccaret, vt meabile faceret pedibus transeuntium Hebræorum. Miraculum fuit, aquas maris diuisas, & dum in mari fuerunt Hebræi, vtrinque consistentes immobiliter, statim post eorum ex mari egressum, ad naturalem suum liquorem, & fluorem reuersas, Aegyptios qui per mare insequebantur Hebræos, ad vnum omnes oppressisse atque obruisse.

23. *Expressa signa transitus Hebræorũ per mare rubrum mãsisse i eo mari multis post seculis.* Miraculum etiam fuit eius rei quæ tunc in mari rubro gesta est, expressa vestigia, & conspicua monumenta, multis post seculis mirabiliter permansisse. Quale fuerit huiusmodi miraculum, ex Diodoro paulo supra indicauimus: sed di ettis verbis id commemorat Paulus Orosius in libro primo suæ historiæ, capite decimo, hunc in modum scribẽs: *Paulus Orosius.* Extant etiã nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum, rotarumque orbitæ, non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, peruidentur. Quod si fortè ad tempus vel casu vel curiositate turbantur, continuò diuinitus in pristinam faciem, ventis & fluctibus reparantur: vt quisquis non docetur timorem Dei, propalatæ iam religionis studio, iræ eius transactæ vltionis terreatur exemplo. Ait post *Circa idem tempus & transitum Hebræorum per mare rubrum, & Phaetontis incendium euenisse.* hæc Orosius, circa id tempus quo miraculum illud contigit in mari rubro, accidisse etiam celebratum illud Phaetontis incendium, ita enim scribit: His etiam temporibus adeo iugis & grauis æstus incanduit, vt sol per deuia transuectus, vniuersum orbem nõ calore affecisse, sed igne torruisse dicatur: impressumq; feruorem & plus solito Aethiops, & insolitum Scytha non tulerit: ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam suam, inanes ratiunculas conquirentes, ridiculam Phaetontis fabulam texuerunt. Hæc Orosius.

QVINTA DISPVTATIO.

De comparatione diuisionis maris rubri, duce Mose, cum diuisione fluuij Iordanis, imperatore Iosue, facta.

VTRIVSQVE diuisionis triplex fuit similitudo & conuenientia Primum respectu causæ efficientis, nam vtraque diuisio aquarum, fuit diuinę omnipotentiæ opus supra omnem vim atque ordinem naturæ. Tum respectu finis: vtrũque enim miraculum in eum finem factum est, vt Hebræis per aquas iter aperiretur, quibus alia ratione transitus non patebat. Deinde respectu effectus: vtroque enim miraculo factum est, vt Hebræi crederent Deo & imperatori suo, illic Mosi, hic autem Iosue: & vt fama populi Hebræi, & diuinæ potentiæ, per omnes illas gentes longè lateque spargeretur, & cum timore ac terrore propagaretur. 24.

25 *Octo differẽtiæ inter diuisionẽ maris rubri atque Iordanis.* Sed vtriusque miraculi octo differentiæ tradi possunt. Prima hæc est. Diuisio maris rubri facta est, vt Hebræi ex Aegypto profecti, Aegyptiorum ipsos hostiliter insequentium manus effugerent. Diuisio autem Iordanis facta est, *Iosue 3.* vt Hebręi terram promissionis intrarẽt, & habitatoribus eius debellatis atque exterminatis, ipsi eam tenerent atque possiderent. Secunda, illud miraculum, percussu virgæ Mosis factum est; hoc autem præsentia arcæ Domini, quam portabant sacerdotes. Tertia: illic aqua ex vtraque parte, tanquam solidi & immobiles muri, constiterunt: hic verò aquæ superiores, versus fontem fluminis, substiterunt, subinde magis ac magis intumescentes; aquæ autem inferiores delapsæ in mare solitudinis, quod vocatur mare mortuum, intermedium fluminis alueum nudatum aquis relinquerunt.

querunt. Quarta: Hic transmisso Iordane, Iosue, duodecim in eo flumine ingentes lapides erexit, perpetuum apud posteros futurum eius miraculi monumentum; Tale verò quippiam fecisse Mosen post transitum maris rubri non legimus; videlicet, quod ea loca maris rubri non erant ab Hebræis habitanda, ob idque nullus eius monumenti vsus apud Hebræos futurus fuisset. Quinta: Illic Deus, facta diuisione maris, ventum immisit vehementissimum atque calidissimum, vt limosum eius maris fundum siccaret, & commodum transitum Iudæorum efficeret: In Iordane autem hoc factum non est propter breuitatem aluei, vadúque arenosum. Sexta: Illic vsi sunt Hebræi ductu columnæ nubis & ignis, quòd ea loca incomperta essent ipsis atq; incognita: hic autem tali columna non erat opus, cum iam attigissent fines terræ promissionis, sed pro illa columna habuere comitem ac ducem in eo transitu arcam Domini. Septima: Illic Moses, & soror eius Maria, luculentissimo cantico vnà cum viris omnibus ac fœminis miraculum illud & victoriam concelebrarunt: hic uerò nihil tale factum esse legimus. Octaua: Illic innumerabilis propemodum multitudo hostium interempta est à Deo, tum undis super eos usquequaque ruentibus submersa; tum horrendis ac prodigiosis imbribus & tonitruis atque fulminibus occisa: quorum nihil in transitu Iordanis accidisse proditum est.

Transitus Hebræorum per mare rubrum simpliciter admirabilior fuit quàm per Iordanem.

26. Sed utrum miraculum æstimari debet maius? Respondeo, transitum Hebræorum per mare rubrum pluribus fuisse nominibus, & rationibus insigniorem & admirabiliorem. Primò quidem, propter maiorem molem aquarum illic diuisam, longiusque iter per mare factum. Tum propter miraculum uenti urentis, & fundum maris exsiccantis. Deinde, ob tot Aegyptiorum necem in eo mari mirabiliter factam. Præterea, illuc factum salutarius & iucundius fuit Hebræis, qui ea ratione hostium impetum, existimatione ipsorum ineuitabilem, feliciter euaserunt: eorúque cædem uidentes, maxima uoluptate ac securitate affecti sunt; atq; eorum opulentissimis spolijs & armis locupletati, & muniti sunt. His accedit, quod illud factum & miraculum, fuit apud omnes gentes celebrius & terribilius, ipsique Hebræi cæteris postea gentibus formidabiles, & horribiles fuerunt. Atque eius miraculi memoria & fama cũ ingenti admiratione & terrore diu uiguit apud omnes illos populos, ut pluribus locis docet Scriptura. In libro enim Iosue capite secundo de isto miraculo loquens Rahab, hæc dixit exploratoribus: *Irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfecistis, & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum: Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* In libro etiam Iudith, cap. 5. sciscitanti Holoferni de gente Hebræorum, respondit Achior dux Ammonitarum cum alia, tum præcipuè & hoc: *Cum eiecissent eos Aegyptij à se, & cessasset plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, & ad suum seruitium reuocare; fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita vt hinc & inde aqua quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent: in quo loco dum innumerabilis exercitus Aegyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, vt non remaneret vel vnus qui factum posteris nunciaret.* Hinc satis liquet verum esse quod diximus, miraculum illud in mari rubro factum multifariam insignius & celebrius fuisse, quàm quod in fluuio Iordanis patratum est.

Hoc tamen Iordanis miraculum dupliciter videtur fuisse maius. Etenim cùm aqua fluminis perpetuò profluat ex fonte, necesse fuit vel iugem illam scaturiginem, fontis, vnde Iordanis emanat, ita fuisse cohibitam, vt aquas tunc non funderet; vel si scaturigo illa aquæ & fluxus non est impeditus, necessum est aquas fluminis, quæ versus fontem consistebant, subinde intumuisse citra vllam sui diffusionem, tantamque 27.

que

que in molis celsitudinem excessisse, vt instar cuiuspiam montis, è longinquo aspectabiles essent & conspicuæ. Deinde, cùm postea fluuius Iordanis redactus est ad pristinū cursum, & alueum suum, ingens ille tumor, molesque aquarum consistentium, ita paulatim & moderatè depressa, & demissa est in reliquum fluminis alueum vacuum aquis, vt non superfluxerit, atque inundauerit ripas; quod, sine ingenti miraculo fieri non potuit: secundum enim naturalem vim & propensionem aquæ illa moles aquarum, sibi relicta vehementi admodum impetu sese in illam planitiem ripis adiacentem effudisset, cunctaque illa loca obruisset atque vastasset. Hoc porrò duplex miraculum in mari rubro non est factum, quòd diuersa sit aquæ marinæ atque fluuialis ratio & natura.

SEXTA DISPVTATIO.

De submersione atque interitu Aegyptiorum in mari rubro.

SVPER ILLIS VERBIS

Versu 24. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.

28. INTERITVM Aegyptiorum in mari rubro, non solum supradictis verbis narrat Scriptura, sed etiā alijs paulò post sequentibus: *Cùm extendisset Moses manum contra mare* (inquit Scriptura) *reuersum est primo diluculo ad priorem locum; fugientibusq; Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Reuersæq; sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerāt mare; nec vnus quidem superfuit ex eis.* Et in Cantico Mosis, quod in cap. 15. Exodi traditur, sic est: *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam: diuidam spolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, et operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris. Filij autē Israel ambulauerunt per siccum in medio mari.*

29. *Artapanus apud Eusebium.* Artapanus apud Eusebium libro nono de præparatione Euangelica refert, apud Heliopolitas, nobilem Aegypti gentem, de interitu Aegyptiorū in mari rubro hanc fuisse opinionem. Mosen cœlesti præmonitum voce, baculo suo mare percussisse, & sic diuiso mari transisse: Aegyptios verò, cùm nihilominus Iudæos per idem mare insequerentur, tum fulminibus, tum refluētibus aquis perijsse. Eundem ipsum in mari rubro Aegyptiorum interitum tragica quadā oratione describens Philo in libro tertio de uita Mosis, sic ait: Mare diruptum est, aquæ secesserunt, constiterūtque in abrupto vtrinque latere, tanquam muri firmissimi: in medio rectam viam aperuit diuina magnificentia, diuidentem undas, ad præbendum iter ceu congelatas: tota gente securè pedibus traijciente mare, tanquam per siccam semitam, aut pauimentum constratum silice: induruerat enim sabulum, concretum è suis minutijs: huc accessit impetus hostium sese inuehentium, & in suā ruentiū perniciem; accessit nubis extremum agmen protegentis subsidium, emicante inde Numinis effigie: accessit maris paulò ante scissi refluxus, & uiæ prius siccatæ repentina inundatio, vnde incredibilis extitit hostium internecio, & à parietibus illis marinis, qui ex aquis cō stiterant, oppressio, fluctibus in viam prius factam tanquam in uallem confluen-

fluen-

fluentibus, & insuper tantę cladis ostẽtatio, fluitantibus cadaueribus quæ totam maris superficiem texerant: postremò tempestas procellosa, quæ in littus aduersum eiecit enectorum cumulos, quò magis, seruati Hebræi, salutẽ suam agnoscerent, non solum euadendo pericula, verùm etiã spectando hostes suos deletos ope diuina, sine humanis uiribus. Hæc Philo. *Iosephus.* Iosephus autem breuiter de hac ipsa nece Aegyptiorum ita scribit in fine libri secundi Antiquitatum: Cùm iam vniuersus exercitus Aegyptiorum mare introgressus esset, refunditur iterum mare, & Aegyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam eodem impellentibus; accesserunt & imbres de cęlo, & aspera tonitrua, fulguribus simul intermicantibus; fulmina quoque deferebantur, nihilque omninò deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent: nox quippe caliginosa nimis ac tenebrosa eos comprehendit, atque ita totus ille exercitus est deletus, vt ne nuncius quidem cladis domum reuerteretur. Sic Iosephus.

30. *Numerus occisorum in mari rubro.* Sed quantus fuit submersorum tunc in mari Aegyptiorum numerus? Certum aliquem eorum numerum Scriptura nusquam tradit: sed plurifariam indicat, numerosissimum atque robustissimum fuisse eorum exercitum. Nam in decimoquarto capite Exodi narrat, Pharaonem secum duxisse sexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit, & duces totius exercitus. Et paulò post ait: Omnem equitatum Pharaonis ingressum esse mare, & quod eos cunctumque exercitum ita operuerint aquæ, vt ne vllus quidem superfuerit. Et in Cantico Mosis dicitur, electos principes Pharaonis submersos esse in mari. *Iosephus.* Iosephus tamen certum eorum numerum, (ex antiquis opinor Hebræorum traditionibus) exposuit. Scribit enim, loco proximè citato, fuisse in exercitu Aegyptiorum, præter septingentos currus, septuaginta millia equitum, & scutatorum peditum ducenta millia. *Paulus Orosius.* Paulus Orosius in libro 1. cap. 10. amplissimum & ualidissimum fuisse illum exercitum Aegyptiorum, eo argumentatur, quod sexcenta millia virorum bellatorum, qui erant in exercitu Hebræorum, vsque adeo eum timuerunt, vt non solũ *Exodi 12.* pugnando præualere, sed etiam resistendo tueri seipsos posse diffisi, salutẽ omninò desperauerint. Itaque prioribus decem plagis, valde attritam fuisse Aegyptum; hac verò clade, hominibus fuisse uacuatam. Voluit porrò Deus cadauera Aegyptiorum in littus eiecta, vbi erant Hebræi, ab ipsis spectari, primo ut gauderent, ob vindictam hostium, à quibus diu multumque afflictati fuerant: Tum, vt securi essent salutis & libertatis adeptæ, & ab omni prorsus metu Aegyptiorum vacui. Adhæc vt grato & pio animo gratias Deo agerent, cuius & iustitiam in hostes suos, & benignitatem erga se, perpetua memoria colerent ac celebrarent; ad extremum vt spolijs hostium suorum, & opibus ditarentur, & armis munirentur, instructioresque forent, mox in Amalechitas pugnaturi.

31. *An rex Pharao tunc in mari perierit.* Quæritur, nũ etiam rex Pharao tunc in mari submersus interierit. Manethon apud Iosephum in priori libro contra Apionem, ait, post expulsionẽ Hebræorum ex Aegypto, regem qui eos expulit, regnasse annis viginti quinque, & mensibus quatuor. *Manethonis mendacium.* Sed id falsum esse, concluditur ex diuina Scriptura, quæ nec uno loco, nec obscurè docet, regem illum vnà cum alijs Aegyptijs in mari submersum perijsse. Nam in decimoquarto capite Exodi memorantur hæc Dei verba: *Indurabo cor Pharaonis, & persequetur uos, & gloriabor in Pharaone, & in omni exercitu eius*. Et post hæc subditur: *Iunxit Pharao currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Cumq́ appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos, uiderunt Aegyptios post se. Et persequentes Aegyptij ingressi sunt post eos, omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per medium mare*. Ex his manifestum fit, regem ipsum Pharaonem, cum suo exercitu, insequẽdo Hebræos ingressum esse mare rubrum. Sed eadem Scriptura, eodem in loco Exodi ait, omnes qui insequebantur Hebræos, & ingressi fuerant mare, vndis refluentibus obrutos interijsse, ita vt ne unus qui-

quidem superfuerit: Ergo tunc etiam perijt Pharao. Hoc etiam declarant verba illa Dauidis in Psalmo 135. *Excussit Pharaonem, et uirtutem eius in mari rubro.* Et in Cantico Mosis dicitur: *Ingressus est eques Pharao, cum curribus, & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris.* Perijt igitur Pharao, id exigentibus eius peccatis, Deique iustitia decernente, ut qui princeps auctor fuerat malorum Hebræi populi, etiam præcipuè, atque omnium maximè in communi Aegyptiorum supplicio, pœnas persolueret. Quocirca placet Thostato, nec sanè mihi displicet, quorundam opinio Iudæorum, à quibus proditũ est, in illa generali Aegyptiorum submersione, nouissimũ omnium perijsse Pharaonem; quò nimirum spectata suorum omnium clade, acerbiori doloris sensu, & cruciabiliori exitu interiret. Quodnã porrò nomẽ isti Regi fuerit, dissentitur. *Eusebius.* Eusebius in Chronicis scribit, fuisse Chenchten. Apud Iosephum priori libro aduersus Apionem, Manethon ait, fuisse Themosin: sed idem alio loco dixit, Regem à quo pulsi sunt Hebręi, fuisse Amenophin, idemque scriptum reliquit Chæremon. Lysimachus verò eum *Chæremon.* Regem uocat Bocchorin, quo nomine *Lysimach⁹* etiam appellat Cornelius Tacitus. Verùm super his rebus, quę ob Antiquita- *Cornelius tacitus.* tis obscuritatem, à nostra intelligentia remotæ sunt, nihil exploratè perceptum tradi potest.

SEPTIMA DISPVTATIO.

De mendacijs quæ scriptores Ethnici de causa discessus Hebræorum ex Aegypto, tradiderunt.

32. HANC porrò historiam egressionis Hebræorum ex Aegypto, & admirandi eorum per mare rubrũ transitus, quemadmodũ Ethnici scriptores, vel ignoratione veritatis, vel odio gẽtis contaminatam atque corruptã multis mendacijs prodiderint, vt liquidò cernat Lector, visum est hic pauca subijcere ex Iosepho & quibusdam alijs. In priori libro contra Apionem Iosephus Mane- *Manethon apud Iosephum.* thonem de profectione Hebræorum ex Aegypto hæc prodentem inducit: Facta est super Pastores (sic vocat Hebræos) inuasio, & bellum maximum ac diuturnum eis illatum est. Et cùm aliquandiu regnassent in Aegypto, tandem bello victi imperium Aegypti perdiderunt: atque inclusi sunt in locum, cui nomẽ est Auaris, habentem mensuram iugerum decem millium: hunc illi omnem maximo & validissimo circumdedere muro, quatenus & omnem possessionem munitam haberent, simul & prædam suam. Et rex quidem Aegypti Themosis, conatus eos vi expugnare, cum quadringentis octoginta millibus armatorum muros eorum obsedit. Sed cum desperasset obsidium, pactus cum eis est, ut abscedentes Aegypto, quocumque vellent, innoxij omnes abirent. Illi verò, hisce promissionibus impetratis, cum omni domo & possessionibus non minus ducenta quadraginta millia numero, ex Aegypto per desertum in Syriam iter fecerunt. Metuentes porrò Assyriorum potentiam (tunc enim illi Asiam obtinebant) in terra, quæ nunc Iudæa vocatur, ciuitatem ædificarunt, quę tot millibus hominum sufficere posset, quã appellarunt Ierosolymam. Hæc Manethô, referente Iosepho, de causa, & mõ profectionis Hebræorum ex Aegypto.

Idem Manethon alio in loco, & item
Chæremô ac Lysimach⁹ rerũ Aegyptia 33.
carũ scriptores, cã expulsionis Hebręorũ ex Aegypto, fuisse dixerũt, morbũ & leprã eorũ: cùm .n. fœdè morbosi, ac leprosi essent, Regem Aegypti, cum contagionis metu, tum etiam Deorum monitu, sedibus Aegypti exterminasse eos. Et quia explicatius hoc quã cęteri prodidit Lysimachus, ponam hic eius ver- *Lysimach⁹.* ba, vt refert ea Iosephus, qui priori libro contra Apionem hęc scribit: His addam Lysimachum, idem quidem cum prædictis Auctoribus habentem mendacij argumentum, verùm enormitate figmenti illos vincẽtem; vnde apparet, eũ quæ de nostris scripsit, magno odio con-

confinxisse: quæ autem scribit, sunt huiusmodi: Qua tempestate Bocchargis in Aegypto regnabat, populum Iudæorū, quod essent lepra, scabie, & alijs quibusdam morbis infecti, ad templa confugisse, vt mendicato alerētur: multis autem hominibus morbo correptis, sterilitaté in Aegypto accidisse. Boecharim verò regem ad Ammonē sciscitatum oracula de sterilitate misisse. Responsum à Deo esse, repurganda esse templa ab impuris & impijs hominibus, eiectis illis in loca deserta. Ceterùm scabiosos ac leprosos mergendos, tanquam sole uitam eorum auersante, & templa expianda: atque ita fore, vt sterilitas terræ auferretur, Boccharim accepto oraculo, accersitisque sacerdotibus & sacrificis, iussisse impuros homines vndequaque collectos tradi militibus deportandos in desertum: leprosos uerò & impetiginosos plumbeis laminis in pelagus deijci, quibus submersis, reliquos congregatos, et in loca deserta expositos esse ut perirēt. Sed eos, consilio habito, consultasse de seipsis, & nocte superueniente, accensis ignibus & lucernis, custodias agitasse, sequentique nocte ieiunatum ab omnibus, ut Numen propitium eos seruaret. Postrea luce, Mosen quēdam, consilium eis dedisse, ut conferti una omnes irent uia, vsque dū ad loca culta peruenirent; tum præcepisse ne cui hominum in posterum beneuoli essent, atque consilium malum darent potius, quàm bonum, Deorumque tēpla & altaria, quotquot inuenirent, euerterent. Quibus comprobatis ac destinatis, multitudinē iter fecisse per desertum, & post multa incommoda tandem ad loca culta peruenisse. Tum verò & hominibus iniuriosè tractatis, & fanis compilatis atque incensis, uenisse in eam quæ nunc Iudæa dicitur, conditaque ciuitate, ibi habitare, urbem verò Ierosyla ex re nominatam, aliquanto uerò post, iam auctis uiribus, mutasse nomen, uitandi probri gratia, & urbem Ierosolyma, & seipsos Ierosolymos uocasse. Hæc Lysimachus.

34. *Iustinus.* Hoc porrò secuti, non ueritatis, sed mendaciorum Auctores, Trogus Pompeius, siue Iustinus, & Cornelius Tacitus, de causa discessus Hebræorum ex Aegypto idem figmentum tradiderunt. Iustini verba ex libro trigesimo sexto, hæc sunt: Filius Iosephi fuit Moses, quē præter paternæ scientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed cùm scabiem Aegyptij & pruriginem paterentur, responso moniti, cū cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exulum factus, sacra Aegyptiorum furto abstulit, quæ repetētes armis Aegyptij, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Et quoniam metu contagionis, se pulsos Aegypto meminerant, ne eadem causa, inuisi apud incolas forēt, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent: quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque conuertit. Sic Iustinus. Tacitus verò ad eandem sententiam, idemque secutus commentum in libro vigesimo primo Annalium ita scribit: Plurimi Auctores cōsentiunt, orta per Aegyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regem Bocchorim, adito Ammonis oraculo, remedium petētem, purgare regnum, & id genus hominū inuisum Deis alias in terras auehere iussum. Sic conquisitum, collectūque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosen vnum exulum, monuisse, ne quam Deorùm, hominumve opem expectarent, ab vtrisque deserti; sed sibimet, vt duci cœlesti, crederent, primo cuius auxilio credentes, præsentes miserias pepulissent. Assensere, atque omniū ignari, fortuitum iter incipiunt, & cæt. Hæc Tacitus. *Tacitus.*

35. *Iosephus.* Sed istorum de Mosis & Hebræorum lepra mendacium, Iosephus eo ipso in libro breuiter ita redarguit. Quod Moses lepræ corpus expers habuerit, ipsius Mosis decreta, legesque declarant. Leprosis enim accessu ad oppida & vicos interdixit, eosque seorsim, in lacero vestitu agere iussit. Quin etiam, quicumq; eos attigisset, aut sub idem tectum successisset, eum pro impuro habuit. At si eo morbo liberari, & in pristinum restitui contingat, præscripsit certas purificationes, mundationes, & fontanarum aquarum lauacra, & omnium pilorum abrasio- *Leuit. 13.* *Leuit. 14.*

abrasiones: multisq; & varijs sacrificijs peractis, ita demum eos qui mūdati fuerint, sanctam vrbem adire concessit. At enim contrà, par erat, qui talem calamitatem expertus esset, prouidentiam aliquam & humanitatem exhibere simili pressis infortunio. Nec verò solum de leprosis tales sanxit leges, sed ne minima quidem corporis parte mutilatos, fœdatosque, ad sacrorum curam admisit: sed etiamsi, iam sacerdotio fungenti tale aliquid contigisset, honore eum priuauit. Quomodo igitur verisimile est, illum huiusmodi, contra semetipsum, & cum opprobrio suo damnoque tulisse leges? Sic Iosephus.

36. *Allegorica expositio.* Cæterùm admirandus ille per mare rubrum transitus Hebræorum, & horrenda in eo mari facta Aegyptiorum cædes, quid secundum allegoricam intelligentiam futurum in nouo Testamēto præfigurauerit, haudquaquam decet aliter nos exponere, quàm interpretatus est B. Paulus verbis illis, quæ sunt in capite decimo prioris epistolæ ad Corinthios, dicens: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari.* *Loc. Beati Pauli 1. ad Corint. 10.* Quæ verba tractans Theodoretus in quæstione 27. in Exodum, hunc in modum scribit: Quomodo intelligendum est, illud quod ab Apostolo dictum est: *Omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari? & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali sequente eos petra; petra autem erat Christus.* Vetera typum gerebant præsentium, & vmbræ lex assimilabatur, gratia verò corpori. *Hebr. 10.* Cùm igitur Aegyptij persequerentur Hebræos; hi mare rubrum transeuntes, ab Aegyptiorum prægraui dominio vindicati sunt, mare præ se fert ritum lauacri Baptismi, nubes autem typum Spiritus sancti; Moses Christi Saluatoris; virga eius, crucis Christi; Pharao diaboli typum gessit. Similiter Aegyptij dæmonum, vel peccatorum figuram præ se ferunt; Manna *Exodi 16.* figuram cibi cœlestis gessit; & aqua quę de petra effluxit, typum sanguinis Christi. Quemadmodum enim Hebræi post quam mare rubrum transierunt, cibo peregrino, & aqua inopinata fruebantur; ita nos, post salutarem baptismum, *Infra 17.* participes sumus diuinorum mysteriorum. Petra autem uocata est Christus, quia typus erat Christi, sic & mare dictum est baptisma, quamuis nullus in eo sit baptizatus: nam populus Hebręus puluere potius quàm aqua aspersus, illud pertransijt. Manna item, Dauid in Psalm. 77. uocauit Panem Angelorum, *Psalm. 77.* non quod incorporea natura Angelorum, corporali cibo vtatur, sed quod Angelorū ministerio datum fuerit Hebræis. Sicut appellatur etiam panis cœli, quod de sursum ueniebat, non quidē ex ipso cœlo, sed ex aere, qui cœli nomine frequenter appellatur. Dicuntur etiam volucres cœli, quæ per aera volitant. Hæc Theodoretus.

OCTAVA DISPVTATIO.

De mari rubro, cur ita sit appellatum.

QVONIAM perinsigne illud miraculum, in mari rubro factum est eiusque maris crebra fit in sacris literis mentio, cōgruens uisum mihi est disquirere hoc loco, cur ita sit appellatum. Ingens profectò apud Auctores de causa istiusmodi appellationis sententiarum est uarietas. Mare rubrum Hebraicè dicitur, *Iam Suph*, quam compositionem uocum interpretans beatus Hieronymus in epistola 127. ad Fabiolam, vbi exponit septimam mansionem, ait: *Iam*, significare mare; (*Suph*) autem rubrum, & scirpū vocari. Sed prestat Hieronymi verba hic adscribere. *S. Hieronymus.* Declarans .n. verba illa Numerorum 33. *Profecti de Helim, castrametati sunt ad mare rubrum*, ita scribit; Hoc mare vocatur Hebraicè, *Iam Suph*, sed quæritur quomodo post transitum maris rubri, & fontes Marā, rursum ad mare rubrum venerint: nisi fortè in itinere pergentibus, sinus quidam maris occurrerit, iuxta quem castrametati sint: aliud enim est transire

mare,

mare, aliud in proximo figere tabernacula. Sed verbum, *Iam Suph*, apud Hebręos ex mari & rubro compositum est: Suph autem & rubrum, & scirpus vocatur: vnde possumus suspicari, quod ve netint ad paludem quandam, & locũ, qui & carecto & iuncis plenus fuerit: nam quod congregationes aquarũ Scri
Genes. 1. ptura sacra vocet maria, nulla est dubitatio. Hæc Hieronymus.

38. *Andreas Masius.* Hunc beati Hieronymi locum indubiè spectans & significans Andreas Masius, de causa appellationis rubri maris ita disserit super caput secundum libri Iosue. Mare, inquit, rubrum vocant Hebræi mare Suph, à cuiusdam herbæ genere, qua littora illius maris abundant. Nam quod Beatus Hieronymus putat, Suph significare rubrum, ego vt refellere nolo, ita probare nequeo. Stephanus qui de vrbibus scripsit, citat Vranium scriptorem Punicum dicẽtem, ideo mare illud vocari rubrum, quod mõtium, quibus cingitur, præcipuum ruborem, quem radiorum solis obiectu reciproca tum vndæ excipiunt, repræsentare videatur: atque insuper defluentem cum pluuia, montes eos abluente, colorem re quoque ipsa bibat, indeque rubescat. Neque ab Vranio longè dissentire vidẽtur nostri homines, qui per illa loca vagati, referunt, per interualla, rubram ex littore arenam maris conspici, iisque in locis Curallium quoque reperiri. Et cer
Plinius. tè Curallium in eo sinu gigni, auctor est Plinius libro trigesimo secundo, capite secundo. Sic Masius.

39. *Abẽ Esra.* Aben Esra vocari ait mare (*Suph*) quia per circuitum eius copiosæ nascantur papyri, & carices, quasi dicas mare papyrosum & caricosum. Nec dissimile est quod tradit Rabbi Salomon; affirmans (*Suph*) significare iuncum: & eo nomine illud mare vocari, quod sit iuncorum
Plinius. & calamorum ferax. Plinius in libro secundo, capite 103 scribit, in mari rubro oleas, florentesque frutices enasci.
Strabo. Quibus consentanea tradit Strabo libro decimo sexto scribens, in tota rubri maris ora, arbores in profundo nasci lauro & oleæ persimiles, quæ in refluxibus eius maris in totum deteguntur: in affluxibus verò nonnunquam penitus obruuntur: quod eo mirabilius videri potest, quod vlterior terra arboribus careat.

Idem Strabo eodemque in libro testimonio firmat Artemidori, mare rubrum dici à colore per reflexionem radiorum expresso: vel à sole, cum supra verticem est: vel à montibus ex adustione rubentibus. Scribit porrò Ctesiam Gnidium historiæ mandasse, fontem quendam esse, qui aquam rubicundam, & minio plenam in illud mare emittat: alios verò tradere, Persei filium Erythram, qui in illis locis imperauit, ei mari, de suo nomine, nomen dedisse, appellatumque esse Erythræum: Nearchus, & Orthagoras prodiderunt Tirinam insulam in eo pelago, ad Austrum iacere, in qua Erythræ sepulchrum ostẽditur; ingens sanè tumulus, & syluestribus palmis constitutus: atque Regem in iis locis regnasse, & de se mari nomen reliquisse.

Plinius libro sexto capite vigesimo tertio: Irrupit deinde (ait) & in hac par 40. *Plinius.*
te geminum mare in terras, quod rubrum dixere nostri: Græci Erythræum à rege Erythra; aut, vt alij, solis repercussu talem reddi colorem existimantes: Alij ab arena, terraque: alij, tali aquæ ipsius natura. Pomponius Mela libro tertio, *Mela.*
cap. 7. Rubrum, inquit, mare Græci, siue quia eius coloris est, siue quia ibi Erythra regnauit Ἐρυθρὰν θάλασσαν appellarunt. Procellosum profectò, & asperum, ac profundum, & magnorum animalium, magis quàm cætera capax: duosque sinus aperit; Persicus vocatur, dictis regionibus propior; Arabicus vlterior. Solinus in capite trigesi- *Solinus.*
mo sexto, vltra Pelusiacum ostium, inquit, Arabia est, ad rubrum, pertinens mare: quod Erythræum ab Erythra rege Persei & Andromedæ filio, non solùm, à colore appellatum Varro dicit, in cuius littore affirmat esse fontem, quem si oues bibant, mutent vellerum qualitatem: nam vsque ad haustum, candidæ, fuluo postea nigrescunt colore. Philostratus in libro tertio de *Philostrat.*
vita Apollonij, capite 15 ait; Rubrum mare vehementer cæruleum esse, tradere eos qui viderunt: denominati

minari autem rubrum, vt ipsi perhibēt, à rege Erythra, qui ex suo nomine mare denominauit.

41. *Auctoris sententia.* Mea hęc est sententia, vocari à Gręcis mare Erythræum, non tam à calore, quàm à rege Erythra, qui nobiliter ibi regnauit, eiusque memorabile sepulchrum inibi extabat. Hoc enim & per se satis credibile est; & in id plures video auctores consentire. Tum puto, hebraicè vocatum esse *Suph*, à copia papyrorum, vel caricum, vel iuncorum, quo rum ferax est. Hoc enim concordi sententia tradunt Hebræi, ipso etiam B. Hieronymo nequaquam dissentiente. Illud demum mihi fit verisimile, propterea Latinum interpretem, vbicumq. mare istud in Scriptura nominatur, vocasse rubrum: quod eo vocabulo mare istud vel semper, vel plurimùm, ab omnibus Latinis scriptoribus appellatum vsurpatumque fuerit: vt latina ipsius trāslatio, latinis auribus apertior & probabilior accideret.

BENE-

BENEDICTI PERERII
IN CAPVT DECIMVMQVINTVM EXODI,
DISPVTATIONES SEPTEM.

Canticum Mosis, in Dei laudem & gratiarum actionem pro liberatione Hebræorum, & hostium cæde, ab ipso Mose atque omni populo decantatum.

CAPVT DECIMVM QVINTVM EXODI.

TVNC cecinit Moses & filij Israel canti- *Versu* 1.
cum hoc Domino: & dixerunt.
Cantemus Domino: gloriosè enim ma-
gnificatus est, equum & ascensorem pro-
iecit in mare.
* Fortitudo, & laus mea Dominus & fa 2.
ctus est mihi in salutem: iste Deus meus,
& glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.
* Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius. 3.
* Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: ele 4.
cti principes eius submersi sunt in mari rubro.
* Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum qua 5.
si lapis.
* Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dex- 6.
tera tua, Domine, percussit inimicum.
* Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos: 7.
misisti iram tuam, quæ deuorauit eos sicut stipulam.
* Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit vnda 8.
fluens, congregatæ sunt aquæ in medio mari.
* Dixit inimicus, persequar & comprehendam; diuidam 9.

ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.
10. * Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.
11. * Quis ſimilis tibi in fortibus Domine? quis ſimilis tibi; magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia?
12. * Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.
13. * Dux fuiſti in miſericordia populo tuo quem redemiſti: & portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuũ.
14. * Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm.
15. * Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.
16. * Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui: fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat popu lus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.
17. * Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine, quod firmauerunt manus tuæ.
18. * Dominus regnabit in æternum & vltra.
19. * Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius.
20. * Sumpſit ergò Maria prophetiſſa, ſoror Aaron, tympanũ in manu ſua: egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris.
21. * Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.

PRAE-

PRAEFATIO.

Raducto mirabiliter per mare rubrū Hebræo populo, & hostibus eius in eodem mari ad vnū demersis omnibus, Moses carmen fecit Epinicion, & id tum ipse cum filijs Israel, tum etiam seorsim Maria, eius soror, cum mulieribus, Dei laudes & actionem gratiarum continens, decantarunt. In eo autem Cantico Moses grauissimis verbis celebrat magnificentiam & potentiam Dei, & admirandam Hebræorum liberationem, horrendamque Aegyptiorum necem. Tum introductionem eius populi in terram promissionis futuram, mira orationis varietate prophetat. Illa verò Hebræorum liberatio è seruitute Aegyptiaca, & transitus per mare rubrum, cùm fuerit illustris figura, teste Paulo, liberationis
1. ad Corin. 10. Christiani populi ex potestate & seruitute Diaboli per sanguinem & baptismum Christi. cumque introductio Hebræi populi in terram promissionis, insignem typū gesserit eius, quē nos Christiani expectamus, in cœlestem uiuentium terrā nobis promissam introitus, conuenit profectò, Canticum hoc, secundum allegoricum intellectum, accipere, vt vocem exultātis Christianæ Ecclesiæ, de liberatione humani generis p Christi sanguinem facta, & de spe cœlestis regni hæreditatem consequendi lætantis atque gloriantis. Mysterium porrò huius Mosaici Cantici indicans
Rupertus. Rupertus libro secundo in Exodum, c. 36. hæc scribit: De huius facti gloriosi mysterio celeberrimo iam silere non debemus, habentes tale Canticum Mosis.
Sapien. 10. Quia hæc est Sapientia quæ aperuit os muti, & linguas infantiū fecit disertas, vt victricem manū tuam laudemus pariter Domine Deus noster. Nam quod ab ore nostro, quicumque gratiam hanc sumus consecuti, Canticum hoc non debeat deficere, non obscurè significat illud quod scriptum est in Apocalypsi, ca
Totus Apocalypsis, ca. 15. pite decimo quinto: *Et uidi tanquam mare uitreum mixtum igni, & eos qui uicerūt bestiam, & imaginem illius, & numerū nominis eius, stantes supra mare uitreū, habentes citharas Dei, & cantantes Cāticum Mosi serui Dei, & Cāticum agni, dicentes: Magna, & mirabilia opera tua Domine Deus noster omnipotens,* &c. Ecce nos, qui Christi sanguine redempti sumus, stantes supra mare uitreum, videlicet laborantes seruare innocentiam quam accepimus per Baptismum: mare, inquam, vitreum propter puram quam ibi fecimus relinquendorum confessionem peccatorum, & quia thesaurum hunc portamus in vasis fictilibus & fragilibus, sed mare hoc etiam igni mixtū est, id est, Spiritu sancto viuificatum, quo peccata ipsa consumpta sunt: qui & hoc loco mysticè designatur per ventum vrentem, cùm dicitur, Deum abstulisse mare, vento flante uehementi, & vrente tota nocte. Habentes ergò citharas Dei, id est, mortificationem carnis quam Deus præcepit, cantemus Canticum Mosi & Agni, vtrobique exultantes, & pro re gesta quæ facta est per manum Mosi, & pro mysterio Agni immaculati Christi, quod Moses ea re præsignari propheticè intellexit. Hæc Rupertus. *2. Corin.*

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS,

Tunc cecinit Moses & filij Israel Carmē hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. *Versu 1.*

DE isto Carmine quod cecinit Moses & populus Hebræus, ita scribit Philo in libro tertio de vita Mosis: Ob tantā uictoriam Propheta celebrauit auctorem tanti beneficij: distributa enim omni gente in duos choros, alterum virorum, & alterum mulierum, ipse uiris carmen præiuit, sororem autem dedit præcentricem fœminis, vt illud in parentem omnium conditorem Deum alternis canerent verbibus, non discrepante à mori- *2. Philo.*

bus carmine, dum certatim canunt suis vicibus, & carmen miscetur ex sonis acutis atque grauibus; virorum enim voces graues sunt, acutæ mulierum: vnde temperamentum fit commensuratæ, suauiterque coaptatæ melodiæ. Vt autem tot hominum millia hymnum eundem ore concinerent, in causa fuerunt illa prodigiosa miracula de quibus diximus: propter quæ Propheta gaudens vnà cum gaudente populo, & lætitiam intra se non continens, exorsus est canticum: id uerò audiës populus in duos choros secessit, & canentem imitatus est. Sic Philo.

3. Iosephus. Iosephus extremo capite libri secundi Antiquitatum de isto carmine & cãtico Mosis loquens; Hebræi, inquit, tum sua salute, tum inimicorum supplicio læti magis, quàm vlli antea homines, in hymnis & hilaritate totam noctem exegerunt. Moses uerò carmen laudis Dei, & ob præsentem fauorem, gratiarum actiones continens, hexametro versu composuit. Sic Iosephus. Ne cui autem mirandum accidat quod Iosephus dixit de hoc Cantico Mosis, ipsum hexametris versibus esse compositum; ponam hic quod dixit B. Hieronymus de libro Iob in præfatione quam in eum librum scripsit. In libro Iob (ait Hieronymus) à verbis illis, capitis tertij: *Pereat dies in qua natus sum.* vsque ad eum locum capitis quadragesimi secundi, ubi ante finem uoluminis scriptum est: *idcirco ipse me reprehendo in fauilla & cinere*, hexametri uersu sunt, dactylo, spondeoque currentes, & propter idioma linguæ, crebrò recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus ipse dulcis & tinnulus fertur, numeris lege solutis, quod metrici magis quã simplex Lector, intelligunt. Quod si cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel Psalteriũ, vel Lamentationes Hieremię, vel omnia fermè Scripturarũ Cantica comprehendi: legat Philonẽ, Iosephũ, Origenẽ, & Cæsariësem Eusebiũ, & eorũ testimonio, me verũ dicere, comprobabit. Hæc Hieronymus.

In sacris literis esse carmina & Cãtica ratione metrica composita. Hierony.

Inter alias porrò huius Cantici excellentias, illa profectò perinsignis est, quod est primum omnium Canticorum, quæ fuisse vnquam facta vel cantata, siue in sacris, siue in profanis literarum monumentis proditum sit. Nam Lini, Musæi, & Orphei, qui ante bellum Troianum fuerunt, hymnos, carmina, & cantus, plus trecentis annis post hoc canticum Mosis esse factos, certa temporũ obseruatione compertũ est. Rectè igitur Origenes in homilia super hunc locũ; Multa, inquit, cantica esse antiquitus facta legimus in sacris literis: omniũ tamen primũ est hoc canticũ Mosis, quod, Aegyptijs & Pharaone submersis; Populus Dei post victoriam cecinit. Moris quippe Sanctorũ fuit, vbi hostes cæsi essent, quod scirent nõ sua virtute, sed Dei gratia partã esse victoriã, hymnũ Deo gratulationis offerre. Hilarius autẽ in Prologo in Psalmos, de nomine Cantici loquens, est, inquit, canticum, cùm canentium chorus, libertate sua vtens, neq; in consonum organi obstrictus obsequiũ, hymno tantum canoræ vocis exultat. S. Bernardus in sententijs, quatuor facit genera Canticorum à fidelibus vsurpata: vnum victoriæ, quod submerso Pharaone cantarunt Hebræi: alterum exhortationis, quod ijdem, terram promissionis concinerũt intraturi: Tertium lætitiæ, quod de susceptione filij cantauit Anna: Quartum fortitudinis, quod Dauid cantauit de manu Saulis ereptus.

Origenes. *Hilarius.* *S. Bernard.* *1. Reg. 2.*

5. Sed quo ordine, quoue modo canticum hoc Mosis fuerit tunc decantatũ, breuiter declarandum est. Thostatus super hunc locum Exodi ait, prius Mosen cantauisse hoc canticum, & cantare ipsum docuisse Hebræos; eos autem postea idẽ canticũ sæpius cecinisse. Oleaster hæc scribit: Crediderim equidem, Mosen & viros Hebræos canticum hoc incepisse, fœminas verò respondisse: ita quod Moses aut solus, aut simul cum viris Canticum prosequebatur, fœminæ verò respondebãt seu repetebant illud exordiũ Cãtici: *Cantemus Domino*, vt cõstat ex fine huius Cãtici, vbi talia verba repetuntur à Maria. Hoc enim solebat ĩ alijs etiam Canticis fieri, vt patet in Ps. 135. vbi vnus aut duo dicebant: *Confitemini*

Quo ordine, modoq; cantatũ sit hoc Mosis canticum. *Thostatus.* *Oleaster.*

mini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Et deinceps ꝓsequebantur alios versus: Cętus autem aliorũ repetebat semper illud: *Quoniam in æternum misericordia eius.* Idem quoque obseruare licet in primo libro Samuelis capite decimo octauo. Solebant enim Prophetæ choros canētiũm ducere, dum laudes Dei celebrarent. Sic Oleaster. Philo tamen in libro tertio de uita Mosis ait, Mosen distribuisse omnem populum in duos choros, vnum virorũ, in quo ipse uiris præibat Carmen; alterum, in quo soror eius Maria præcinebat fęminis. Ergo Moses prior quemlibet uersum huius Cãtici canebat, & deinde populus eundem versum cantabat. Sed enim idem Philo in libro de Agricultura scribit, factos esse duos choros, vnum mulierum, alterum virorum, è diuerso stantes, & alternis carminibus sibi inuicem respondentes.

Philo.

Idem.

6\. Paulò infra, post hoc Cãticum à Mose & viris Hebræis decantatum, dicitur in uersu vigesimo, & vigesimo primo, Mariam prophetissam, sororem Aaron, sumpsisse tympanum in manu sua; & post eam egressas esse omnes mulieres cum tympanis & choris: quibus illa pręcinebat cantans idem carmen quod uiri, præcinente Mose, cantauerant. Hinc ego tractum esse morem puto apud Iudæos, vt non solùm uiri, sed etiam fœminæ, Dei laudes, & pro beneficijs ab eo acceptis, dignas gratiarum actiones, & uoce, & instrumentis musicis cantarent atque celebrarent. Huc spectare videtur quod dixit Dauid in Psalmo sexagesimo septimo: *Conuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.* Quæ uerba explanans Genebrardus ita scribit: Conuenerunt cantores, & tibicines utriusque sexus ad personandas Dei uictorias, ita vt alij cãtu pręirent, & alij sequerentur. Moris enim erat, vt etiam mulieres canerent Epinicia tam uoce quàm instrumẽtis musicis: & alludit hoc loco Dauid ad locũ Exodi, capite decimo quinto, vbi uiri in vno choro cum Mose, & fœminæ in altero cum Maria celebrabãt uictoriam de Pharaone partam. Apud Esdrã quoque legimus in capite secundo primi libri, inter Hebræos, qui de captiuitate Babylonica redierunt in Iudæam, fuisse ducentos cantores & cantatrices, ad itinerum videlicet leuandam molestiam, & reducum animos consolandos atque recreandos Hæc ex Genebrardo. Salomon quoque in libro Ecclesiastæ capite secundo, inter multa quæ fecisse se commemorat, ad magnificentiam regiam, et ad uaria oblectamenta & delicias pertinentia, & hoc dixit: *Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum.*

Genebrardus.

7\. Sed prętereа hic obseruandum est, quàm fuerint in veteri Testamento sancti homines pro acceptis beneficijs, grati & religiosi erga Deum, promptique ad faciendа & canenda Cantica in Dei laudem & gratiarum actionem, non solùm ipsam beneficij accepti substantiam sed omnes eius circumstantias, vel minimas celebrando. Quot enim Psalmos fecit & cecinit Dauid, ꝓ beneficijs a Deo acceptis, etiam non maximis? Extant in sacris litteris trium illustrium fœminarum præstantissima Cantica: vnum Annæ matris Samuelis, pro impetrata uirili prole: alterum Debboræ pro parta uictoria ex hostibus populi Hebræi: Tertium Iudith, similiter pro interfecto Holofer ne, omniumque Assyriorum exercitu profligato. In Euangelio quoque beati Lucæ scripta sunt tria Cantica, Zachariæ, beatissimæ virginis Marię, sanctique senis Simeonis. Restat, vt quemadmodũ prima verba huius Cantici Mosis allegoricè Rupertus exponat, hic adscribamus. Prima, inquit, vox præcentoris Mosis, est admonitio exhortãtis, omnes qui in Sunamite sunt choros castrorum, ut sublement concentum, secundum magnitudinem festiuitatis, & secundum qualitatem siue quãtitatem diuinorum operum: *Cantemus*, inquit Moses, *Domino*, Cantemus sanè, sed cantemus spiritu, cantemus & mente. Nam & Apostolus dixit: *Psallam spiritu, psallam & mente*, Spiritu cantare uel psallere, est rẽ gestam memoriter tenere, eãmque solam pro materia cantationis habere: Cantare autem mente, est in exteriori facto interius mysterium persentire: *Cantemus igitur Domino, gloriosè enim magnificatus*

1. Regũ
Iudicũ 5
Iudith 16.
Luc. 1. et
Allegoris expositio Ruperti.
1. Cor. 14

catus est. Gloriosa profectò magnificentia, etiam si solum illud factum exterius attendas; si autem mysterium interius perspicias, ibi gloriosior magnificentia reperietur.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS,

Versu 1. Equum & ascensorem deiecit in mare.

8. *Cur in Scriptura equorum in bello fiducia vituperetur.* Dixit numero singulari: *Equum & ascensorem*, vel præcipuè significās Pharaonem, totius exercitus superbissimum regem, & crudelissimum hostē Hebræorum, vel singulari numero utens pro plurali, significare voluit omnem equitatum Aegyptiorum. Sciat autem Lector, equorum usum in bello, cum vituperatione, & ueluti quadam opprobratione, in sacris literis sæpe nominari, ob eā, opinor, causam, quod de equorum multitudine ac robore humana superbia præcipuè gloriari, & in ualido equitatu magnam præualendi uincendique fiduciam potissimùm habere soleat. Vult autem Scriptura sentire nos, & persuasum habere, omne firmamentum & robur nostrum, omnemque uim debellandi hostes, & comparandæ uictoriæ, à Deo maximè pendere, ab eoque peti, expectarique oportere. Huc spectant illa quæ legimus in sacris literis: *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine* *Domini Dei nostri inuocabimus. Illi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus et erecti sumus. Non saluatur rex per multam uirtutem, & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ. Fallax equus, ad salutem, in abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur. Ab increpatione tua Deus dormitauerunt qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Non in fortitudine equi uoluntatem habebit, nec in tibijs uiri beneplacitum erit ei.* Lex quoque Mosis vetabat regem Hebræi populi habere multitudinem equorum. Sic enim

Ps. 19. 32. 3.146.

...cus Deu... ron. 17.

scriptum est Deuteronomij decimo septimo: *Cumq; fuerit (rex) constitutus, non multiplicabit sibi equos, &c.* Apud Isaiam minatur Deus Iudæis, spem suam ponentibus in equitatu Aegyptiorum. *Esaia 31.* Sic enim ait: *Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia praualidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israel, & Dominum non requisierunt.* Et apud eundem Isaiam in capite secundo inter alia scelera Iudæorum, recensetur multiplicatio equorum & quadrigarū: *Repleta est*, inquit, *terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.* Hæc uerba in Cōmentario eius loci sanctus Basilius; Nullo, inquit, non Scripturę loco obseruauimus, sanctos viros deuitasse usum equorum. Quia enim iubebat Deus vt toti penderent à suo præsidio, nec in medio conflictu consistentes, spem suam reponerent in suo militari apparatu; idcirco vetuit multiplicare sibi equos. Ait porò Isaias fuisse innumerabiles quadrigas, vel hyperbolica locutione maximam intelligi uolēs multitudinem, vel quia in sacris literis, quæ ignaua & vilia sunt coram Deo, non ueniunt in numerum: sicut nec mulierem propter infirmitatē sexus; nec puerulum propter contemptum ætatis (exceptis primogenitis, & Leuiticis). nec fetuum propter vilem & abiectam conditionem. Sic Basilius. *Loc° Isaia, cap. 2. S. Basilius.*

9. B. Hieronymus in eundem Isaiæ locū Potest, inquit, intelligi quòd & populus Iudæorum contra præceptum Dei equos sibi & quadrigas multiplicauerit, & quod terra Iudæorū, victorum equis & currib. fuerit repleta. Dicit aūt sine numero fuisse quadrigas, quia non est dignū numero, quod contra Dei imperiū possidetur. Vnde & in Psalmis dicitur: *Fallax equus ad salutem.* Et in Exodo: *Equum & ascensorem, deiecit in mare.* Et in alio Psa. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini inuocabimus.* Hæc Hieronymus: Origenes quoq; in Homil. 15. in librū Iosue ita scribit: Filij Israel nunquā equis vsi fuisse referuntur, & lex nihil de equis mandat, sicut de asinis, vtpotè de animalibus, quæ ad huma- *S. Hieronym. Psalm. 32. Psalm. 19. Origenes.*

humanos labores iuuandos, & ad onera eorum portanda videntur conducere. Equi verò magis proficiunt ad hominum perditionē; hoc enim est quod per eos in prælijs geritur. Lasciui præterea motus, & superbæ ceruicis animal, equus est: quapropter in Scriptura, per illud animal, inordinati affectus animi nostri, & ad flagitia præcipites, excusso rationis, & timoris Dei, freno,
Psal. 31. designari solent: *Nolite fieri*, ait Dauid, *sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus*.

10. *B. Hierony.* *Psal. 75.* Auctor Commentariorum in Psalmos, qui præfert nomen Beati Hieronymi, super illis verbis Psalmi septuagesimi quinti: *Dormitauerunt qui ascenderunt equos*. hunc in modum scribit; Pharao ascendit equos, & dormitauit, & perijt: Aegyptij quoque habebant equos, sed ipsi etiam perierunt. In lege præceptum erat, vt Hebræi non haberent
Deute. 17. equos. Salomon non habebat equum de Ierusalem, nec de Iudæa, sed emebat illum de Aegypto; semper in Aegypto venduntur equi. Habet etiam Dominus noster suos equos, habet & Diabolus suos. Sed quales sunt equi Domini? Quo tempore hostes venerunt ad Eliseum comprehendendum, exijt puer eius, & videns exercitum in circuitu, ti-
Locus 4. Regum 6. muit: sed ei dixit Eliseus: *Noli timere, quoniam plures nobiscum sunt quàm cum illis*. Et cùm orasset Dominum vt aperiret oculos pueri: apertis oculis vidit ille currus multos & equos: illi erant auxiliatores Elisei. Nec dicitur vidisse ascensores & insessores equorum, sed tantùm currus & equos: nimirum illi currus & equi erant sancti Angeli, & eorum ascensor atque insessor, erat
Habacuc 3 Deus: Propterea dicitur in Cantico Habacuc: *Et equitatio tua salus*. O, si nos essemus equi Dei, & super nos dignaretur Dominus ascendere, & sedere: Contrarij autem equi sunt ipsius diaboli, quorum ipse ascensor & rector est, de quibus dicitur: *Dormitauerunt qui ascenderunt equos*.

11. *Ruperti expositio allegorica.* Audiamus etiam Rupertum luculente tractantem hæc verba: *Equum & ascensorem proiecit in mare*. Hic mundus, inquit Rupertus, per equum, Diabolus per ascensorem significatur. Sed quando illum ascensorem, & talem equum
Ioan. 12. proiecit? Tunc videlicet, quando dixit: *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. Et subsequenti protinus exponens actu quod dixerat, accepit cornua crucis in mani-
Habacuc bus, & ibi abscōdita est fortitudo eius; vt obrepere ei ausa mors, deinceps victa, iret ante faciem eius, & egrederetur diabolus ante pedes eius. Tunc proiecit, & ex tunc proijcere non desinit illum ascensorem in mare, nobis quidem vitreum, & Spiritus sancti igne mixtum; illi autem piceum igneumque ac sulphureum. Olim quidem istum
Isaia 14. ascensorem superbè dicentem: *Super astra Dei exaltabo solium meum*, detraxit, & proiecit in hunc aerem caliginosum. Nunc autem illum ipsum ascensorem, ascendentem super equum, id est, super effrenatam stultitiam superbientium, & à se deceptorum hominum, deiecit in profundum laci, in barathrum ardentis inferni. Ecce iam illud ex parte videmus, & adhuc plenius in die Iudicij visuri sumus: tunc enim, cunctis videntibus, iste præcipitabitur. Cantemus igitur Domino ait hic doctus & benè vocalis præcentor: a quo accepta commonitione, chorus vniuersus, vnum ex multis membris corpus, tali initio ingreditur & persequitur Carmen delectabile & gloriosum. Hæc Rupertus.

12. *Philonis super hoc loco Exodi pulchra dissertatio moralis.* Philo quoque in eo libro quem inscripsit de agricultura, huius loci Exodi: *Equum & ascensorem proiecit in mare*, pulcherrimum fecit Tractatum, explicatumque moralem: quem, mihi visum est hic adscribere: haud dubiè gratum Lectori futurum. Eius verba sunt huiusmodi. Equi sunt furor, & concupiscentia, ille mas, hæc fœmina: ideoque ille vt mas, gestit elata ceruice libertatē appetēs: hæc verò seruilior & callidior, domum depascit & deuorat vt fœmina. Insessor porrò & auriga, vnus est, nempe intellectus: sed auriga tunc, quādo ascendit cum prudentia: quando autem eum imprudentia, insessor tantum est; & præ imperitia, impotens retinendi habenas, finit eas è manibus elabi. At iumenta, habenis liberata, temerè discursant

scurſant nullo ordine: ſeſſor autem præ imbecillitate, ſuſtinere ſe non valens, decidit: & laceris genibus, manibusque ac facie, malè mulctatus, miser deflet ſuum infortunium. Sed illud horribilius, quod nonnũquam, pedibus in curru hærens, raptatur ſupinus, & tractum in orbita caput, & ceruicem, & humeros ambos conſauciatur. Deinde, huc illucque diſtractus, atque omnibus paſſim obiacentibus illiſus, miſerrimo genere mortis extinguitur: & huic quidē talis obuenit exitus. Currus verò iam leuior, & violente quaſſatus, vbi in ſolum inæquale inciderit, facilè frangitur, vt inſtaurari non poſſit, & denuo compingi. Iumenta quoque, omni ſoluta retinaculo, concitantur & efferantur; nec prius deſinunt currere, quàm collabantur, aut in aliquam rupem delatis, ſimilis etiam contingat interitus. Atque ita currus animæ, vnà cum vecto re totus perit per aurigæ inſcitiam. Tales igitur equos, rectoresque, arte, prudentiaque carentes, tolli præſtat, vt virtus maneat incolumis: Cadente enim imprudentia, ſtare prudētiam neceſſum eſt. Idcirco Moſes inter præcepta tradit: *Si egreſſus fueris in bellum contra inimicos tuos, & videris equum & inſeſſores, & maiorem multitudinem hoſtium, noli timere, quia Dominus Deus tecum eſt.* Furorem enim & concupiſcentiam, & in vniuerſum, affectiones omnes, atque etiam cogitationes, quæ his ſingulis tanquam equis inſident, etiam ſi fretæ videantur inexpugnabili robore, contemni tamen oportet ab ijs, qui proteguntur magni Regis potentia, ſemper & vbique pro ipſis decertantis.

Deuterono. cap. 20.

13. Exercitus porrò Dei, virtutes ſunt propugnatrices piarum animarũ: quas, vbi deuictum hoſtem viderint, conuenit pulcherrimum, & decentiſſimum hymnum canere datori victoriæ Deo: ita vt duo chori, alter è virili, alter è muliebri conclaui, è diuerſo ſtantes, alternis ſibi carminibus reſpondeant. Ducta bat autem virorum chorum Moſes, intellectus perfectus: mulierum verò Maria, ſenſus purificatus. Iuſtum enim eſt, intelligibiliter ac ſenſibiliter Deo hymnos, laudationeſque dici: & vtrumque inſtrumentum concinne, pulſari, tam intellectum, quàm ſenſum, in ſolius ſeruatoris Dei honorem & gratiarum actionem. Illud certè littorale carmen canunt omnes viri, non tamen mente cæca, ſed acutè cernente Moſe, eorum præcentore: canunt & mulieres ad veritatem lectiſſimæ, virtutum ciuitati adſcriptæ, Maria carmen præeunte. Hymnus autem idem à choris ambobus canitur epodon mirabilem habens, quem decātari pulchrum eſt. Sic autem ſe habet: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Meliorem profectò, & perfectiorem victoriam inuenire non licet, quàm qua vincitur petulantium quadrupedum, & ceruicoſorum agmen validum, hoc eſt, vitiorum & affectuum. Sunt enim vitia genere quattuor, & affectus totidem: cum quibus & inſcenſor, eorum intellectus, virtutis oſor, & prauorum amans affectuum, collapſus interit: qui prius voluptatibus, iniurijs, fraudibus, rapinis, ſimilibusq; iumentis delectabatur. Pulcherrimè igitur noſter Legiſlator inter præcepta docet, ne Princeps populi eligatur equorum altor: parum idoneus ratus, ad principatum, quiſquis ad voluptates & concupiſcentias impotenteſque amores inſaniens, tanquam infrenis & contumax equus œſtro ſuo agitatur. Legiſlatoris verba ſunt hæc: *Non poteris conſtituere ſuper te regem exterum, qui frater tuus non eſt: nec ij multiplicabit ſibi equitatum, nec auertet in Aegyptum populum.* Itaque nemo equorum altor, ad principatum natus eſt, ſi ſacro Moſi credimus.

Deut. 17.

14. At enim, dicat aliquis, magnam eſſe potentiam Regis in equitatu, non minorem vtique quam in pedeſtribus vel naualibus copijs, nonnunquam verò etiã vtiliorem; tunc præſertim, cùm ſine dilatione opus eſt expedita celeritate, temporibus moram non ferentibus, ſed ipſum momentum occaſionis vrgētibus, vt cunctatio non damnum modò, ſed cladem quoque illatura videatur, occaſione, tanquam nube, præteruolante. Huic nos rndemus, nullum belli præſidium, legiſlatorem noſtrum à Principe ſubmouiſſe, neq; copias eius parte aliqua

Quales equi damnati à Moſe.

qua

qua mutilasse: immò, quantum fieri potest, augere conatum esse, vt robore ac multitudine freti socij, facile hostium aciem profligarent. Quis enim alius sic docuit, vel insidias collocare, vel instruere aciem, vel ordinatè legiones distribuere, easque Tribunis & Centurionibus assignare, vt res postulat, nunc pluribus, nunc paucioribus; vt hic noster legislator, ad omnia rei militaris præcepta ritè tradenda, confirmatam habens longo vsu peritiam? Sed ille, in eo, quo dixi, loco non facit verba de isto equitatu, qualem principes solent colligere, ad infestandos hostes, tuendosque socios, necessario, sed de eo, qui animæ nostræ inest, immoderato, inobedienteque impetu, quem refrenare vtilissimum fuerit, ne quando populum in Aegyptum, idest, corporis regionem reducat, & voluptatum, & affectuum, magis quàm virtutum Deique amatorem reddat: quandoquidem necesse est, vt qui tali equitatu pollet, eumque subinde auget, viam, quæ in Aegyptum fert, vt vates ait, ingrediatur. Cùm enim animam tanquam nauem, ab vtroque latere, intellectu & sensu, violentæ procellæ affectuum, & vitiorum reluctantem inundant, elatę altius, tunc credibile est fore, vt intellect⁹ obrutus subsidat, mergaturque: profundum autem in quod mergitur, corpus est, quod cum Aegypto comparatur. Caue igitur ne vnquam huiusmodi equorum in tuā perniciem, studio & cura delecteris. Quod si aurigandi bene teneas artem, vt iam tibi videaris ad regendos equos idoneus; tunc demùm ascende, & habenas corripe. Sic enim nec illis salientibus excussus, cum laceratione corporis, risum mouebis spectatoribus, alieno malo gaudentibus; nec incursu obuiorū, vel insequentium hostium capieris; hos celeritate à tergo longè relinquens; illos verò securè vitans per scientiam. Meritoque tunc victoriale carmē cum Mose poteris canere, hostium tuorum periculo metuque liberatus. Hactenus ex Philone. A quo tamen illud non rectè dictum esse puto, cùm interdixit regi populi Hebræi multiplicationem equorum, non esse locutum historicè de veris equis, sed mythologicè de vitiosis affectibus & cupiditatibus coercendis atque minuendis: Id enim apertè falsum, & diuinæ Scripturæ contrarium est, vt facile ex ijs quæ suprà disputauimus, Lector intelliget.

Auctoris animaduersio in Philonem.

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS,

Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. *Versu 2.*

15\. *Basilius.*

SANCTVS Basilius tractans illa verba: *Iste Deus meus, & glorificabo eum.* Demonstratiuo, inquit, pronomine *iste* nomen illud, quod cum alijs rebus verè communicari non potest, declarauit. Quasi diceret populus Hebręus; Hic est verus Deus, non falso nomine, non mentita diuinitate Deus nuncupatus, quales erant, quos in Aegypto colebamus. Idcirco hunc ego Deum meum glorificabo, hunc adorabo, huic soli seruiam. Hunc nō nouum, non recentem, nec alienum Deum, sed Deum patrum nostrorum colemus, nihil humile vel abiectum de illo cogitatione formantes, sed illum verum & vnicum Deum esse cognoscentes. *Et glorificabo eum & exaltabo eum.* An non ille omnem gloriam, quæ sub sensum cadit, longè antecellit; qui omnem rem creatam nutu suo gubernat, eaque tanquam ministra & operaria, cùm voluerit, vtitur; nec ea solùm secundum naturam, sed etiam præter naturam vtens, hostes suos profligare ac delere potest? Nonne omnem humanæ gloriæ opinionem excedit, quod populum suum per medium mare traxerit, atque eodem in mari, Aegyptiorum exercitum, cædem Hebræorum anhelantem, inuoluit? Sic Basilius.

16\. *Rupertus.*

Eadem verba Rupertus in libro secundo Commentariorum in Exodum capite trigesimo septimo, allegorico sensu,

sensu, & interpretamento pulchrè declarat, hunc in modum scribens: Quid est: *Iste Deus meus, & glorificabo eum.* Ille, inquam, quondam despectus, & nouissimus virorum, & vir dolorum, & sciens infirmitatem, qui moriendo, talem equum, & talem ascensorem sic proiecit in mare; iste est Deus meus: & homo est, & Deus meus est: glorificabo eum, & non erubescam eum. Sed dicunt mihi Synagogæ Iudæorum, & Conciliabula Hæreticorum: Si iste homo est Deus tuus, ergò Deus tuus, est Deus recens, & Deus alienus, & contra dicis Scripturæ præcipienti: *Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* Sed ego respondebo ad ista, & cantabo confidenter: Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei Abraham, & exaltabo eum. Nam vt ipsemet dixit Iudæis antiquitatem eius atque æternitatem non intelligentibus: *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit & gauisus est. Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Igitur non est in me Deus recens, neque adoro Deum alienum, sed Deum patris mei, & Deum antiquum: nam etsi filius est, etsi genitus est, ne vno tamen puncto, siue atomo, iunior est Patre suo, & Antiquo dierum. Illum igitur verum Deum, & Deo vero Patri suo consubstantialem, & coæternum, & coæqualem, semper glorificabo & exaltabo. Ita Rupertus.

Esaiæ 53. *Psal. 80.* *Ioan. 8.*

67. *Hebræorũ figmẽtum.* Hebræi exponentes hæc ipsa verba: *Iste Deus meus*, aiunt illo pronomine *iste*, denotari visibilem præsentiam Dei, qui tunc apparuit Hebræis, supra mare rubrum, similis fortissimo viro bellatori, & ad hostes Iudæorum profligãdos intẽtissimo. Aiunt præterea, vniuersum populum Hebræum, clarè tunc vidisse Deũ, & multò perfectius quàm postea viderũt eum Prophetæ. Ponam hic verba Lyrani, hanc opinionem Hebræorũ breuissimè commemorantis atque confirmantis, quæ sunt huiusmodi: Dicunt Hebræi quod illud pronomen *iste*, facit demonstrationem ad sensum, quia tunc Iudæi videbant Deum & ostendebant eum digito super mare rubrum: in aliqua tamen similitudine visibili, quia Deitas non potest sensibiliter videri. Vnde dicunt, quod clarius tunc populus vidit Deum, quàm postea viderunt eum Prophetæ. Sed illud ex diuina Scriptura non habet auctoritatem: ideoque eadem facilitate contemnitur, qua dicitur. Maximè cum ille populus cõtra Mosen acriter & iniustè murmurasset: nec est verisimile, quod Scriptura tantã Dei condescensionem tacuisset. Quocirca dicẽdum est, quod illud pronomẽ (*iste*) facit ibi demonstrationem ad intellectum, acceptam tamen ex effectu visibili: ex hoc enim quod videbant opus & factum, solius Dei virtuti possibile, intelligebant Dei præsentiam illic adesse. Hæc Lyranus.

Lyranus.

68. *Auctoris confutatio istius figmẽti Hebræorum.* Nec solùm istiusmodi apparitionem Dei quam dicunt Hebræi, Scriptura omninò tacuit, quam in primis tamen commemorare conueniebat; verùm etiam apertè declarauit, qualiter Deus tunc apparuerit super mare rubrũ. Supra enim, Exodi cap. 14. versu 14 sic ait: *Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Hæc fuit tunc apparitio Dei, non quidem secundum aliquã speciem visibilem hominis armati, sed secundum admirabilem operationem, ex illa columna nubis quasi iaculantis tela, idest, fulgura, & fulmina, & tonitrua, horribilemque ventum; quibus rebus currus & equos Aegyptiorũ subuerteret, & confringeret, suisque ipsosmet Aegyptios instrumentis bellicis cõplicaret atque opprimeret. Et hic vocatur respectus Dei per columnam nubis & ignis in castra Aegyptiorũ; & in hoc Cantico dicitur: *Misisti iram tuam, qua deuorauit eos sicut stipulam.* Adhæc, Hebræi pro certo dicũt, eum qui apparuit Hebræis in mari rubro, fuisse Deum: at fuisse eum, vt ita dicam, immediatè ac personaliter, Angelum Domini, perspicuè docet nos Scriptura Exodi, cap. 14. versu 19. illis verbis: *Tollensque se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Ecce Angelum vocat eum, qui regebat columnam illam nubis, & qui per eam præ-

præmonstrabat iter Hebræis; quem tamen & in fine capitis decimi tertij, & in capite 14. versu 24. appellauit simpliciter & præcisè Dominum.

Præterea sciens Deus, gentẽ Hebræã ingenio, & animo esse ad idololatriam procliuissimo, diligenter prouidit & cauit, ne quam ex visionibus & apparitionibus suis sensibiliter factis, occasionẽ caperet idola colendi: ideoque in maximè insignibus & celeberrimis apparitionibus vel cum apparuit in rubo Mosi, vel in monte Sina vniuerso populo, vel Eliæ in monte Horeb, in nulla similitudine vel imagine siue hominis siue animalis apparuit, sed tantùm ex igne, & in tenuis auræ sibilo, uoces emittens, præsentiam suam declarauit. Hoc ipsum Moses confirmans, dixit Hebræis Deuteronomij 4. *Locutus est Dominus ad uos de medio ignis, uocem uerborum eius audistis, & formam penitus non uidistis.* Et paulò infra: *Non uidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis uobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi uel fœminæ, uel similitudinem iumentorum quæ sunt super terram, uel auium sub cœlo uolantium, aut reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium, quæ sub terra mouẽtur in aquis.* His verbis persuadere vult Moses Hebræis, non debere eos colere Deum in aliqua statua vel imagine, eo quod cùm Deus apparuit illis, nullã præ se tulit similitudinem & imaginem. At enim, si vera esset ista Hebręorũ opinio, potuissent Hebræi respondere Mosi, se Deum colere velle in tali similitudine sensibili, in quali apparuerat ipsis in mari rubro, similis nẽpe viro bellatori, pro suo populo acriter pugnanti in hostes.

Exodi 3. *Exodi 19. & 20.* *3. Reg. 19.*

20. Sed esto, Deum tunc apparuisse in illa specie uisibili; non ex eo tamen sequitur, Hebræos, qui non ipsam Deitatem, sed speciem illam sensibilem uidebant, clarius & perfectius vidisse Deũ quàm postea viderunt eum Prophetæ. Nã cùm Deus sit omninò incorporeus, species illa corporalis & visibilis, nihil erat Dei: quare videntes illam, nihil uidebant diuinum. Cumque Deus sit natura omninò intelligibile, non aliter profectò uideri potest, quàm intellectu, nec intellectus creatus, naturali suo lumine, potest eam videre, sed necesse est supernaturaliter à Deo eleuari, non modò ad videndam Essentiam eius, sed etiam ad cognoscendum supernaturales aliquas ueritates de eo. Huiusmodi porro eleuationem intellectus, nec habuerunt tũc Hebræi; habuerunt autem Prophetæ, quibus per uisiones vel intellectiuas, vel imaginarias, multa, quæ creatam excedebant intelligentiam, Deus reuelauit.

Sequitur: *Deus patris mei, & exaltabo eum.* Si dixisset: *Deus patrum meorum*, intelligeremus tres illos celeberrimos Patriarchas, Abraham, Isaac & Iacob, qui præcipuè appellantur in Scripturis Patres Hebræi populi, sicut etiam Deus se uocat præcipuè Deum illorum triũ. Sed quia in singulari numero dixit: *Deus patris mei*, sine dubio significauit Abraham, qui præcipuè uocatur Pater Hebræorum; tum quia in eo cœpit electio populi Dei, cùm Deus benedixit ei, & semini eius: tum quia circumcisionem accepit, tanquam signum distinctiuum populi Dei ab alijs populis. Vnde Paulus ad Romanos 4. de Abraham loquẽs: *Et signum*, inquit, *accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in præputio, ut pater esset omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam, ut sit pater circumcisionis.* Adijce quod propter merita ipsius Abrahæ, Deus benefaciebat populo, & complebat in eo promissiones quas dederat Abrahæ, sicut dixit Deus Genes. 18. *Scio quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, ut custodiant uiam Domini, & faciant iudicium et iustitiam. Vt adducat Dominus, propter Abraham, omnia quæ locutus est ad eum.* Meritò igitur populus Hebręus in hoc Cãtico dicebat; *Deus patris mei, & exaltabo eum.* 21.

Cur Abraham præcipuè appellatus sit pater Hebræorũ. *Genes. 17.*

Sed quid est illud: *Exaltabo eum?* Hoc nempe, Altissimũ esse, palam confitebor & quantum potero, prædicabo. Satis patet, nomen Altissimi, metaphoricè in Deum dici, ad denotandam excellentiam eius super omnia: talique Epitheto, tanquam maximè proprio Dei, frequenter solet eum Scriptura prædicare. 22.

Quintuplex altitudo Dei in sacris literis celebratissima.

Deus

Deus porrò quinque modis altissimus dici potest: Primo, altitudine substantiæ: quod perfectio diuinæ substantiæ, naturas omnium rerum infinitè supereminеat, & quidquid in omnibus alijs reb⁹ boni sparsum est, id omne cum quadam infinita eminentia, vna Dei natura contineat. Deinde Altissimus dicitur altitudine scientiæ, quæ non solum excedat omnem sciẽtiam creatam, verùm etiam omni, siue humano, siue angelico intellectui sit prorsus incomprehensibilis;
Hiere. 32. propter quam altitudinem Hieremias Deum alloquens dixit: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*. Et Paulus
Locus Pauli ad Romanos 11. hanc diuinæ scientiæ altitudinem mirabundus, exclamauit; *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?*

23. Adhæc, dicitur Altissimus altitudine potestatis: Dei enim potestas est super omnia, & in omnia, & per omnia; nec ei potest quisquam resistere, sed omnia quæ vult facit, tam in cœlo, quàm in terra. Hanc diuinæ potestatis altitudinem agnoscens & prædicans rex Nabuchodonosor, dicebat, referente Daniele Pro-
Daniel. 4. pheta: *Ego Nabuchodonosor benedixi Altissimum & uiuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui quia potestas eius potestas sempiterna, & iuxta uoluntatem suam facit tam in uirtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat: Quare fecisti?* Et filio eius Balthasari dixit Daniel: *O Rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiam, & gloriam dedit Nabuchodonosor patri tuo. Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus eius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est, & à filijs hominum eiectus est, donec cognosceret, quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum, & quæcumque uoluerit suscitabit super illud.* Præterea Deus uocatur Altissimus altitudine maiestatis & dominationis; quòd eius imperio subdita sint omnia, ipsumque omnes adorare & ve-
Isaia 45. nerari debeant; sicut ipse dixit: *Gloriam*
Roman. 14. *meam alteri non dabo, sed mihi curuabitur*
Iob 9. *omne genu*. Et Iob ait: *Coram ipso curuan-*
Isaia 6. *tur, qui portant orbem*. Et Seraphim, præ magna reuerentia maiestatis eius, velabant facies suas. Et Dauid dixit: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra: quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.* Psalm. 8. Postremò Deus vocatur Altissimus altitudine habitationis: quia licet vbique sit, præcipuè tamen, quadam ratione, dicitur esse in cœlo, quin etiam in altissimo cœlorum quod uocant Theologi cœlũ Empyreum; ibi enim est Regia eius, & cœlestis curia; ibi regnat perfectissimè; ibi omnium cœlestium spirituum, & beatarum animarum perpetua confessione ac laudatione glorificatur, ibi se beatis clarè uidendum, & iucundè, perfecteque fruendum præbet, in quo summa eorum beatitudo consistit. Vnde Scriptura sæpenumero dicit Deum habitare in altis, & excelsum esse habitaculum eius. Nos itaque, sicut tunc Hebræus populus, etiam nunc & semper exaltemus Deum nostrum, & supradictam eius quintuplicem altitudinem, corde & ore dignis laudibus concelebremus.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS.

Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius: Currus Pharaonis, & exercitum eius deiecit in mare.

Versu 3. & 4.

24. SEptuaginta Interpretes, quod Latina translatio habet, *Dominus quasi uir pugnator, Omnipotens nomen eius*, in hanc sententiam verterunt; *Dominus conterens bella, Dominus nomen eius.* Paraphrasis Chaldaica hunc reddit sensum: *Dominus est victor bellorum Adonai est nomen eius.* Hebraicè bis ponitur in hoc uersu nomen Dei, Tetragrammaton primum pro illo; *Dominus*, secundum pro illo; *Omnipotens*, & pro illo: *quasi uir pugnator*, Hebraicè est, *Vir belli*, qui est hebraismus significans virum maximè bellicosum.

ſum. Qaapropter recentiores Hebræi, & de noſtris, qui vulgo appellantur Hebraizantes, ita legunt hunc locum: *Iehouah vir belli, Iehouah nomen eius*. Quam

Oleaſter. lectionem explanans Oleaſter, Admonui, inquit, ſuprà capite ſexto, ineffabile nomen Dei Iehouah non indicaſſe Deum Patribus ante Moſen, quantum ad rem ſignificatam; id enim nomen propriè ſignificat conterentem, ab (Hauah) quod eſt contritio. Licet enim priſci patres Deum cognouerint vt beneficum & ſufficientem ſibi, alijsque ad omnia: non tamen cognouerant eum, vt præliatorem & conterentem inimicos, tanquam virum belli; quemadmodum cognitus eſt nunc ab Hebræis, in tanta taliq́ue cæde Aegyptiorum. Vnde dicunt: *Dominus eſt vir belli*, quaſi dicerēt: Ignorabamus Deum eſſe virum bellatorem, ſeu per ſe pugnare, & cùm vult, inimicos contèrere, ſed eum talem eſſe, nunc experti ſumus. Similiter ignorabamus eum propriè ac meritò vocari Iehouah, id eſt, conterentem; quod tamen nunc manifeſta experientia compertum & cognitum habemus. Quare meo iudicio, hic locus Exodi declarat obſcuritatem eius loci, qui eſt ſuprà capite ſexto, vbi dictum eſt, Deum non indicaſſe nomen ſuum Tetragrammaton tribus illis Patriarchis, Abraham, Iſaac, & Iacob. Idem ergo eſſe videtur, cognoſcere Deum virum belli, atque cognoſcere Iehouah eſſe nomen eius. Sic Oleaſter. Cuius ſententiam ſuprà fuſius tractauimus ſuper ſextum caput Exodi, ad numerum marginalem 20.

Sequitur; *Omnipotens nomen eius.* Dixi,
25. pro *Omnipotens*, in Hebræo eſſe nomen Tetragrammaton, quod ſignificare creditur, non tam Omnipotentiam, quàm ipſum eſſe ſubſiſtens atque infinitum. Sed numquid ipſum per ſe Dei nomen

Quomodo nomen Dei verè dicatur Omnipotens. vel cogitatione formatum, vel voce prolatum, vel ſcripto expreſſum, eſt omnipotens, habetque vim omnia efficiendi? Minimè verò. Tribus autem modis poteſt intelligi nomen Dei eſſe omnipotens. Primò quidem, vt nomen Dei poſitum ſit pro ipſo Deo: eſt namque vſitatiſſimum in Scriptura, nomen rei ponere pro ipſa re tali nomine ſignificata & nominata, vt nomen hominis pro ipſo homine, & nomen Dei pro ipſo Deo. Hoc nos quia ſuper caput ſextum Exodi, ad numerum marginalem 22. copioſè declarauimus, multisque teſtimonijs Scripturæ illuſtrauimus, nihil prætetea nunc ea de re dicendum putamus. Ergo dicitur, *Omnipotens nomen eius*, id eſt, ipſe eſt omnipotens, & verè meritoque ita nominatur ab omnibus. Deinde poſſumus intelligere, propterea dici nomen Dei omnipotens, quod per inuocationem nominis Dei factam à ſanctis viris, ſæpe Deus ingentia fecerit miracula, per quæ ſuam declarauit omnipotentiam: & hoc ſenſu interpretari atque intelligere licet, quod pluribus locis legimus in Euangelio, & Actibus Apoſtolorū, & alibi, in nomine Ieſu eiecta eſſe Dæmonia ex humanis corporibus, & ſanatos eſſe infirmos, aliaque permulta eſſe facta miracula. Nec eſt non ſatis veriſimile, Moſen inuocando nomen Dei, virga percuſſiſſe mare, & diuiſiſſe: & item inuocato Dei nomine, percuſſiſſe petram, ex eaq́ue abundantiam aquarū eduxiſſe. Poſtremò, dicitur nomen Dei eſſe omnipotens, quia inter alia quæ de Deo dicuntur, hoc videtur maximè proprium Dei, eſſe omnipotentem. Enimuerò ſancta Chriſti Eccleſia in ſuis precationibus, & laudationibus Dei, hæc duo nomina Dei, tanquam eius maximè propria, frequenter vſurpat & celebrat. *Omnipotens & æternus*, Omnipotentia porrò Dei, eo declaratur maximè, quòd ſolus facit mirabilia, quæ non ſolùm alij ſiue homines, ſiue Angeli facere nō poſſunt, verùm nec intellectu comprehendere; ideoque dicuntur verè mirabilia; Vnde Dauid: *Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.* Et alibi: *Quis magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia.* Et alio loco: *Benedictus Dominus Deus noſter, qui facit mirabilia ſolus & benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra.* *Pſa. 85. et 76. & 71.* Iſaias etiam: *Confitebor nomini tuo Domine, quia feciſti mirabilia.* *Iſaiæ 25.* Quantum porrò totius fidei noſtræ fundamentum, firmamentumq́ue ſit, penitus perſuaſum, firmiſſimeq́ue creditum habere, Deum eſſe omnipotentem, docuimus in tertio.

Tomo.

Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim super caput 17. Genesis, ad numerum marginalem 3.

26. *Ruperti expositio, quomodo Christus quasi vir pugnator infernalis Pharaonis currus & exercitũ proiecerit in mare.* Rupertus persequens expositionem huius Cantici, per quam demonstrare vult, hoc præstantissimo Cantico secundum interius mysterium præcipuè celebrari gloriosam Christi de Diabolo & seruis eius, & de ipso mundo victoriam, super hisce verbis quæ nunc tractauimus: ***Dominus quasi vir pugnator***, sic ait; Quid est: ***Dominus quasi vir pugnator?*** Hoc nempe significat, Dominum nostrum, se cum Diabolo gessisse in similitudinem & modum fortissimi & prudentissimi pugnatoris. Sicut enim vir pugnator, pro modo vel qualitate sui hostis, semetipsum aptat, & armis induit: sic Christus Dominus pro natura & conditione sui hostis, nouis & mirabilibus modis bellum instituere atque ordinare voluit, erat autem hostis eius, non caro & sanguis, sed principatus & potestas aerea, rector mundi huius, tenebrarum harum, spiritualis nequitia. Non ergo materiali gladio super femur suum semetipsum potentissimus accinxit, non loricam & galeã ferro textam induit: sed contra eiusmodi principatũ & potestatem superbię, humilitatem & obedientiam induit: contra spiritualia nequitiæ, charitatis fortitudine seipsum præcinxit. Atque hac ratione, quasi vir pugnator, currũ Pharaonis aerei, quo super nubium altitudinem equitare se credidit, vt esset Altissimo similis, & vniuersum eius exercitum tam vitiorum quàm errorum, ipsorumque Dæmonum, quos propofuerat in templis & delubris Gentium pro Dijs adorandos, proiecit in mare, Moriendo quippe recepit omnem potestatem in cœlo & in terra, & omnia traxit ad se. Ita Rupertus.

Ad Ephe. 6 · *Psalm. 44.* · *Isaia 4.* · *Matth. 28.* · *Ioann. 3.*

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS,

Electi principes eius submersi sunt in mari Rubro. *Versu 4.*

QVOS Latinus interpres hic vocat, *Electos principes*, Chaldaica paraphrasis appellat, *Electos fortes*, secundum autem phrasim linguæ Hebrææ frequenter vsurpatam in Scriptura, vocantur electa in qualibet re, quæ in eo genere sunt præcipua & pretiosa, meritoque alijs omnibus eius generis præoptãda & præferenda. Verùm LXX. Interpretes ita vertunt hunc locum: *Currum Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare, Electos ascensores tristatas.* Quo etiam vocabulo, paulò suprà vsi sunt Exodi cap. 14. Nam pro illo quod habet Latina translatio in versu septimo: *Et duces totius exercitus*, ipsi habent, *Tristatas super omnes* Quæritur itaque, quid significet illud nomen *Tristata*, quo vsi sunt LXX. Interpretes. & in hoc libro vt diximus, & quarto libro Regum, capite septimo, & in capite vigesimo tertio Ezechielis. 27.

Quid significet vox Tristata apud LXX. Interpretes.

28. *S. Hieronymus.* Sanctus Hieronymus in quintum caput Danielis super illis verbis: *Et tertius in regno meo eris*, eius vocis significationem indicat potius quàm explanat, ita scribens: vel tertius eris post me Regẽ, vel vnus è tribus Principibus, quos alibi, Tristatas legimus. Sed idem explicatius edocet vim & notionem eius vocis, hæc scribens super caput vigesimũ tertium Ezechielis: Tristatas vocant LXX. Interpretes, quos nos Principes Principium interpretati sumus. de quibus Exodi decimo quinto, legimus; *Electos ascensores*, *Tristatas*, pro quibus Latina simplicitas, Ternos statores transtulit. Tristatæ verò nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem, de quibus in Scriptura dictum est: *Veruntamen ad tres primos*

primus non peruenit. Qui principes equitum, peditumque erant, & tributorum: quos nos, Magistros vtriusque militiæ, & Præfectos annonarij tituli nominamus. Hæc Hieronymus.

29. *Gregorius Nyssenus.* Varias tamen eius vocis interpretationes plenius cognoscere licet ex ijs, quæ scripsit Gregorius Nyssenus super hoc Canticum, & item Græcus scholiastes. Ea verò ferè sunt huiusmodi Contra hostiles manus, Antiqui magnos currus faciebant, adeò, vt tres homines singuli caperent, & vnus quidem eorum aurigæ officio fungebatur; alter verò protegebat; tertius autem pugnabat: vel, vnus quidem auriga erat, alij verò certabant. Vel, Tristatas dicit eos, quia ascendebant super tres equos: Antiqui enim in bellum exeuntes, super tres equos vehebantur: dixit enim de Pharaone Exodi decimo quarto. *Assumpsit omnem equum, & Tristatas super ipsis*. Vel, Tristatas vocat robustos, & eos qui aduersus tres possent consistere. Vel eos, qui in acie, tertij stabant in phalange, hoc ipso modo, exercitu consistente in speciem phalangis: primo enim cadente vel defesso ac laborante, Tristata succedebat in locum eius. Vel, Tristata significat eum, qui, sedente Rege, tertius stat, vel tertiam sedem habet, qua-
1. Regum. lis erat Dauid apud Saul. De Tristatæ autem nomine fit mentio quarto Regum capite septimo, in illis verbis (secundum translationem septuaginta) *Et respondit, Tristata, super quem rex innitebatur, & quiescebat super manum*
Hesychius. Etymolog. *eius*. Hesychius porrò, & Etymologus, Tristatam interpretantur satellitem regium, qui tria vibrabat hastilia. Et hæc de vocabulo, *Tristata* dicta sint.

30. *Origenes.* Origenes in Homilia sexta, in Exodum de huiusmodi Tristatis, quos interpres eius Latinè vertit ternos statores, tropologico sensu loquens, hunc in modum scribit: Dominus noster quadrigas Pharaonis, & exercitum eius, Electos ascensores, ternos statores demersit in rubrum mare, Pharao (Diabolus) velut potentior in malitia, & regnum tenens nequitiæ, quadrigas agit. Non illi sat est, vnum equum ascendere: sed plures simul agitat, pluresque simul plagis torti verberis cogit. Quoscumque videris in luxuria turpiores, in crudelitate fæuiores, in auaritia tetriores, in impietate sceleratiores, scito eos de quadrigis esse Pharaonis; ipsis insidet, quos curribus suis subiugat, in ipsis fertur, & volitat, & per apertos scelerum campos, effusis eos agitat habenis. Sunt & alij Electi ascensores, electi sine dubio ad malitiam, de quibus suprà diximus: nunc autem quinam sint (terni statores) videamus. Mihi quidem videntur terni statores pro eo dici, quod triplex est hominibus peccandi via: aut enim in facto, aut in verbis, aut in cogitatione peccatur. Et ideo terni statores per singulos quoque dicuntur, qui tres istas in nobis peccandi obsideant vias; & speculentur semper, atque insidijs agant, vt aut ex misero homine sermonem malum eliciant, aut iniquum opus extorqueant, aut pessimam ei cogitationem ingerant. Denique & locus, in quem semen verbi Dei cadit ac deperit, triplex in Euangelio describitur, *Matth. 13.* vnus secus viam, qui conculcatur ab omnibus; alius in spinis, & alius in petrosis. E contrario autem terra bona triplicem afferre dicitur fructum, uel trigesimum, uel sexagesimum, vel centesimum. Triplex namque est etiam benè agendi via: nam vel opere, vel cogitatione, vel verbo bonum quodcumque agitur. Hoc item significauit Apostolus dicens. *Qui ædificat supra fundamentum* *1. Corint. 3.* *hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos*, triplicem hisce verbis bonorum viam significans: & postea subiungit, triplicem etiam malorum rationem dicens, alios superimponere ligna, fœnum, stipulam. Isti ergo terni statores, sunt Angeli nequam de infernali exercitu Pharaonis, qui stant in omnibus huius vitæ humanæ vijs, obseruantes vnumquemque nostrum, vt ad peccatum instigent & impellant: quos demergit Dominus in rubrum mare; & ignitis in die iudicij fluctibus tradet, ac pœnarum pelago obruet; si tu Deum sequêris, de eorum te potestate subtraxeris. Sic Origenes.

Ee SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS,

Versu 17. Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.

31. Caietanus. HAEC verba benè Caietanus exponit, ita scribens: *Introduces & plantabis eos,* id est, ad similitudinem plantarum, nos, altis in terram defixis radicibus stabiles, firmabisque: & quamuis inde non simus oriundi, erimus tamen quasi naturales eius terræ habitatores, ac velut plantæ: *In monte hæreditatis tuæ.* Terram promissionis à montibus denominat, eo quod illustrior eius pars montana erat: nam & terra pertinens ad fortem Iuda, montosa erat, & Ierusalem, vbi erat sedes regia, & templum Domini, & in montibus sita, & montibus erat circumdata. Vocatur autem mons hæreditatis Dei, quia terra illa fuit electa à Deo in habitationem populi Israel asciti in hæredem Dei, vtpotè adoptati in filium primogenitũ Dei, vt ipsemet Deus suprà dixit Exodi cap. 4. Vnde apparet ratio iure plantandi populum Hebræũ in illa terra. Tribus porrò nominibus terra illa vocatur in hoc loco. Primum dicitur mons hæreditatis Dei; tum vocatur firmissimum eius habitaculum; ac demùm nominatur sanctuarium eius. Electa namque fuit terra illa ad triplicem finem: vt esset in habitationem & possessionem populi Hebræi: qui erat tanquam filius & hæres Dei; & vt esset in habitaculum stabile ipsius Dei; non secundum seipsum, Deus enim in seipso solo habitat, sed secundum similitudinem, prout scilicet Deus, curabat & fouebat, & protegebat locum illum, perinde vt Princeps proprium habitaculum. Denique fuit ille locus præcipuè in eum finem factus, vt ibi esset sanctuarium Dei, id est, præ cæteris dicatus administrando, exercendoque Dei cultui; & ita firmum esset, quasi Dei manibus paratum, & firmatum foret. Ita Caietanus.

32. Quomodo templũ Ierosolymitanum firmissimum fuerit Dei habitaculum. Sed quomodo verum est, vel in terra promissionis, vel in monte Moria, siue in Ierusalem, fuisse firmissimum Dei habitaculum, & sanctuarium, cum tot iam seculis, nec in ea terra, nec in eo mõte habitet Deus, exterminatis inde Iudæis, desolatoque templo? Responderi potest dupliciter, vel Prophetiam istam esse conditionalem, non vtique implendam, nisi seruata conditione, Iudæis videlicet in veri Dei cultu, & legis eius obseruatione permanentibus; quod quia obseruatum non est, ideo perfectus Prophetiæ huius & promissionis, impeditus est effectus. Sed videtur illa simplicior & planior responsio. Prædicitur hoc loco, firmissimum Dei fore habitaculum in monte Moria, vbi ædificatum est templum Salomonis, quia ibi lõgissimo tempore mansit Dei cultus. Etenim post ingressum Hebræorum in terram promissionis, arca Dei fuit in Silo; dicebatur autem Deus præcipuè ibi habitare, vbi erat arca eius. Fuit inquam in Silo vsque ad mortem Heli, per annos amplius trecentos: & tunc à Philisthæis capta arca, fuit apud eos septem mensibus. A quibus reducta, & in domo Aminadab collocata, permansit ibi vsque ad octauum annum regni Dauidis, per annos circiter quinquaginta. Deinde mansit tribus mensibus in domo Obededom; & inde translata in ciuitatem Dauid, mansit inibi per annos quadraginta duos quoad deferretur in templum à Salomone fabricatum, anno scilicet eius vndecimo. Ab anno autem vndecimo regni Salomonis, mansit arca in templo, vsque ad captiuitatem Babylonicam Sedechiæ per annos quadringentos, & viginti. Tunc Hieremias tabernaculum Domini, & arcam, & altare incensi, ne veniret in potestatem Chaldæorum, tulit in cum.

Iosue 18. Iudic 20. Varia loca, in quibus fuit arca Dei.

1. Reg. 4. 2. Reg. 7.

2. Reg. 6.

3. Reg. 8.

eum locum, vbi sepultum fuerat corpus Mosis, ibique abscondit, nec locus ille ulli mortalium cognitus adhuc fuit. De qua re in libro secundo Machabæorum, cap. 2. ita scriptum est: *Tabernaculum & arcam iussit Propheta, diuino responso ad se facto comitari secum vsquequo e-*
Exodi ultimo. *xijt in montem, in quo Moses ascendit, & uidit Dei hæreditatem. Et ueniens ibi Hieremias, inuenit locum spelunca, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et uenerunt quidā simul qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Hieremias, culpās illos, dixit; Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat,* & cæt. Sed quamuis postea Iudæi non habuerint arcam Domini, attamen post reditum ex captiuitate, ædificato iterū templo ubi prius fuerat, verè ibi colebatur Deus ibique habitauit, vsque ad mortē Domini nostri per annos circiter quingentos quinquaginta. Post mortem autem Christi, desijt locus ille ueri Dei esse habitaculum, & sanctuarium, quamuis etiam postea per annos duos, & quadraginta steterit, quoad funditus ab Imperatore Tito euersus est. Ergò, quoniam in illo loco Deus habitauit per annos amplius mille, ab undecimo scilicet anno Salomonis, usque ad mortem Christi Domini, idcirco verè dictus est ille locus firmissimum Dei habitaculum.

33. Lyranus. At enim Lyranus arbitratur, per firmissimum Dei habitaculum, intelligi debere hoc loco non terrenam illā Ierusalem, & templum Iudaicū, sed principaliter, secundum literalē sensum, significari cœlestem Ierusalem, & templum quod in cœlis est, in quo Deus perpetuò adoratur, & laudatur à Beatis. Verba Lyrani super hoc loco Exodi, sunt huiusmodi: Vbicumq; in Scriptura, pro operibus virtutum promittūtur temporalia, illa non sunt principaliter intellecta: quia finis semper esse dēt melior ijs, quæ ordinantur ad finem, præmium autem, est finis operis quod ordinatur in ipsum. Quocirca sub nominibus & similitudine bonorum illorum temporaliū promissorum, intelligi debent bona spiritualia & cœlestia principaliter intenta. Sicut sub promissione terræ promissionis, intelligenda est terra viuentium & beatorum. Similiter in hoc loco, sub promissione tēpli materialis, intelligere oportet principaliter promissam esse domum cœlestem, vel templum, vbi Deus colitur non per speculum in ænigmate, sed per iugē Dei laudem, & apertam eius uisionem, ut dicitur Psal. 83. *Beati qui habitāt in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te,* Et hoc ipsum dixit Rabbi Salomon in hoc loco, & dictum eius consonat fidei nostræ. Sic igitur benè intelligitur qđ dicitur hic. *Firmissimo habitaculo quod operatus es Domine.* Quia cœlum Empyreum, quod est templum, & locus beatorum, & habitaculum Dei, factum est à principio creationis mundi, & eius effector & opifex fuit solus Deus. Hæc Lyranus. Sed nos hanc opinionem Lyrani copiosè tractauimus, pluribusque ac manifestis rationibus confutauimus in tertio tomo nostro in Genesim, super caput decimum quintum eius libri, in prima disputatione earum decem, quas super illud caput decimum quintum fecimus. Rabbi Salomon.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS,

Dominus regnabit in æternum, & vltra. Versu 18.

34. CHaldaica Paraphrasis Latinè reddit hanc sententiā: *Dominus regnabit in seculum, & in secula seculorū.* Pagninus ex Hebræo ita vertit: *Dominus regnabit in seculum, & usque in perpetuum* Lectio huius loci apud LXX. Interpretes sic habet: *Dominus regnabit in seculum, & in seculum, & adhuc.* Quam lectionem explanans Origenes super hoc loco Exodi, sic ait: Quoties in seculū dicitur, longitudo quidem tēporis significatur, sed esse tamen finis aliquis indicatur. Quod si addatur, & aliud seculū; longior qui-

dem significatur duratio, non tamen sine fine. Si dicatur: (In secula seculorũ) longissima quidem duratio significatur sed habens tamen finẽ, nobis quidẽ forsasse ignotum, sed à Deo tamen constitutum. Cùm autẽ in hoc loco additur: *Et adhuc*, id profectò nullũ sensum termini aut finis alicuius relinquit. Quodcumq; enim cogitaueris, in quo finem aliquem putes posse consistere, semper tibi dicet sermo Propheticus: *Et adhuc*, siue (*vltra*) regnabit Deus. Velut si loquens ad te dicat: Putas in seculum seculi Deum regnaturum? regnabit adhuc uel ultra, & quodcumque dixeris illud, de regni eius spatijs, semper tibi dicet Propheta: *Et adhuc*, siue (*vltra*:) hic Origenes. Verùm lectio latina huius loci manifestam habet difficultatem. Si enim regnabit Deus in æternum, quomodo etiam vltra regnabit? Cùm enim æternitas sit infinita duratio nullum habens finem, nullum profectò spatiũ durationis ultra æternitatem, ne cogitatione quidem fingi potest.

35. Valde locus hic exercuit ingenia scriptorum, qui ad soluendum huius difficultatis nodum, varias admodum interpretationes horum' verborum excogitarunt: quas ego hic breuiter commemorabo. Et ut à nouissimis ordiar scriptoribus, Iansenius in Expositione huius *Iansenius.* Cantici, super his uerbis: *Dominus regnabit in æternum & ultra.* Sic ait: Quod hic ait Latinus interpres *vltrà*, aliàs vertere solet: *In seculum seculi.* Vt in illo uersu Psalmi 9. *Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi*: vbi eædem ponũtur dictiones, quæ hic. Pro eo quod hic dicitur *in æternum*, vox hebrea propriè significat *in seculum*, quo significatur duratio præsentis seculi. Pro eo autem quod dicitur *in seculum seculi*, uel *ultra*, dictio hebraica æternitatẽ propriè significare dicitur. Lippomanus in *Lippoman'* Catena in Exodũ super hoc ipso loco, dictionem inquit hebraicam *holam*, quidam vertunt, *in æternum*, alij *in seculum.* Nec apud Hebræos eodem semper modo sumitur, sed aliquando ipsam æternitatem significat: Interdum uerò durationem huius mundi; nonnunquam etiam tempus quinquaginta annorum.

Similiter pro illo: *Et ultra*, dictio hebræa *uahed*, quidam uertunt *in æternum*, alij *in perpetuum*, alij *usque*, non ergò solum regnum Dei perdurat, quoad per- *1. Cor. 15.* durabit hic mũdus, sicut & regna mor- *Ibidem.* taliũ, sed & ultra, & in perpetuas æter- *Caietanus.* nitates, & sine fine regnabit, & erit De' omnia in omnibus, & omnia subijcientur ei. Caietanus. Iuxta Hebręum, inqt, sic habetur, *Dominus regnabit in seculum, & usque.* Aiunt uariam esse significationem dictionis interpretatæ *seculum*, ideoque ad veram perpetuitatem exprimendam adiungi illud: *Et usque*, infinitatem enim durationis insinuat. Et significatur ad literã, quod regnum Dei inchoatũ in populo Israel, educto ex Aegypto, durabit in æternum, quod quidem uerificatur, intelligendo per Israel, non tantùm secundum carnem, sed etiam secundum iustitiam, ut Paulus docet ad Romanos nono.

Lyranus; In hebræo, inquit, sic habe- 36.
tur: *In seculum, & ultra*, seculum autem *Lyranus.* propriè significat tempus quinquaginta annorum, sed quando additur ei, *& ultra*, significat æternitatem. Et bene dicitur hic in futuro *regnabit*, quia non regnauit Deus ab æterno, sicut nec fuit Creator, nec Dominus ab æterno: talia enim nomina & uerba consignificant creaturam subiectam, quæ non fuit ab æterno. Thostatus in quæstione 5. super *Thostatus.* caput 15. Exodi declarans hæc uerba: *Dominus regnabit in æternum, & ultra*, ita scribit: Vltra ęternum nihil est, quia Aeternum interminatã durationem dicit tam à parte ante, quã parte post, sed additur illud (*ultra*) ex abundanti, ad significandũ magnam affectionem loquentis, ex abundantia quippe cordis os loqtur, ut dicitur Lucæ 6. Moses itaque, quoniã ualde desiderabat durationẽ regni Dei, cũ Deum amore amicitię diligeret; proferebat illud per quædam uerba ingentem significantia cordis affectionẽ. Et sic frequenter in Scriptura, ex affectione dicentis, ad cõprehendendum multa, ponuntur aliqua non necessaria. Sicut Gen. 3. serpens dixit Euę; *Eritis sicut dij scientes, bonum & malum.* Constat tamẽ, quod tunc nihil erat malum, quod cognosci posset: sed ita dictũ

est,

est, ad significandum, valde largè omnia entia, & omnes modos entium, & præsentium & futurorum, & qualitercumque se habentium, vel possibilium, se habere.

37. *S. Thomas.* S. Thomas in prima parte, quæst. 10. art. 2. in responsione ad secundum, tractans verba huius loci: *Dominus regnabit in æternum & ultra*, hæc scribit; Sciendū est quod in hoc loco *Æternum*, accipitur pro seculo, sicut habet alia translatio: Sic igitur dicitur quod regnabit vltra æternum, quia regnum eius durabit vltra quodcumque seculum, id est, vltra quamcumque durationem datam: nihil est enim aliud seculum, quàm periodus cuiuslibet rei, vt dicitur in libro primo de cœlo. Vel dicitur Deus etiam vltra æternum regnare, quia licet aliquid aliud semper esset, sicut motum cœli quidam Philosophi faciunt æternum; nihilominus tamen Deus, vltra regnat, in quantum eius regnum, est totum simul. Similiter auctor libri de causis in propositione secunda dixit, Deū esse ante æternitatem; Intelligentias esse cum æternitate; Animam verò nostram esse post æternitatem, & supra tēpus. Nam licet poneremus intelligentias ab æterno, tamen quia Deus habet in se omne esse, & totum esse simul: Intelligentiæ verò habent esse suum limitatum & participatum à Deo: idcirco verè Deus diceretur esse ante æternitatem, participatam videlicet à creaturis. Hæc S. Thomas.

38. *Hugo S. Victoris.* Hugo de S. Victore sic ait super hoc loco Exodi: *Dominus regnabit in æternū, & ultra.* Id est, regnabit per præsens seculum totum, & etiam per futurum: vel per spatium totum, quod cum mundo incœpit, & cum mundo finietur. *Et ultra.* Non quantum ad temporis spatium, sed quantum ad dignitatem, scilicet, super omnes, & super omnia.

Rupertus. Rupertus libro secundo Commentatiorum in Exodum, cap. 37. Pulcherrimi, inquit, huius Cantici clarissimus & valde sonorus finis hic est: *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* Certum hoc habet omnis, qui nouit Dominum, quia Dominus regnabit in æternum: sed qs hoc ipsum capiat, quod dicitur *in æternum*? significatum huius vocis nimis spatiosum est longitudinem, & latitudinem eius, noster intuitus permetiri non potest. Hac uoce audita fortè leuamus capita nostra, sed non tota videmus æternitatis spatia. Addidit illud *& ultra* velut si dicat: Quantum videre in longinquum potes, regnabit Deus, & vltra quàm videre potes, & vltra id qđ ipsa vox, quæ dicitur *in æternum*, animo vel intellectu tuo infert.

39. *Auctoris expositio.* Ego putarem, ita quoque hanc difficultatem breuiter explicari posse. Latinus interpres in translatione huius loci, sine dubio secutus est LXX. Interpretes. Nam pro eo quod illi verterunt: *Dominus regnabit in seculum & in seculum*, ipse transtulit, *Dominus regnabit in æternum*. pro eo autem quod illi addiderunt *& adhuc*, ipse posuit *& ultra*, Hebræam porrò dictionem (*holam*) LXX. Interpretes verterunt in vocem, *αἰὼν*, siue *αἰώνιον*; Latinus autem interpres in vocem seculum vel æternum. Triplici autem significatione vocem (*holam*) in Scriptura vsurpari animaduertere licet. Sæpenumerò namque adhibetur ad significandam veram æternitatem, Dei propriam, vt in Psalmo nonagesimo nono de Deo dicitur: *In æternum misericordia eius.* Et in Psalmo 106. *Veritas Domini manet in æternum.* Et in Psal. 44. de messia dicitur: *Benedixit te Deus in æternum.* In his autē locis hebraicè est uox (*holam.*) Non rarò etiam significat ea vox non quidem veram æternitatem, sed longissimum tamen tempus, & cuius terminus expressè nullus indicatur siue tale tempus sit præteritum, siue futurum. Ad hanc significationem pertinent illa Scripturæ verba Genes. 6. *Isti sunt potentes à seculo, viri famosi.* Et Hierem. 2. *A seculo confregisti iugum meum.* vtroque in loco, pro illo (à seculo) hebraicè est (holam,) solet autem Latinus interpres tempus longissimum præteritum appellare dies antiquos: vt Deuteronomij 32. *Memento dierum antiquorū, cogita generationes singulas.* Et Psalm. 76. *Et annos æternos in mente habui.* Vbi in eandem sententiam dixit: *Dies antiquos* atque *annos æternos*. Nonnunquam etiā Scriptura vtitur voce (holam) ad significandum

ficandum tempus Iubilæi, quod erat quinquaginta annorum; ficut Exodi 21. & Deuter. 14. dicitur, seruum, qui auricula perforata, perpetuæ addicebatur seruituti domini sui, seruiturum in æternum, siue in seculum (hebraicè, holam,) id autem est, vsque ad tempus Iubilæi: eo namque tempore, iubebat lex Mosis, omnibus seruis donari libertatem. Sed priores duæ significationes, maximè quadrant ad originem & radicem vocis (holam) siquidem radix eius putatur esse verbum (alam) significans abscondere, latere, occultare. Ex quo intelligere licet, vocem (holam) significare tempus, quod ob nimiam longitudinem, fit absconditum homini, quantum ad eius initium vel finem.

40. Ergò cùm hic dicitur: *Dominus regnabit in æternum*, illud *in æternum*, siue vt est hebraicè (Le holam) non sumitur in prima significatione, pro vera scilicet & perfecta æternitate: sed in secunda significatione, nimirum pro longissimo tempore, quale est tempus vsque ad finem mundi, ob idque meritò additur ei illud *& vltra*. Sin autem quis velit, illud *in æternum*, hic accipi pro vera æternitate, consequenter dicere eum necesse est, vel cum Thostato, id dictum esse ex abundantia cordis, & magno quodam desiderio animi desiderantis durationem regni Dei: vel cum S. Thoma, licet nihil sit vltra æternitatem quantum ad extensionem durationis, Deum tamen verè dici vltra siue supra æternitatem, & quia habet æternitatem sine principio; & quia habet eam à se, & quia totum esse suum habet simul sine vlla variatione.

Hic ego putaui opportunè, congrueque terminari posse hunc primum tomum disputationum in Exodum: sequitur enim deinceps historia peregrinationis Hebræorum in deserto per quadraginta annos: Sequitur item expositio legis, quæ in monte Sina per Mosen à Deo Hebræis data est: quæ duæ res proprium, atque integrum, & bene longum volumen deposcunt. Hoc nos volumen habemus, nondum quidem planè confectum, sed affectum tamen: & in lucem dabimus (si Deo placuerit, ipsoque iuuante;) aut post hunc tomum proximè; aut interposito prius altero volumine disputationum in nouum Testamentum; quod propius abest à perfectione, magisq; in promptu nobis est.

F I N I S.

Hunc primum tomum selectarum Disputationum in sacram Scripturam, auctor ipse misit Ingolstadium typis ibi excudendum, anno ætatis suæ sexagesimoquinto, & ab ortu Domini, millesimo sexcentesimo primo.

Laus Deo & Dei genitrici semper Virgini Mariæ.

VENETIIS, M. DCI.

Apud Nicolaum Misserinum.